





POETAE SCENICI
LATINORUM.

II. I

M. ATTI PLAUTI

COMOEDIAE.

RECENSUIT

FRIDERICUS HENRICUS BOTHE.

VOLUMEN POSTERIUS.

MILES GLORIOSUS, MOSTELLARIA, PERSA, POENULUS, PSEUDOLUS, RUDENS, STICHUS, TRINUMUS, TRUCULENTUS, FABULARUM PLAUTI FRAGMENTA, LOCIQUE SIMILES POETARUM GRAECORUM.

LIPSIAE,
APUD HENR. WEINEDEL.
MDCCCXXXIV.

POETAE SCENICI
LATINORUM.

COLLATIS CODD. BEROLINENSIBUS, FLORENTINO, FRIBURGENSI, GOTHANO, GUELPHERBYTANIS, HELMSTADIENSIBUS, MONACENSI, PALATINO, PARISIO, ULTRAIECTINO, ALIISQUE SPECTATAE FIDEI LIBRIS,



RECENSUIT

FRIDERICUS HENRICUS BOTHE.

VOLUMEN SECUNDUM.

PLAUTUS.

LIPSIAE,
APUD HENR. WEINEDEL.
MDCCCXXXIV.

MILES GLORIOSUS.

ARGUMENTUM.

Meretricem ingenuam deperibat mutuo i. s.
ltheniensis juvenis. Naupactum is domo
.egatus abiit; miles in eandem incidit,
)eportat Ephesum invitam. Servus Attici,
Jt nuntiaret domino factum, navigat;
'apitur, donatur illi captus militi;
.d herum, ut veniret Ephesum, scribit. Advolat
.dolescens atque in proxumo devortitur
.pud hospitem paternum. Medium parietem
erfodit servus, commeatus clanculum
)ua foret amantum; geminam fingit mulieris
ororem adesse. Mox ei dominus aedium
uam clientam sollicitandum ad militem
ubornat. Capitur ille: sperat nuptias,
'imittit concubinam et moechus vapulat.

ALIUD ARGUMENTUM.

'eretricem Athenis Ephesum miles avehit. i. s.
hero dum amanti servus nuntiare vult,
:gato peregre: captus ipsust in mari
illi eidem militi dono datust.
:rvus suum arcessit herum Athenis et forat
:minis communem clam parietem aedibus:
cere ut quiret convenire amantibus.
›haerens custos hos videt de tegulis;
liculus autem, quasi sit alia, luditur.
ınque impellit militem Palaestrio,
ıissam faciat concubinam, quando ei
ıis vicini cupiat uxor nubere.
:ro, abeat, orat; donat multa; ipse in domo
ıis prehensus poenas pro moecho luit.

Primi argumenti versu 12 recte Brix. Junt. Ald.: *adesse*. Vulgo: *esse*.
Secundi arg. v. 6. libri barbare: *in aedibus*. V. 8. vulgo le-
ır: *Obhaerentes c. hos vidit de t.* Decurt.: *videt*. V. 9. fortasse
ndum est *Ridiculis*. Cf. 147.

DRAMATIS PERSONAE.

PYRGOPOLINICES.
ARTOTROGUS.
PALAESTRIO.
PERIPLECTOMENES.
SCELEDRUS.
PHILOCOMASIUM.
PLEUSIDES.
LUCRIO.
ACROTELEUTIUM.
MILPHIDIPPA.
PUER.
CARIO.

PYRGOPOLINICES. ARTOTROGUS.

Curate, ut splendor meo sit clypeo clarior, i. s. I.
Quam solis radii esse olim, quom sudum est, solent:
Ut, ubi usus veniat, contra conserta manu
Praestringat oculorum aciem in acied hostibus.
Nam ego hanc machaeram mihi consolari volo,
Ne lamentetur neve animum despondeat,
Quia se jampridem feriatam gestitem,
Quae misere gestit fartum facere ex hostibus.
ed ubi Artotrogus? Ar. Hic est, stat propter virum
'ortem atque fortunatum et forma regia,
'um bellatorem. Mars haud ausit dicere,
'eque aequiparare suas virtutes ad tuas.
y. Quemne ego servavi in campis Gurgustidoniis,
bi Bombomachides Cluninstaridysarchides
rat imperator summus, Neptuni nepos?
r. Memini: nempe illum dicis cum armis aureis,
uoius tu legiones difflavisti spiritu,
uasi ventus folia aut paniculam tectoriam.
r. Istuc quidem edepol nihil est. Ar. Nihil hercle hoc quidem
'aeut alia dicam, — tu quae nunquam feceris.
riuriorem hoc hominem si quis viderit
it gloriarum pleniorem, quam illic est:
e sibi habeto, et ego mancupio me dabo; nisi
ium epityrum apud illum esurio insane bene.
. Ubi tu es? Ar. Eccum edepol. Vel elephanto in India
o pacto pugno praefregisti brachium.
. Quid? brachium? Ar. Illud dicere volui, femur.
. At indiligenter iceram. Ar. Pol si quidem
nnisus esses: per corium, per viscera,
que os elephanti brachium tramitteres.

8. *fartum* placuit Mureto V. L. 3, 9, cum in libris legatur *rem.* 23, 24. Sic propemodum scripti. *Nisi*, sed; *esurio*, edo, e soleo; *unum* παρέλκει. Vulgo: *et ego me manc. dabo Epityro, p. ill. esuriem i. b.* 28. Libri soloece: *At ind. hic eram.*

Py. Nolo istaec hic nunc. Ar. Nae hercle operae pretium quidem,
Mihi te narrare: tuas qui virtutes sciam.
— Venter creat omnis has aerumnas: auribus
Perhaurienda sunt, ne dentes dentiant,
Et adsentandum est, quidquid hic mentibitur.
Py. Quid illud, quod dico? Ar. Hem, scio jam, quid vis dicere.
Factum hercle est; memini fieri. Py. Quid id est? Ar. Quidquid est.
Py. Habes tabellas? Ar. Vis rogare? Habeo, et stilum.
Py. Facete advortis animum tuom ad animum meum.
Ar. Novisse mores me tuos meditate decet
Curamque adhibere, ut praevelim, quod tu velis.
Py. Ecquid meministi .... Ar. Memini. Centum in Cilicia
Et quinquaginta, centum Sycolatronidae,
Triginta Sardi, sexaginta Macedones,
Sunt homines, tu quos occidisti uno die.
Py. Quanta istaec hominum summa est? Ar. Septem millia.
Py. Tantum esse oportet; recte rationem tenes.
Ar. At nullos habeo scriptos; sic memini tamen.
Py. Edepol memoria est optuma. Ar. Offa me monet.
Py. Dum talem facies, qualem adhuc: adsiduo edes:
Communicabo semper te mensa mea.
Ar. Quid in Cappadocia, ubi tu quingentos simul,
Ni hebes machaera foret, uno ictu occideres?
Py. At peditis delicia erant: sivi viverent.
Ar. Quid tibi ego dicam, quod omnes mortales sciunt,
Pyrgopolinicem te unum in terra vivere
Virtute et forma et factis invictissumis?
Amant ted omnes mulieres, neque iniuria,
Qui sis tam pulcer; vel illae, quae here pallio
Me reprehenderunt. Py. Quid here dixerunt tibi?
Ar. Rogitabant: Hiccine Achilles est, inquit, tibi? —
Imo ejus frater, inquam. — Innuit altera:

32. V.: *enarrare.* 34. Pal.: *Peraurienda.* V.: *Peraudienda.* 41. Sic Acid. Vulgo: *ut praevolet mihi quo tu velis.* Sed MSS.: *ut praevolat mihi q. t. v.* Scripserat, nisi fallor, librarius *praevolam*, cum in *αὐτογράφῳ* vidit *praevolim*, antiqua forma. More igitur eius generis hominum satis habuit addere *im*, jamque illud *praevolamim* magis magisque depravatum est. 54. Vett.: *At peditas* (edd.: *pedites tibi*) *teluquia* (edd.: *reliquia*) *erant, si viverent.* V.: *At peditatus reliquiae e., si v.*, et parasito haec tribuuntur. 58. V., reclamantibus libris vett.: *neque hercle ini.* 59. V.: *ut vel.* Sequor vett. edd. 62. V.: *illarum altera.*

Ergo mecastor pulcer est, inqnit mihi,
Et liberalis. Vide, caesaries quam decet!
Nae illaec sunt fortunatae, quae cum isto cubant!
Py. Itane aibat tandem? Ar. Quaene ambae obsecraverint,
Ut te hodie quasi pompam illa praeterducerem?
Py. Nimia est miseria, pulcrum esse hominem nimis.
Ar. Molestae sunt mihi: orant, ambiunt, obsecrant,
Videre ut liceat; ad sese arcessi iubent:
Ut tuo non liceat operam dare negotio.
Py. Videtur tempus esse, ut eamus ad forum:
Ut in tabellis quos consignavi hic heri
Latrones, ibus denumerem stipendium.
Nam Rex Seleucus me opere oravit maxumo,
Ut sibi latrones cogerem et conscriberem:
Regi hunc diem mihi operam decretum est dare.
Ar. Age, eamus ergo. Py. Sequimini, satellites.

PALAESTRIO.

Mihi ad enarrandum hoc argumentum est comitas, I. s. II, 1.
Si ad auscultandum vostra erit benignitas.
Qui autem auscultare nolit, exsurgat foras:
Ut sit, ubi sedeat ille, qui auscultare volt.
Nunc, qua adsedistis causa in festivo loco,
Comoediai, quam modo actnri sumus,
Et argumentum et nomen vobis eloquar.
Alazon graece huic nomen est comoediae;
Id nos latine Gloriosum dicimus.
Hoc oppidum Ephesust; inde miles, meus herus,
Qui hinc ad forum abiit, gloriosus, inpudens,
Stercoreus, plenus periuri atque adulteri,
Ait sese ultro omnis mulieres sectarier:
Is deridiculo est, quaqua incedit, omnibus;
Itaque hic meretrices, labiis dum ductant eum,
Majorem partem videas valgis saviis.
Nam ego haud diu apud hunc servitutem servio.
Id volo vos scire, quomodo ad huno devenerim
In servitutem ab eo, quoi servivi prius.
Date operam: nam nunc argumentum exordiar.
Erat herus Athenis mihi adulescens optumus;
Is amat meretricem matre Athenis Atticis,

64. Sic plane edd. mediae. MSS.: *vida et caes.* V.: *lib. visus aes.* 66. Ita Sciopp. V.: *Quae me.* 100. V. legitur: *amabat*, uente versu, et quasi non amet amplius. Sic erratur etiam 111.

Et illa illum contra; qui est amor cultu optumus.
Is publice legatus Naupactum hinc fuit
Magnaï reii publicaï gratia.
Interibid istic forte miles advenit
Athenas; insinuat se ad illam amicam heri,
Occepit ejus matri suppalparier
Vino, ornamentis, opiparis obsoniis;
Itaque intimum ibi se miles apud lenam facit.
Ubi primum evenit militi huic occasio:
Sublinit os illi lenae, matri mulieris,
Quam herus meus amat: nam is illius filiam
Conpegit in navem miles clam matrem suam,
Eamque invitam huc mulierem in Ephesum advehit.
Ut amicam herilem Athenis avectam scio:
Ego, quantum vivos possum, mihi navem paro,
Inscendo: ut eam rem Naupactum ad herum nuntiem.
Ubi sumus provecti in altum; sicut voluerunt,
Capiunt praedones navem illam, ubi vectus fui.
Prius perii, quam ad herum veni, quo ire occeperam.
Ille, qui me cepit, dat me huic dono militi.
Hic postquam in aedis med ad se duxit domum:
Video illam amicam herilem, Athenis quae fuit.
Ubi contra adspexit me: oculis mihi signum dedit,
Ne se adpellarem; deinde, postquam occasio est,
Conqueritur mecum mulier fortunas suas;
Ait, fugere sese Athenas cupere ex hac domu;
Sese illum amare, meum herum, Athenis qui fuit,
Neque pejus quemquam odisse, quam istunc militem.
Ego quoniam inspexi mulieris sententiam;
Cepi tabellas, consignavi clanculum,
Do mercatori quoidam, qui ad eum deferat,
Meum herum, qui Athenis fuerat; qui hanc amaverat:
Ut is huc veniret. Is non sprevit nuntium:
Nam et venit et hic in proxumo devortitur
Apud suom paternum hospitem, lepidum senem.
Itaque ille amanti suo hospiti morem gerit,
Nosque opera consilioque adhortatur, juvat;
Itaque ego paravi hic intus magnas machinas,

104. sequ. Pal.: *Interiuit hic mil. f. Ath. adv. Ins. sese ad i. am. heri mei.* V.: *Interibi ut hic — heri mei.* 107. Ita Pal. V.: *opiparisque.* 111. Vid. not. ad 100. 112. Sic vett. edd. MSS. *Contegit, Contigit.* V.: *Coniicit.* 114, 115. inverso ordine leguntur in vulgatis libris. Correxit Acid. 117. V.: — *altum, id quod volunt. Scripti: fit*, vel *sit* (Decurt.) *q. v.* Ed. princeps: *sicut v.* 131. V.: *ad illum.* 134. V.: *et is in pr. hic d.* Sequor vett. edd.

Qui amantis una inter se facerem convenas:
Nam unum conclave, concubinae quod dedit
Miles, quo nemo nisi eapse inferret pedem,
In eo conclavi ego perfodi parietem,
Qua conmeatus esset hinc huc mulieri.
Et sene sciente hoc feci: is consilium dedit.
Nam meus conservos est homo haud magni preti,
Quem concubinae miles custodem addidit;
Ei nos facetis fabricis et doctis dolis
Glaucomam ob oculos objiciemus eumque ita
Faciemus, ut, quod viderit, non viderit;
Et mox, ne erretis, haec duarum hodie in vicem
Et hic et illic mulier feret imaginem
Atque eadem erit, verum alia esse adsimulabitur.
Ita sublinetur os custodi mulieris.
Sed foris concrepuit hinc a vicino sene:
Ipse exit. Hic ille est lepidus, quem dixi, senex.

PERIPLECTOMENES. PALAESTRIO.

PE. Ni hercle defregeritis talos posthac, quemque in tegulis t. t. c, II, 2.
Videritis alienum: ego vostra faciam latera lorea!
Mihi quidem jam arbitri vicini sunt, meae quid fiat domi:
Ita per inpluvium introspectant. Nunc adeo edico omnibus:
Quemque a milite hoc videritis hominem in nostris tegulis
Extra unum Palaestrionem, huc deturbatote in viam.
Quod ille gallinam aut columbam se sectari aut simiam
Dicat: disperistis, ni usque ad mortem male mulcassitis!
Atque adeo, ut ne legi fraudem fecerint talariae,
Adcuratote, ut sine talis domi agitent convivium.
PA. Nescio quid malefactum a nostra huic familia est, quantum audio:
Ita senex talos elidi jussit conservis meis.
Sed me excepit; nihili facio, quid illis faciat ceteris.
Adgrediar hominem; et nunc advorsum me est quasi. i. s.

143. Pal.: *hic huc.* Vett. edd.: *hic huic.* V.: *Q. c. e. huic m.* 48. Pal.: *Glaucoma.* 150. Sic Acid. Divinatt. p. 279. V. *in desi*eratur. 155. Pal.: *I. sublitores cust. mul.* Vett. edd.: *I. sublini*ır *os c. m.* V.: *I. sublinitum est o. c. m.* 169. Libri: *A. h. estne* ·el *est ne) advorsum?* (hoc signum in Pal. non conspicitur) *est* ıasi, quod alii aliter emendant. Lamb., trochaïcum t. c. effeurus, addebat *collaturus pedem,* quod nunc fere legitur in edd. ruterus malebat *itne adv.? it quasi;* Gron.: *A. h.: et en adv. i. q.* ıuidem *ne* perperam exaratum puto pro *ne* cum apice, quo mpendio *nunc* significari solet in MSS.

Quid agis, Periplectomene? Pe. Haud multos homines, si optandum foret, t. t. c.
Nunc videre et convenire, quam te, mavellem. Quid est?
Pa. Quid tumultuas cum nostra familia? Pe. Occisi sumus!
Pa. Quid negoti est? Pe. Res palam est. Pa. Quae res palam est? Pe. De tegulis
Modo nescio quis inspectavit vostrum familiarium i. t.
Per nostrum inpluvium intus apud nos Philocomasium atque hospitem
Osculantis. Pa. Qui homo vidit? Pe. Tuos conservos. Pa. Qui is erit homo? t. t.
Pe. Nescio: ita abripuit repente sese subito. Pa. Suspicor, t. t. c.
Me periisse. Pe. Ubi abît: conclamo: Heus, quid agis tu, inquam, in tegulis?
Ille mihi abiens ita respondit, se sectari simiam.
Pa. Vae mihi misero, quoi pereundum est propter nihili bestiam!
Sed Philocomasium hiccine etiam nunc est? Pe. Quom exibam, hic erat.
Pa. Sis, iube transire huc, quantum possit: se ut videant domi
Familiares, nisi quidem illa nos volt, qui servi sumus,
Propter amorem suom omnis crucibus contubernalis dari.
Pe. Dixi ego istuc, nisi quid aliud vis. Pa. Volo. Hoc dicito,
Profecto ut ne quoquam de ingenio degrediatur muliebri; i. t.
Earum artem et disciplinam obtineat et colorem. Pe. Quemadmodum?
Pa. Ut eum, qui se vidit, verbis vincat ne se viderit; t. t. c.
Siquidem centiens hic visa sit: tamen inficias eat.
Os habet, linguam, perfidiam, malitiam atque audaciam,
Confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam:
Qui arguat se, eum contra vincat iureiurando suo.
Domi habet animum falsiloquom, falsificum, falsiiurium;
Domi dolos, domi delenifica facta, domi fallacias.
Nam mulier olitori nunquam supplicat, siqua est mala:

172. Versus ab Angelo Majo repertus nuper in cod. palimpsesto bibliothecae Ambros. Mediolanensium. 176. *Qui* Pal. Vulgo *Quis*. 178. Verba *in tegulis* leguntur in A. Maji codice palimpsesto, Junt. Ald. etc. 186. Versus itidem repertus in eo cod. MS. 187. *Earum*, mulierum, quod repetendum ἀπὸ κοινȣ̃. MSS.: *Earumque* vel *Earum que*, ut Pal.; vett. quaedam edd.: *Parumque*. Vulgo: *Paret a. et d.: obt. col.* Pe. *et quem?* 188. *verbis*. Edd. *vero*; sed quomodo *verum*, dici possunt mendacia? Pal. *ueruis*, h. e. verbis. Non semel confusa haec vocabula.

Domi habet hortum et condimenta ad omnis moles maleficas.
Pe. Ego istaec, si erit hic, nuntiabo. Sed quid est, Palaestrio, i. t.
Quod volutas tute tecum in corde? Pa. Paulisper tace, t. t. c.
Dum ego mihi consilia in animum convoco et dum consulo,
Quid agam, quem dolum doloso contra conservo parem,
Qui illam hic vidit osculantem: id visum ut ne visum siet.
Pe. Quaere; ego hinc abscessero abs te huc interim. — Illuc, sis, vide,
Quemadmodum adstitit, severa fronte curas cogitans!
'ectus digitis pultat: cor, credo, evocaturust foras.
Ecce autem avortit visus; laevo in femine habet laevam manum; . i. t.
Dextera digitis rationem conputat, feriens femur t. t. c.
Dexterum: ita, vehementer quod facto opus est, aegre suppetit.
oncrepuit digitis: laborat. Crebro conmutat status.
ccere autem capite nutat! Non placet, quod reperit.
uidquid est, incoctum non expromet; bene coctum dabit.
cce autem aedificat: columnam mento subfulsit suo.
page! non placet profecto mi illa inaedificatio:
am os columnatum poëtae esse indaudivi barbaro,
uoi bini custodes semper totis horis adcubant.
ıge, euge, euscheme adstitit hercle, dulice et comoedice!
ınquam hodie quiescet, priusquam id, quod petit, perfecerit.
ıbet, opinor. Age, si quid agis! vigila! ne somno stude,
si quidem hic agitari mavis varius! vigila! tibi ego dico! Au, t. t.
riatus ne sis! Heus, ted adloquor, Palaestrio! t. t. c.
;ila, inquam! expergiscere, inquam! lucet hoc, inquam! Pa. Audio.
. Viden' hostis tibi adesse tuoque tergo obsidium? Consule!
ipe opem auxiliumque ad hanc rem! Propere hoc, non placide, decet.

204. **Pal.:** *evocaturus*, non male. 205. Libri: *E. a. a.*, *nisus* ·*a*, *in f. h. l. m.* 211. *subfulsit.* MS. Ambros.: *suffigit.* 218. ·ri, versu nimio: *varius virgis*, quod ab interprete videtur pro- ım esse. Nisi quis *vigila* deleri malit, modo lectum. Cui dem non refragabor; tamen *varius* facetiae plus habere con- excluso *virgis.* 219. *heus* Pal., Pareus. Vulgo *hem.*

Antemoeni aliqua! aliquo tu autem circumduce exercitum!
Curre in obsidium perduellis; nostris praesidium para!
Interclude inimicis conmeatum; tibi muni viam,
Qua cibatus conmeatusque ad te et legiones tuas
Tuto possit pervenire! Hanc rem age: res subitaria est.
Reperi! conminiscere! cedo calidum consilium cito:
Quae hic sunt visa, ut visa ne sint; facta infecta uti sient.
Magnam illic, mi homo, rem incipissis; magna moenis moenia!
Tute hoc si unus recipere ad te dicis: confidentia est,
Nos inimicos profligare posse. PA. Dico et recipio ad me! t. t.
PE. Et ego te inpetrare dico id, quod petis. PA. At te Jupiter t. t. c.
Bene amet! PE. At tu inparti, amice, me, quod conmentus. PA. Tace,
Dum in regionem astutiarum mearum te induco: ut scias
Juxta mecum mea consilia. PE. Salva sumes indidem.
PA. Herus meus elephanti corio circumtentust, non suo,
Neque habet plus sapientiai, quam lapis. PE. Ego istuc scio.
PA. Nunc sic rationem incipissam, hanc instituam astutiam:
Ut Philocomasio hanc sororem geminam germanam alteram
Dicam Athenis advenisse cum amatore aliqui suo
Tam similem, quam lacte lacti est; apud te eos hic devortier
Dicam hospitio . . . . PE. Euge, euge, lepide! laudo conmentum tuom!
PA. Ut, si illic concriminatus siet advorsum militem
Meus conservos, eam vidisse cum alieno oscularier,
Arguam hanc vidisse apud te contra conservom meum
Cum suo amatore amplexantem atque osculantem. PE. Imo optume!
Idem ego dicam, si me exquiret miles. PA. Sed simillumas
Dicito esse; et Philocomasio id praecipiendum est, ut sciat:
Ne titubet, si quaeret ex ea miles. PE. Nimis doctum dolum!
Sed videre ambas si in uno miles concilio volet,

223. V.: *Antevenito aliqua aliquos, aut tu c. e.* Sed Sarrac. et Mediol. anni 1500. *Antemoenia* a. a. *ante te circumducere ex.* 224. *perduellis*, hostis, pro hostium, ut recte G. J. Vossius. *Perd.* τρισυλλάβως pronuntiandum, u littera liquescente. Pal. *perduellis.* 225. Sic vett. edd. Vulgo *Intercludito*, laborante versu. 238. Ita vett. edd. Recentiores impingente versu: *egomet.* Pal.: *aegomist uescio.* 241. Vulgo: *aliquo;* sed Pal.: *aliquid quod.* *Qui* et *aliqui* pro *quo* et *aliquo* sunt antiqui usus. 246. V.: *Eum* (Pal. Sarrac. Med. *Eam*, fort. pro *Eum hanc*) *arguam* etc. 247. Libri *Imo ut optume*, nec sententia nec metro salvis.

Quid agimus? Pa. Facile est: trecentae possunt causae conligi:
„Non domi est; abiit ambulatum; dormit; ornatur; lavat;
„Prandet; potat; occupata est; operae non est; non potest;“
Quantum vis prolationum, dum modo nunc prima via
Inducamus, vera ut esse credat, quae mentibitur.
Pe. Placet, ut dicis. Pa. Intro abi ergo et eam, sid isti est, mulierem
Iube cito domum transire atque haec ei monstra, praecipe,
Ut teneat consilia nostra, quemadmodum exorsi sumus,
De gemina sorore. Pe. Docte tibi illanc perdoctam dabo.
Numquid aliud? Pa. Intro ut abeas. Pe. Abeo quidem.
Pa. Ego ibo domum
Atque hominem investigando operam sumam, illinc dissimulando, t. t.
Qui fuerit conservos, qui hodie sit sectatus simiam. t. t. c.
Nam ille non potuit, quin sermone aliquem familiarium
Participaverit de amica heri, vidisse sese eam
Hic in proxumo osculantem cum alieno adulescentulo.
Novi morem egomet: „Tacere nequeo, quae solus scio.“
Si invenio, qui vidit, ad eum vineas pluteosque agam.
Res parata est: vi pugnandoque hominem capere certa res!
Si ita non reperio, ibo odorans, quasi canis venaticus,
Usque donec persecutus volpem ero vestigiis.
Sed fores crepuerunt nostrae: ego voci moderabo meae:
Nam illic, Philocomasio custos, meus conservos, it foras.

SCELEDRUS. PALAESTRIO.

Sc. Nisi quidem ego hodie ambulavi dormiens in tegulis:
t. t. c. II, 3.
Certo edepol scio, me vidisse hic proxumae viciniae
Philocomasium herilem amicam sibi alienum quaerere.

257. Libri nimirum *si*; alterum metri causa posui, de quo vid. Lips. Antiqu. Lect. 2, 14. 262. *illinc*, apud militem, dedi pro *hinc* vulgato. Frustra Lamb. et edd.: *dissimulavero*. Non liquescit *sumam*. 267. MSS. et vett. edd.: *N. m. ego et tac. nequeo solus scio.* A Camerario est, quod vulgo legitur: *N. m. e. et t. nostrorum s. s.* 269. Sic MSS. Vulgo: *res est.* 272. Libri hic et 330. (Pal. etiam 411) metro quidem impedito *concrepuerunt*. Cf. 411. Terent. Eun. 5, 7, 5: *Sed fores crepuerunt ab ea.* Et sic passim. 273. Putide libri et ἀμέτρως: *N. i. est Ph. c. m. e., atque it f.* Acidal. suadet: *cons., qui it f.* Sed aut multum fallor, aut *est* et *atque* sunt glossemata. 276. Libri *alium* hiante versu. Cf. 245, 266 etc.

Pa. Hic illam vidit osculantem, quantum hunc audivi loqui. i. t.
Sc. Quis hic est? Pa. Tuos conservos. Quid agis, Sceledre? Sc. Te, Palaestrio, t. t. c.
Volupe est convenisse. Pa. Quid jam aut quid negoti? fac sciam,
Sc. Metuo. Pa. Quid metuis? Sc. Ne hercle hodie, quantum hic familiarium est,
Maxumum in malum cruciatumque insaliamus. Pa. Tu sali
Solus: nam ego istam insulturam et desulturam nil moror.
Sc. Nescis tu fortasse, apud nos facinus quod natum est novom.
Pa. Quod id est facinus? Sc. Inpudicum. Pa. Tute sci solite tibi;
Mihi ne dixis: scire nolo. Sc. Non enim faciam, quin scias.
Simiam hodie sum sectatus nostram in horum tegulis.
Pa. Edepol, Sceledre, homo sectatus nihili nequam bestiam.
Sc. Di te perdant! Pa. Te istuc aequom quoniam occepisti eloqui.
Sc. Forte fortuna per inpluvium huc despexi in proxumum:
Atque ego illi adspicio osculantem Philocomasium cum altero
Nescio quo adulescente. Pa. Quod ego, Sceledre, scelus ex te audio?
Sc. Profecto vidi. Pa. Tuten'? Sc. Egomet duobus his oculis meis. i. t.
Pa. Abi! non verisimile dicis neque vidisti. Sc. Num tibi t. t. c.
Lippus videor? Pa. Medicum istuc tibi melius percontarier.
Verum enim tu istanc, si te di ament, temere haud tollas fabulam:
Tuis nunc cruribus capitique fraudem hinc capitalem creas:
Nam tibi iam, ut pereas, paratum est dupliciter, nisi supprimis
Tuom stultiloquium. Sc. Qui vero dupliciter? Pa. Dicam tibi.
Primumdum, si falso insimulas Philocomasium: hoc perieris;
Iterum, si id verum est: tu custos additus ei perieris.
Sc. Quid fuat me, nescio; haec me vidisse, ego certo scio.

284. Libri *scis.* 290. *illi.* Pal. *illic.* Vulgo *illa.* Correxit Acidal.

A. Pergin', infelix? Sc. Quid tibi vis dicam, nisi quod viderim?
)uin etiam nunc intus hic in proxumo est. Pa. Eho, non domi est?
c. Vise, abi intro tute: nam ego mihi nil credi postulo.
'A. Certum est facere. Sc. Hic te opperiar; eadem illi insidias dabo,
)uam mox horsum ad stabulum iunix recipiat se a pabulo.
)uid ego nunc faciam? Custodem me illi miles tradidit.
Nunc si indicium facio: interii; si taceo: interii tamen,
i hoc palam fuerit. Quid peius muliere aut audacius?
)um ego in tegulis sum: haec illac se edit hospitio foras.
Edepol facinus fecit audax! Hoccine, si miles sciat —
Credo hercle, has sustollat aedis totas atque hinc in crucem.
Quidquid hercle est, mussitabo potius, quam intercam male.
Non ego possum, quae ipsa sese venditat, tutarier.
Pa. Sceledre, Sceledre! Sc. Quis homo interimit? Pa. Alter est audacior?
Quis mage dis inimicis natus, quam tu, atque iratis? Sc. Quid est?
Pa. Juben' tibi oculos ecfodiri, quibus id, quod nusquam est, vides? i. t.
Sc. Quid? nusquam? Pa. Non ego nunc emam vitam tuam vitiosa nuce.
Sc. Quid negoti est? Pa. Quid negoti sit, rogas? Sc. Cur non rogem? t. t. c.
Pa. Nonne tibi istanc praetruncari linguam largiloquam jubes?
Sc. Quamobrem iubeam? Pa. Philocomasium eccam domi, quam in proxumo
Vidisse aibas te osculantem atque amplexantem cum altero.
Sc. Mirum est, lolio victitare te tam vili tritico.
Pa. Quid iam? Sc. Quia luscitiosus. Pa. Verbero, edepol tu quidem
Coecus, non luscitiosus: nam eam quidem eccillam domi.
Sc. Quid? domi? Pa. Domi hercle vero. Sc. Abi! ludis me, Palaestrio.

305. Libri numero durissimo: *Eho, an non d. e.?* 317. *est.* MSS. *hic.* 325. Vulgo: *nam illam q. eccam d.* MSS.: *n. i. q. illa d.*

Pa. Tum inquinatae mihi manus sunt. Sc. Quidum? Pa. Quia ludo luto.
Sc. Vae capiti tuo! Pa. Tuo istuc, Sceledre, promitto fore,
Nisi oculos orationemque alia conmutas tibi.
Sed fores crepuerunt nostrae. Sc. At ego illas observo foris:
Nam nihil est, qua hinc huc transire ea possit, nisi recto ostio.
Pa. Quin domi eccam: nescio, quae te, Sceledre, scelera suscitant.
Sc. Mihi ego video, mihi ego sapio, mihi ego credo plurimum:
Me homo nemo deterrebit, quin ea sit in his aedibus.
Hic obsistam: ne inprudenti huc ea se subrepsit mihi.
Pa. Meus illic homo est: deturbabo jam ego illunc de pugnaculis. —
Vin' jam faciam, uti stultividum te fatearis.... Sc. Age, face.
Pa. Neque te quidquam sapere corde, neque oculis uti? Sc. Volo.
Pa. Nempe tu istic ais esse herilem concubinam? Sc. Atque arguo
Eam me vidisse osculantem hic intus cum alieno viro.
Pa. Scin' tu, nullum conmeatum hinc esse et a nobis.... Sc. Scio.
Pa. Neque solarium neque hortum, nisi per inpluvium? Sc. Scio.
Pa. Quid nunc, si ea domi est, si facio, ut eam exire hinc videas domo:
Dignus es verberibus multis? Sc. Dignus. Pa. Serva istas foris:
Ne tibi clam se subterducat istinc atque huc transeat.
Sc. Consilium est ita facere. Pa. Pede ego jam illam huc tibi sistam in viam.
Sc. Agedum ergo face! — Volo scire, utrum ego id, quod vidi, viderim,
An illic faciat, quod facturum dicit, ut ea sit domi.
Nam ego quidem meos oculos habeo nec rogo utendos foris;
Sed hic illi supparasitatur semper; hic ei proxumust;
Primus ad cibum vocatur; primo pulmentum datur.
Nam illic noster est fortasse circiter triennium,
Neque quoiquam, quamde illi, in nostra melius famulo familia.

346. Sic Acid. Libri: *Pedes*.

Sed ego, quod ago, id me agere oportet: hoc observare ostium.
Hic obsistam: hac quidem pol certo verba mihi nunquam dabunt.

PALAESTRIO. PHILOCOMASIUM. SCELEDRUS.

PA. Praecepta facito ut memineris. PH. Toties monere mirum est. i. t. c. II, 4.
PA. At metuo, ut satis sis subdola. PH. Cedo vel doctum edocebo.
Memini malas, ut sint malae: mihi solae e quo superfit.
PA. Age, iam nunc insiste in dolos! abs te ego procul recedam. —
Quid adstas, Sceledre? Sc. Hanc rem gero. Habeo auris: loquere quidvis.
PA. Credo, istoc exemplo tibi esse eundum actutum extra portam,
Dispessis manibus patibulum quom habebis. Sc. Quamnam ob rem?
PA. Respicedum ad laevam! mulier haec quis est? Sc. Proh di inmortales,
Heri haec quidem concubinad est. PA. Mihi quoque pol ita videtur.
Age, nunc iam, quando lubet . . . . Sc. Quid agam? PA. Peri perpropere!
PH. Ubi istic bonus servos, propudi me qui maxume innocentem
Falso insimulavit? PA. Hem tibi! hic mihi dixit. PH. Tibi? — Quem dixti
Tu te vidisse in proxumo hic, sceleste, me osculantem?
PA. At cum alieno adulescentulo dixit. Sc. Dixi hercle vero.
PH. Tun' me vidisti? Sc. Atque his quidem oculis. PH. Carebis, credo,
Qui plus vident, quam quod vident. Sc. Nunquam hercle deterrebor,
Quin viderim id, quod viderim. PH. Ego stulta moror multum,
Quaecum hoc insano fabulem, quem pol ego capitis perdam.

357. Edd. duriore numero: *docebo*. Vetus cod. Camerar.: *doce me docebo*. Decurt.: *dice me docebo*. 361. Itidem vitiose legitur: *Credo ego istoc* etc., et mox: *quis illaec est mul.* 367. *Tibi?* Sic plane Pal. Vulgo: Scel. *Tibi*. 369. *At*. Libri *Atque*. 372. Ita MSS. et edd. vett. Cf. Suet. Ner. 33. Vulgo: *stulta et mora m.*

Sc. Noli minitari: scio crucem futuram mihi sepulcrum:
Ibi mei maiores sunt siti, pater, avos, proavos, abavos.
Non possunt mihi minaciis hice oculi tuis fodiri.
Sed paucis verbis te volo, Palaestrio. — Obsecro, unde haec
Huc exit? Pa. Unde, nisi domo? Sc. Domo? Pa. Videsne? Sc. Video;
Nisi mirum est facinus, quomodo haec hinc potuerit transire:
Nam certo neque solarium est apud nos neque hortus ullus,
Nec festra, nisi clatrata. — Nam certo ego te hic intus vidi.
Pa. Pergin', sceleste, intendere hanc arguere? Ph. Ecastor ergo
Mi haud falsum evenit somnium, quod noctu hac somniavi.
Pa. Quid somniasti? Ph. Ego eloquar. Sed, amabo, advortito animum.
Hac nocte in somnis mea soror gemina germana visa
Venisse Athenis in Ephesum cum suo amatore quodam;
Hi ambo hospitio huc in proxumum devorti mihi sunt visi.
Pa. Palaestrionis somnium narratur. — Perge porro.
Ph. Ego laeta visa, quia soror venisset, propter eandem
Suspicionem maxumam sum visa sustinere:
Nam arguere in somnis me meus mihi visust familiaris,
Me cum alieno adulescentulo, quasi nunc, esse osculatam,
Quom illa osculata mea soror gemina esset suompte amicum.
Ita me insimulatam perperam falsum esse somniavi.
Pa. Satin' eadem vigilanti expetunt, quae in somnis visa memoras?
Praesentia hercule omnia! Heus, abi intro et conprecare.
Narrandum ego istuc militi censebo. Ph. Facere certum,
Neque me quidem patiar probri falso inpune insimulatam.
Sc. Timeo, quid rerum gesserim: ita dorsus totus prurit.
Pa. Scin', te periisse? Nunc quidem est domi certo.
Sc. Certa res est,
Nunc nostrum observare ostium, ubiubi est. Pa. At, Sceledre, quaeso,

578. *Videsne?* Libri: *Me videntc*, quod ab οἰκονομίᾳ fabulae abhorret, siquidem recitato versu 346. Palaestrio intus ivit mulierem arcessitum, unaque cum ea rediit in scenam. 381. Vulgo *fenestra* ex interpretatione, ut opinor. Vid. not. ad Cas. 44. 382. Libri numeris asperioribus: *int. et* (vel *atque*) *hanc*. *Int.* h. l. valet vehementer studere. 392. Libri versu ὑπερμέτρῳ, vel potius nullo: *Me c. a. a., q. n. est, osculatam esse.* *Quasi nunc*, sicut nunc me arguit. 395. MSS. et edd. vett. *vigilantis*, unde Sciopp. fecit *in vigilantis*, quod nunc legitur pessumdato versu. 401. *est.* Edd. *sit.* MSS. *ubi isset.* Acid. *ubi est.*

Ut ad id exemplum somnium quam simile somniavit
Atque, ut tu suspicatus es eam vidisse osculantem!
Sc. Non arbitraris? Pa. Nae hercle opinor. — Obsecro, resipisce!
Ad herum si haec res pervenerit, peristi ob oculos pulcre!
Sc. Nunc demum experior, prius mihi caliginem obstitisse.
Pa. Dudum edepol hoc planum quidem: quae hic usque fuerit intus.
Sc. Nihil habeo certi, quod loquar. Non vidi eam, etsi vidi.
Pa. Nae te edepol stultitia tua nos pene perdidisse!
Dum te fidelem facere hero voluisti, absumtus pene es!
Fores vicini proxumi crepuerunt: conticiscam.

PHILOCOMASIUM. PALAESTRIO. SCELEDRUS.

Ph. Inde ignem in aram: ut Ephesiae Dianae lautas laudes i. t. c. II, 5.
Gratisque agam eique ut Arabico fumificem odore amoene,
Quae me in locis Neptuniis templisque turbulentis
Servavit, saevis fluctibus ubi sum adflictata multum.
Sc. Palaestrio! eho, Palaestrio! Pa. Eho, Sceledre, Scelcdre, quid vis?
Sc. Haec mulier, quae hinc exit modo, estne herilis concubina
Philocomasium, an non est ea? Pa. Hercle opinor; ea videtur.
Sed facinus mirum est, quomodo haec huc potuerit transire,
Si quidem ea est. Sc. An dubium id tibi est, eam esse hanc? Pa. Ea videtur.

404. seqq. Libri:
Me eam non vidisse arbit.? Pa. *nae tu hercle, opinar, (obsecro, Resipisce) si ad herum haec res perv., p. p.*
Sc. *N. d. e., prius ob oculos mihi cal. obst.*
in quibus, ipso metro indice, difficile non est interpretamentum et traiecta verba agnoscere. Dico autem verba *prius ob oculos*, quae etiam v. 405 post *res* perperam inculcata leguntur in MSS. 409. Vulgo: *Nae tu e. st. t. n. p. perdidisti.* Sed MSS. et vett. edd. *te* et *perdidit*. 411. Libri frustra asperato versu: *Sed fores* etc. 416. Libri *o Pal. O Scel.*; sed *eho* est inclamantium. 420. Edd.: *An d. tibi est.* Sed vet. cod. Camerar.: *An d. id est*, unde *id* accivi.

Adeamus, adpellemus. Sc. Heus, quid istuc est, Philocomasium?
Quid tibi istic hisce in aedibus debetur? quid negoti est?
Quid nunc taces? Tecum loquor. Pa. Imo edepol tute tecum:
Nam haec nil respondet. Sc. Te adloquor, viti probrique plena,
Quae circum vicinos vages. Ph. Quicum tu fabulare?
Sc. Quicum, nisi tecum? Ph. Quis tu homo es, aut mecum quid negoti est?
Sc. Men' rogas, hem, qui sim? Ph. Quin ego hoc rogem, quod nesciam? t. t. c.
Pa. Quis ego sum igitur, si hunc ignoras? Ph. Mihi odiosus, quisquis es,
Et tu et hic. Sc. Nos non novisti? Ph. Neutrum. Sc. Metuo maxume....
Pa. Quid metuis? Sc. Enim ne n o s nosmet perdiderimus uspiam:
Nam neque te neque me novisse ait haec. Pa. Perscrutari hoc volo,
Sceledre, nos nostri an alieni simus: ne clam quidpiam
Nos vicinorum inprudentis aliquis inmutaverit.
Sc. Certe equidem noster sum. Pa. Et pol ego. Quaeris tu mulier malum.
Tibi e g o dico: heus, Philocomasium! Ph. Quae te intemperiae tenent,
Qui me perperam perplexo nomine adpelles? Pa. Eho,
Quis igitur vocare? Ph. Glycere nomen est. Pa. Iniuria es:
Falsum nomen possidere, Philocomasium, postulas.
Sc. Adhibe testis. Pa. Num decet id? meo hero num facis iniuriam?
Ph. Egone.... Pa. Tute. Ph. Quae heri Athenis Ephesum adveni vesperi
Cum meo amatore, adulescente Atheniensi? Pa. Dic mihi,
Quid hic tibi in Epheso est negoti? Ph. Geminam germanam meam i. t.
Hic sororem esse indaudivi: eam veni quaesitum. Sc. Mala es. t. t. c.
Ph. Imo ecastor stulta multum, quae vobiscum fabuler.

432. sequ. Libri *quispiam*, quod ferri nequit sequente *aliquis*. Iidem: *ne dum* pro *ne clam*. Saepius *cl* et d, a et u confusa in MSS. 437. Libri: *Ini. est.* Sequor Douzam. 439. MSS.: *Adice testu non dicnt ei et meo aero* (Pal. *ero*) *non f. i.* 443. Libri *ἀμέτρως*: *inaudivi.*

Abeo. Sc. Abire non sinam te. Ph. Mitte! Sc. Manufestaria
Est: non mitto. Ph. At iam crepabunt mihi manus, malae tibi,
Nisi me omittis! Sc. Quid, malum, adstas? quin retines altrinsecus?
Pa. Nil moror, negotiosum mi esse tergum. Qui scio,
An ista non sit Philocomasium atque alia eius similis siet? i. t.
Ph. Mittis me, an non mittis? Sc. Imo vi atque invitam, ingratiis, t. t. c.
Nisi voluntate ibis, rapiam te domum. Ph. Hosticum hoc mihi
Domicilium est, Athenis domus. Sc. Et hic herus! Ph. Ego istanc domum
Neque moror neque vos, qui sitis homines, novi neque scio.
Sc. Lege agito: te nusquam mittam, nisi das firmatam fidem,
Te huc, si amisero, intro ituram. Ph. Vi me cogis, quisquis es.
Do fidem, si amittis, istuc me intro ituram, quo iubes.
Sc. Ecce mitto. Ph. At ego abeo missa. Sc. Muliebri fide fecisti! t. t.
Pa. Sceledre, manibus amisisti praedam: tam ea est, quam potis, t. t. c.
Nostra herilis concubina. Vin' tu facere hoc strenue?
Sc. Quid faciam? Pa. Ecfer mihi machaeram huc intus. Sc. Quid facies ea?
Pa. Introrumpam recta in aedis: quemque hic intus videro
Cum Philocomasio osculantem, eum ego obtruncabo extempulo!
Sc. Visane est ea esse? Pa. Imo edepol plane ea est; sed quomodo
Dissimulabat! Abi, machaeram huc ecfer! Sc. Iam faxo hic erit.
Pa. Neque eques neque pedes profecto quisquam tanta audacia,

451. Libri *Ostium* vel *Hostium.* Recte Lips. Ant. Lect. 1, 11, *Hosticum* reponi jussit, h. e. peregrinum. „Nam hostis." inquit, „antiquitus, qui nunc peregrinus." 452. Libri vett. uno tenore: — *domus est ac herus.* 455. sequ. Vulgo *omisero, omittis*, permutatione tralaticia. 460. Sic Pal. ut 464. Vulgo *Affers*

Qui aeque faciat confidenter quidquam, quam, quae mulieres
Faciunt! Utrobique docte orationem ut edidit!
Ut sublinitur os custodi cauto, conservo meo!
Nimis beat, quod conmeatus transtinet trans parietem!
Sc. Heus, Palaestrio, machaera nihil opus. Pa. Quid iam? aut quid opus est? t. t.
Sc. Domi eccam herilem concubinam. Pa. Quid? domi? Sc. In lecto cubat. i. t.
Pa. Edepol nae tu tibi malam rem reperisti, ut praedicas.... t. t. c.
Sc. Quid iam? Pa. Quia hanc attingere ausus mulierem hinc e proxumo.
Sc. Magis hercle metuo. Sed nunquam quisquam faciet, quin soror
Ista sit germana huius. Pa. Eam pol tu osculantem hic videras.
Et quidem palam est, eam esse, ut dicis. Sc. Quid propius fuit,
Quam ut perirem, si locutus fuissem hero! Pa. Ergo, si sapis,
Mussitabis. Plus oportet scire servom, quam loqui.
Ego abeo a te, ne quid tecum consili conmisceam;
Atque ad hunc ibo vicinum: tuae mihi turbae non placent.
Herus si veniet, si me quaeret: hic ero: hinc me arcessito.

SCELEDRUS. PERIPLECTOMENES.

Sc. Satin' ille abit neque herile plus negotium i. s. II, 6.
Curat, quam si non servitutem serviat?
Certo quidem illaec intust nostra in aedibus:
Nam egomet cubantem eam modo obfendi domi.
Certum est nunc observationi operam dare.
Pe. Non hercle hice homines me marem, sed feminam,
Vicini rentur esse servi militis:
Ita me ludificant. Meamne hic in via hospitam,
Quae heri huc Athenis cum hospite advenit meo,

475. Libri: *in prox.* Correxit Acidal. 480. Vulgo manca sententia: *A. apud hunc vic.* 482. Vulgo nullis numeris:
Satin' abiit ille, neque herile neg.
Plus curat, quam si n. servitute s.
Servitutem iam alii reposuerunt. 485. Libri: *ego et.*

ractatam et ludificatam, ingenuam et liberam?
c. Perii hercle: hic ad me recta habet rectam viam.
Metuo, illaec mihi res ne malo magno fuat:
Quantum hunc audivi facere verborum senem.
E. Accedam ad hominem. Tun', Sceledre, hic, scelerum caput,
Ieam ludificasti hospitam ante aedis modo?
c. Vicine, ausculta, quaeso. Pe. Ego auscultem tibi?
c. Volo me expurgare. Pe. Tune te expurges mihi,
ui facinus tantum tamque indignum feceris?
n, quia latrocinamini, arbitramini,
uidvis licere facere vobis, verbero?
. Licetne...? Pe. At ita me di deaeque omnes ament,
isi mihi supplicium virgeum de te datur
ongum diutinumque a mane ad vesperum:
uod meas confregisti imbrices et tegulas,
i dum condignam te sectatus simiam;
uodque inde inspectavisti meum apud me hospitem,
mplexam amicam quom osculabatur suam;
uod concubinam herilem insimulare ausus es
obri pudicam meque summi flagiti;
um, quod tractavisti hospitam ante aedis meas;
isi mihi supplicium stimuleum de te datur:
edecoris pleniorem herum faciam tuom,
uam magno vento plenum est undarum mare!
. Ita sum coactus, Periplectomene, ut nesciam
rum aequom postulare sit tecum prius;
si, si istaec non est haec neque haec est militis,
ed expurgare haec tibi videatur aequius;
ut etiam nunc nescio, quid viderim:
i istaec huius similis est nostrae tua,
quidem non eadem est. Pe. Vise ad me intro: iam scies.
. Licetne? Pe. Quin te iubeo; et placide noscita.
. Ita facere certum est. Pe. Heus, Philocomasium, cito
anscurre curriculo ad nos: ita negotium est.

503. Libri *virgarum*. Correxit Bentl. ad Terent. Ad. 4, 2, 52. 512, nos ad Amph. 140. Qui libris obtemperandum esse cen-, is certe versus gratia rescribet *de te virgarum*. 508. Vulgo: *iplexum*. 509. Ita Pal. Vulgo *Quodque*, numero quidem difficire. 512. Libri: *N. tibi s. st. datur*, vel *dedatur*, vel *deditur*. Itim emendavit l. l. Bentl. 516. V.: *Utrumne* (Pal. *Utrum me us tec. aequom siet.* (Pal. *equumst.*) 517. Sequ. hoc ordine lentur in MSS. Vulgo autem libri: — *neque ista sit mihi;* sed l. *n. istast. mihi*, in quo *militis* latere vidi, quod ipsa sibi sentia exposcit. Vulgo vers 518. praecedentem antecedit. 518. Vul-: *An me exp. hic t. v. ae.* Sed Pal.: *Me exp. haec.* etc. 522. Ita l. Vulgo: *at plac. n.*

Post, quando exierit Sceledrus a nobis, cito
Transcurrito ad vos rursum curriculo domum.
Nunc pol ego metuo, ne quid infuscaverit;
Si hic non videbit mulierem: aperitur dolus.
Sc. Proh di inmortales, similiorem mulierem
Magisque eandem, utpote quae non sit eadem, non reor
Deos facere posse. Pe. Quid nunc? Sc. Conmerui malum.
Pe. Quid igitur? ean' est? Sc. Etsi ea est: non est ea.
Pe. Vidistin' istam? Sc. Vidi et illam et hospitem,
Complexum atque osculantem. Pe. Ean' est? Sc. Nescio.
Pe. Vin' scire plane? Sc. Cupio. Pe. Abi intro ad vos domum
Continuo: vide, sitne istaec vostra intus. Sc. Licet.
Pulcre admonuisti. Iam ego ad te exibo foras.
Pe. Nunquam edepol hominem quemquam ludificarier
Magis facete vidi et magis miris modis.
Sed eccum egreditur. Sc. Periplectomene, te obsecro
Per deos atque homines perque stultitiam meam
Perque tua genua.... Pe. Quid obsecras me? Sc. Inscitiae
Meae et stultitiae ignoscas. Nunc demum scio,
Me fuisse excordem, coecum, incogitabilem:
Nam Philocomasium eccam intus. Pe. Quidnunc, furcifer?
Vidistin' ambas? Sc. Vidi. Pe. Herum exhibeas volo.
Sc. Meruisse equidem me maxumum fateor malum,
Et tuae fecisse me hospitae aio iniuriam;
Sed meam esse herilem concubinam censui,
Quoi me custodem herus addidit miles meus:
Nam ex uno puteo similior nunquam potis
Aqua aquai sumi, quam haec est atque ista hospita.
Et me despexe ad te per inpluvium tuom
Fateor .... Pe. Quidni fateare, egomet quod viderim?

534. Libri *Complexam*. Corr. Acidal. 537. Vulgo:
Cont., v. s. ista haec v. intus domum.
Sc. *Licet; pulchre* etc.
quorum versuum posterior est ὑπέρμετρος. Pal.: *sit ne ista hec domum uos tra intus licet*, et novo versu: *Pulchre* etc. Vides, vagari *domum*, ut solent glossemata. 554. Codex Ambros.: — — *viderim?*
Et ibi osculantem meum .... hos ....
Video ut videtur negem quo ....
Fort.: Sc. *Et ibi osculantem* ... Pe. *Meam* te vidisse *hos*pitam.
Sc. *Video — Videtur — Negitem*, *quod* confessus sim?
Sed Philocomasium etc. Ceterum vulgo v. 554.: *quidni fateare, ego quod videtur*, producta posteriore syllaba in *ego*, quod minus placet. Atqui Pal.: *quit ni fatear et ego et quod uiderit*, unde duplex aperitur via emendationis, ut vel scribamus *fateared*, ego q. v., vel: *fateare*, *egomet q. v.*

:. Sed Philocomasium me vidisse censui.
E. Ratusne istic me hominem esse omnium minumi preti,
i ego me sciente paterer, vicino meo
am fieri apud me tam insignite iniuriam?
:. Nunc demum a me insipienter factum esse arbitror,
uom rem cognosco; at non malitiose tamen
eci. Pe. Imo indigne: nam hominem servom suos
omitos habere oportet oculos et manus
rationemque. Sc. Ego nunc si post hunc diem
luttivero, etiam quod egomet certo sciam:
ato excruciatum me! egomet me dedam tibi!
unc hoc mi ignoscas, quaeso. Pe. Vincam animum meum,
e malitiose factum id esse abs te arbitrer.
noscam tibi istuc. Sc. At di tibi faciant bene!
. Nae tu hercle, si te di amant, linguam conprimes
osthac; etiam illud, quod scies, nesciveris;
e videris, quod videris! Sc. Bene me mones.
a facere certum est. Sed satine oratus's? —. Abit. —
umquid nunc aliud me vis? Pe. Ne me noveris. —
:. Dedit hic mihi verba! Quam benigne gratiam
ecit, ne iratus esset! Scio, quam rem gerat:
t miles, quom extemplo a foro adveniat domum,
omi conprehendat. Una hic et Palaestrio
e habent venalem; sensi et iamdudum scio.
unquam hercle ex ista nassa ego hodie escam petam:
am iam aliquo aufugiam et me occultabo aliquot dies,
am haec consilescunt turbae atque irae leniunt.
m nunc satis pipulo inpio merui mali. —
rum tamen, de me quidquid est, ibo hinc domum. —
:. Ille hinc abscessit. Sat edepol certo scio,
ccisam saepe sapere plus multo suem.
line inducatur, ne id, quod vidit, viderit?
m illius oculi atque aures atque opinio
ansfugere ad nos. Usque adhuc actum est probe:
mium festivam mulier operam praebuit.
deo in senatum rursus: nam Palaestrio
omi nunc apud me, Sceledrus nunc autem foras:
equens senatus poterit nunc haberier.
o intro: ne, dum absum, illis sortito fuam.

561. Ita Pal. Male edd.: *namque. nam* non eliditur. 569. Ita
l. Vulgo: *ament.* 572. *abit* vel *abiit* MSS. et vett. edd. Vulgo
ente versu: *oratus abis?* 586. MSS. et edd.: *Quod inadimitatur*
: Pal.), *Quod ei adimatur, Cum manducatur, ne id* etc. Sciopp.
sp. Lect. 5, 5.: *Cum inducatur.*

PALAESTRIO. PLEUSIDES. PERIPLECTOMENES.

PA. Cohibete intra limen etiam vos parumper, Pleusides. t. t. c. III, 1.
Sinite me prius perspectare, ne uspiam insidiae sient,
Concilium quod habere volumus: nam opus est nunc tuto loco,
Unde, inimicus ne quis nostras spolia capiat auribus:
Nam bene consultum consilium surpitur saepissume,
Si minus cum cura aut κατὰ λόγον locus loquendi lectus est:
Nam bene consultum inconsultum est, si inimicis sit usui,
Neque potest, quin, sid inimicis usui est, obsit mihi:
Quippe si resciverint inimici consilium tuom,
Tuopte tibi consilio occludunt linguam et constringunt manus,
Atque eadem, quae illis voluisti tu facere, faciunt tibi.
Sed speculabor: ne quis aut hinc a laeva aut a dextera
Nostro consilio venator adsit cum auritis plagis.
Sterilis hinc prospectus usque ad ultimam plateam est probe:
Evocabo. Heus, Periplectomene et Pleuside, progredimini!
PE. Ecce nos tibi obedientis. PA. Facile est imperium in bonis.
Sed volo scire, eodem consilio, quod intus meditati sumus,
Si gerimus rem. PE. Magis ad rem esse non potest utibilius.
PA. Imo quid tibi? PL. Quodne vobis placeat, displiceat mihi?
Quis homo sit magis mens quam vos? PE. Proloquere lepide et commode.

595. Vulgo *prospectari*, sed MSS. et vett. edd.: *perspectare, perspectari.* Pal.: *sinite me per prius spectari.* 597. Ante hunc versum ista leguntur in libris: *Unde inimicus ne quis nostris spolia capiat consiliis*, quae suppositicia esse, facile quisque intelligat. Hoc ipso versu libri *nostra.* 598. *consilium* MSS., *consultum* dant edd. vett., et legitur *surripitur*, minus quidem apte ad versum. Turbatus autem ordo horum versuum in libris, quem restituit Acidal. Divinatt. Plaut. p. 292. 599. *κατὰ λόγον.* MSS. latinis litteris, quibus exprimi in illis graeca solent, *catalogos, catalogo*, ut Pal., omisso *locus* propter similitudinem. Vulgo: — *cura aut cate locus loqu. l. e.* 601. vulgo legitur: *quin si id inim.* Pal.: *qui nisi inim.* Edd. vett.: *quin si inim.* 611. libri versu imperfecto: *utibile.* Est pleonasmus usitatus. 612. Libri immissa nota personae: *I. q. t., Pleusides?* 613. Vulgo: *Q. h. s. m. meus quam tu es?* PE. *loquere lep. et c.* Sed Pal.: — *magis me usquam us loqu. l. et c.* *Meus* alienum, siquidem in consiliis examinandis amicitia nihil ad rem facit, sed mens eius, quem consulimus. *Pro* in *Proloquere* raptum videtur ab antecedente nota personae. Necessarium tale quid versui explendo, et *proloqui* pro *loqui* passim hic usurpat.

ı. Pol ita decet hunc facere. Pl. At hoc me facinus misere macerat
:eumque cor corpusque cruciat. Pe. Quid id est, quod cruciat? cedo.
:. Me tibi istuc aetatis homini facinora puerilia
bicere, neque te decora neque tuis virtutibus;
ı te expetere: ex opibus summis mei te honoris gratia
ihique amanti ire opitulatum atque ea te facere facinora,
uae istaec aetas fugere facta mage quam sectari solet.
ım pudet tibi me in senecta obicere sollicitudinem.
ɛ. Novo modo tu, homo, amas, si quidem te quidquam, quod faxis, pudet. i. t.
ihil amas; umbra es amantum mage, quam amator, Pleusides. t. t. c.
:. Hanccine aetatem exercere med amoris gratia!
ɛ. Quid ais tu? itan' tibi ego videor oppido Acheruntieus?
ım capularis tamve tibi diu videor vitam vivere?
am equidem haud sum annos natus praeter quinquaginta et quatuor,
!are oculis video, sum pernix manibus, sum pede mobilis.
ı. Si albicapillus hic: videtur neutiquam ibi ingenium senex;
est in hoc amussitata sua sibi ingenua indoles. i. t.
:. Pol id quidem experior ita esse, ut praedicas, Palaestrio:
am benignitas quidem huius oppido adulescentuli est. t. t. c.
ɛ. Imo, hospes, mage quom periclum facies, mage nosces meam
ɔmitatem erga te amantem. Pl. Quid opus nota noscere?
ɛ. Ut apud ted exemplum experiundi habeas, ne quaeras foris.
am nisi qui ipse amavit, aegre amantis ingenium inspicit;
:d ego amoris aliquantum habeo humorisque etiam in corpore,

614. Libri *miserum*. 624. Vulgo: *H. a. e. me mei am. g.* Sed SS. non habent *mei*. 626. Libri *vita*. 628. Iidem *pedes*. 629. ılgo: *Si albus capillus hic vid., neut. ingenio est senex*. Pal.: *albi capillus hic v., ne usquam ibi ingenio senex*. Edd. autem imae: *ingenium senis*. *Albicapillus* dictum ut *atricapillus*, *atrilor*, *nigricolor*; *ingenium senex*, ut *senex memoria* apud Cic. sendum codd. Palat. et Gemblacensem, *fama anus* ap. Catullum, *ıes autumnos* ap. Martialem etc. 635. Vulgo: *ne petas foris*. d MSS. et vett. edd. *negis f.*, *ne eas f.*, *neges f.*, *non eges f.* ıtet aliquid, quod dum reperiatur, interim dedi *quaeras* foris :undum Lucret. 5, 544. 636. Ita Gruter. Vulgo *nisi* desideratur. ?. Vulgo: *Et ego am. aliquantulum h. humorisque meo etiam in* *-p.*, nullis quidem numeris et intruso interpretamento. Pal. *quantum*.

Neque dum exarui ex amoenis rebus et voluptariis,
Vel cavillator facetus vel conviva commodus
Item ero, neque ego unquam oblocutor sum alteri in convivio:
Incommoditate abstinere me apud convivas commode
Conmemini, et meae orationis iustam partem persequi,
Et meam partem itidem tacere, quom aliena est oratio.
Minume sputator, screator, sum, itidem minume muccidus:
Post Ephesum sum natus; non enim in Apulis, non Animulae.
Pl. O lepidum semisenem, si, quas memorat, virtutes habet,
Atque equidem plane educatum in nutricatu Venerio!
Pe. Plus dabo, quam praedicabo, ex me venustatis tibi.
Neque ego ad mensam publicas res clamo neque leges crepo,
Neque alienum ego unquam scortum subigito in convivio;
Neque praeripio pulpamentum neque praevorto poculum,
Neque per vinum unquam ex med oritur dissidium in convivio;
Si quis ibi est odiosus: abeo domum, sermonem segrego;
Venerem amorem amoenitatemque adcubans exerceo.
Pl. Tui quidem edepol omnes mores ad venustatem valent.
Cedo tris mi homines aurichalco contra cum istis moribus!
Pa. At quidem, illuc aetatis qui sit, non invenies alterum
Lepidiorem ad omnes res, nec, qui amicus amico sit magis.
Pe. Tute me ut fateare faciam esse adulescentem moribus:
Ita apud omnes conparebo tibi res benefactis frequens.
Opusne erit tibi advocato tristi, iracundo? Ecce me.
Opusne leni? Leniorem dices, quam mutum est mare;
Liquidiusculusque ero, quam ventus est favonius.
Vel hilarissumum convivam hinc indidem expromam tibi,
Vel primarium parasitum atque obsonatorem optumum;
Tum ad saltandum non cinaedus malacus aeque est atque ego.
Pa. Quid ad illas artis optassis, si optio eveniat tibi?
Pl. Huic pro meritis ut referri pariter possit gratia

645. Vulgo: *Post Ephesi sum nat., non in Apulis, non sum in Umbria.* MSS.: *non enim in apulis, non suminimula. Animulae* legendum esse vidit Sciopp. *Festus: Animula urbs parvarum opum in Apulia.* 646. *semisenem* fere MSS. et edd. vett., vel *semi semne*, ut Pal., *semiseneum* etc. Vulgo *senicem*, vacillante versu. 647. Libri *eductum*, item hiante versu, nisi scribas *planed.* 649. Versus petitus ex Servio pag. 220. et Festo v. Vesperna. 655. Vulgo: *ex me exoritur.* Pal.: *ex mea ex.* Vett. edd.: *ex me oritur.* 668. Vulgo *Huius*, quod sequenti *Tibique* minus convenit.

Tibique, quibus nunc me esse experior summae solicitudini.
At tibi tanto sumtui esse, mihi molestum est. Pe. Morus es:
Nam in mala uxore atque inimico si quid sumas, sumtus est;
n bono hospite atque amico quaestus est, quod sumitur,
Et quod in divinis rebus sumas, sapienti lucro est.
Deum virtute adeuntem hospitio accipere apud me copia est.
Es, bibe, animo obsequere mecum atque onera te hilaritudine!
Liberae aedes, liber sum autem ego: me volo uti libere.
Nam mihi deum virtute, dicam, propter divitias datas
licuit uxorem dotatam genere summo ducere;
ed mihi nolo oblatratricem in aedis intromittere.
Pl. Cur nevis? nam procreare liberos lepidum est opus.
Pe. Hercle vero liberum esse med, id multo est lepidius.
Pa. Tu homo et alteri sapienter potis es consulere et tibi.
Pe. Nam bona uxor, si ea quidem deductu est usquam gentium:
Ubi eam possiem invenire? Verum egon' eam ducam domum,
Quae mihi nunquam hoc dicat: „Eme, mi vir, lanam, unde pallium
Malacum et calidum conficiatur tunicaeque hibernae bonae:
Ne algeas hac hieme" (hoc nunquam verbum ex uxore audias);
Verum, priusquam galli cantent, quae me somno suscitet,
Dicat: „Da mihi, vir, Calendis meam quod matrem iuverit;
Da, qui farcit; da, qui condit; da, quod dem Quinquatribus
Praecantatrici, coniectrici, hariolae atque haruspicae.
um piatricem clementer non potest quin munerem.
mpridem, quia nil abstulerit, suscenset ceraria.

674. Vulgo: *D. v. ut transeuntem hosp. accipiam ap. me est mitas.* Sed transeuntes nimirum non excipiuntur hospitio, expiuntur adeuntes. Atqui (scriptorum monstra ne commemorem) d. vett.: *D. v. ut euntem hosp. accipere* etc. Deinde *comitas* ntentiae non convenit, sed *copia*, nec raro, ut a et u, d et t, etiam m et p litterae commutatae inter se deprehenduntur MSS. Nam *copitas* a *copis* non legitur, quod sciam. 676. Lii ἀμέτρως: *Lib. sunt aedes.* 680. V. duriore numero: *non vis?* gitur quoque *onus*, quod emendavit Toup. Emendatt. in Suid. φυταλίζει. Cf. Truc. 439. 683. V. *deducta*, sed Pal. dilucide: *ductust.* 685. Libri ἀμέτρως: *unde tibi pall.* 690. V.: *farciat* (SS. et vett. edd. *faciat*), *condiat*, sententia parum apta. *Da, i farcit:* Da ei, q. f.

Tum obstetrix expostulavit mecum, sibi missum parum.
Quid? nutrici non missurus quidquam, quae vernas alit?
Flagitium est, si nil mittatur, quo supercilio spicit.
Haec atque huius similia alia damna multa mulierum
Med uxore prohibent, quae huius similis sermones serat.
PA. Di tibi propitii sunt hercle: nam si semel amiseris
Libertatem, haud facile te in eundem rursum restitues locum.
PL. At illaec laus est, magno in genere et in divitiis maxumis
Liberos hominem educare, generi monumentum et sibi.
PE. Quando habeo multos cognatos, quid opus sit mihi liberis?
Eos pro liberis habebo, qui mihi mittunt munera.
Nunc bene vivo et fortunate atque, ut volo, atque, animo ut lubet;
Bona mea cognatis in morte dicam, inter eos partiam.
Illi apud me edunt; me curant; visunt, quid agam, ecquid velim.
Priusquam lucet: adsunt; rogitant, noctu ut somnum ceperim.
Sacruficant? dant inde partem mihi maiorem, quam sibi;
Med ad exta abducunt; ad se ad prandium, ad coenam, vocant.
Ille miserrumum se retur, minumum qui misit mihi.
Illi inter se certant donis; egomet mecum mussito:
Bona mea inhient, dum certatim nutricent et munerent.
PA. Nimis bona ratione nimiumque ad te et tua multum vides,
Et tibi sunt gemini et trigemini, si te bene habes, filii.
PE. Pol, si habuissem, satis cepissem miseriarum liberis.
Continuo excruciarer animi, si forte invasset febris;
Censerem ecmori, cecidisset ne ebrius aut de equo uspiam:

696. Vulgo post 691 insertus legitur, ubi, quae mulier dicatur, nescias: nam ut quatuor ibi nominatae simul intelligerentur, scribendum erat *spiciunt*, quod a versu repudiatur. 698. V. *mihi quae*, sed *mihi* abest a primis edd. 699. Ἀμέτρως legitur: *nam si istam sem. am.* 704. v. post 708 legitur, minus quidem apto loco. Nec numeris sufficit vulgatum *habeo*. 706. Vulgo claudicante versu: *Mea bona mea morte cogn. dic.* V.: *ego haec mec. m.* Sed MSS.: *ego et*, h. e. *egomet*, quod ponendum vidit Acidal. Vett. edd.: *ego mec. muss.* 713. V.: *B. m. inhiant: cert. dona mittunt et munera*, in quibus nec metrum neque ipsa sententia apparet. MSS. et vett. edd.: *nutricunt*, ut Pal., vel *nutricant*. Lips. et Acidal.: *nutricant et munerant*. 715. Versus accessit e cod. Ambros. Mendose autem ibi legitur: *sin forte fuisset febris*. *Invasset*, invasisset, per syncopen, ut alibi *recesset* etc.

/etuerem, ne ibi defregisset crura aut cervices sibi.
'A. Huic homini dignum est divitias esse et diu vitam dari,
)ui et rem servat et qui bene habet, suisque amicis est volup.
L. O lepidum caput! Ita me di deaeque ament, aequom fuit,
eos paravisse, uno exemplo ne omnes vitam viverent,
icut merci pretium statui, pro virtute ut veneat,
uae inproba est, pro mercis vitio dominum pretio pauperet:
idem divos dispertisse vitam humanam aequom fuit;
ui lepide ingeniatus esset, vitam longinquam darent;
ui inprobi essent et scelesti, iis adimerent animam cito.
hoc paravissent, et homines essent minus multi mali,
t minus audacter scelesta facerent facta; et postea,
ui probi essent homines, esset his annona vilior.
ɛ. Qui deum consilia culpet, stultus inscitusque sit,
uique eos vituperet. Nunc iam istis rebus desisti decet:
ım volo obsonare: ut, hospes, tua te ex virtute et mea
eae domi accipiam benigne lepide et lepidis victibus.
.. Nil me poenitet, iam quanto sumtui fuerim tibi.
ım hospes nullus tam in amici hospitium devorti potest,
ıin, ubi triduom ibi continuom fuerit, iam odiosus siet;
rum ubi dies decem continuos illius iterasti domum:
metsi dominus non invitus patitur, servi murmurant.
. Servientis servitutem servos mi introduxi ego,
ıspes, non qui mi imperarent, quibus ego essem obnoxius.
illis aegre est, mihi quod volupe est: meo remigio rem gero;
men id, quod odio est, faciundum est cum malo atque ingratiis.
nc, quod occepi, obsonatum pergam. Pl. Si certum est tibi:
mmodulum obsona, ne magno sumtu: mihi quidvis sat est.
. Quin tu istanc orationem hinc veterem atque antiquam amoves?
m proletario sermone nunc quidem, hospes, utere:
m hi solent, quando adcubuere, ubi coena adposita est, dicere:
uid tibi hoc opus fuit sumtu tanto nostra gratia?
ısanivisti hercle: nam idem hoc hominibus sat erat decem."

721. MSS.: *amicis vult.* 739. V.: *cont. immorabitur.* Correxit eus secundum MSS. et edd. vett. 741. V.: *servitute.*

Sed iidem homines nunquam dicunt, quamquam adpositum est ampliter:
„Iube illuc demi! tolle hanc patinam! remove pernam: nil moror.
„Aufer illam offam penitam! probus hic conger frigidus:
„Remove! abi, aufer!“ Neminem eorum haec adseverare audias;
Sed procellunt se et procumbunt dimidiati, dum adpetunt;
Quod eorum causa obsonatum est, culpant et comedunt tamen.
Pl. Fit pol illuc ad illuc exemplum. Pa. Ut docte et perspecte sapit!
Bonus bene ut malos descripsit mores! Pe. Haud centesimam
Partem dixi atque, otium re si sit, possim expromere.
Pa. Igitur id, quod agitur, eii primum praeverti decet.
Nunc huc animum advortite ambo. Mihi opus est opera tua,
Periplectomene: nam ego inveni lepidam sycophantiam,
Qui admutiletur miles usque caesariatus, atque uti
Huic amanti ab Philocomasio hanc efficiamus copiam, ut
Hinc eam abducat habeatque. Pe. Dari istanc rationem volo.
Pa. At ego mi anulum dari istum tuom volo. Pe. Quam ad rem usui est?
Pa. Quando habebo: igitur rationem mearum fabricarum dabo.
Pe. Utere; accipe. Pa. Accipe a me rursum rationem doli,
Quam institui. Pe. Ambo perpurgatis tibi operam damus auribus.
Pa. Herus meus ita magnus moechus mulierum est, ut neminem
Fuisse adaeque neque futurum credam. Pe. Credo ego istuc item.
Pa. Itaque Alexandri praestare praedicat formae suam;
Itaque omnis se ultro sectari in Epheso memorat mulieres....
Pe. Edepol quin te de isto multi cupiant — non mentirier;
Sed ego, ita esse, ut dicis, teneo pulcre: proin, Palaestrio,
Quam potis, tam verba confer maxume ad conpendium.
Pa. Ecquam tu potes reperire forma lepida mulierem,

752 — 758. Vulgo hoc ordine leguntur: 757, 758, 752 — 756. 761. Vulgo: — *agitur hic, pr. p. d.* Sed aliquot scripti; *ag. et hic*, quod fuisse videtur *ag. eihi*, h. e. *eii*, ut h male inculcatum haud raro conspicitur in libris. 765. Vulgo: *H. a. ac Ph.* Vett. edd.: *ad Ph.* Sequor Pareum. 766. Libri *abeatque*. Cf. 930. 772. Libri: *idem*. 775. V.: *cupiunt*.

Quoi facetiarum cor corpusque sit plenum et doli?
Pe. Ingenuamne, an libertinam? Pa. Aequi istuc facio, dummodo
Eam des, quae sit quaestuosa, quae alat corpus corpore,
Quoique sapiat pectus: nam cor non potest, quod nulla habet.
Pe. Lautam vis, an, quae sit nondum lauta? Pa. Siccam, succidam,
Quam lepidissumam potes quamque adulescentem maxume.
Pe. Habeo eccillam meam clientam, meretricem adulescentulam.
Sed quid ea usus est? Pa. Ut ad ted eam iam deducas domum,
Itaque eam huc ornatam adducas in matronarum modum:
Capite comto; crinis vittasque habeat adsimuletque, se
Tuam esse uxorem. Ita praecipiendum est. Pe. Erro, quam insistas viam.
Pa. At scies. Sed ecqua ancilla est illi? Pe. Est primecata.
Pa. Ea quoque opus est: ita praecipito mulieri atque ancillulae,
Ut simulet, se tuam esse uxorem et deperire hunc militem;
Quasique hunc anulum faveae suae dederit, ea porro mihi:
Militi ut darem; quasique ego rei sim interpres. Pe. Audio. —
Nae me surdum verberabit. Pa. Tu te si audis: recta ego
Meis dabo; a tua mi uxore dicam delatum et datum:
Ut sese ad eum conciliarem. Ille eiusmodi est: cupiet miser,
Qui, nisi adulterio, studiosus re nullae aliae est, inprobus.
Pe. Non potuit reperire, si ipsi Soli quaerundas dares,
Lepidiores duas ad hanc rem, quamde ego. Habe animum bonum.
Pa. Ergo adcures et properes opus — Nunc tu ausculta, Pleusides.
Pl. Tibi sum obediens. Pa. Hoc facito. Miles domum ubi advenerit:
Memineris, ne Philocomasium nomines. Pl. Quam nominem?

780. *Aequi facio*, ut *parvi facio*, quod ipsum habent hoc loco rett. edd. Male legitur *Aeque*. 787. Libri corrupto metro: *add. natr. modo*. Correxit Acid. 790. V.: *scietis*. — *Est primaria*. MSS.: *Est primicata*. 793. Pessime edd., immisso glossemate: *faveae suae ancillae*. 795. Edd.: — *verbera*. Pa. *tu si audis*, *ego recte meis Dabo: a tua mihi* etc. MSS. *verberauit*, pro *verberabit*, h. e. per jocum: verbis ita obtundet, ut surdus fiam. 800. Hiulce libri: *quam*. 801. Vulgo *accurato et properato*. Sed MSS. et vett. edd.: *adcuras et properas*.

Pa. Glyceram. Pl. Nempe eandem, quae dudum constituta est. Pa. Pax, abi!
Pl. Meminero. Sed quid meminisse id referat, ego ted amem . . . .
Pa. Ego enim dicam tum, quando usus poscet: interea tace.
Ut nunc, etiam hic agit; actutum partis defendas tuas.
Pl. Ego eo intro igitur. Pa. I et praecepta sobrie ut cures face.

PALAESTRIO. LUCRIO.

Pa. Quantas res turbo! quantas moveo machinas! i. s. III, 2.
Eripiam ego hodie concubinam militi,
Si centuriati bene sunt maniplares mei.
Sed illunc vocabo. Heus, Sceledre, nisi negotium,
Progredere ante aedis: te voco, Palaestrio.
Lu. Non operae est Sceledro. Pa. Quid iam? Lu. Sorbet dormiens.
Pa. Quid? sorbet? Lu. Illud, stertit, volui dicere;
Sed quia, quom stertas, consimile est, quasi sorbeas.
Pa. Eho, an dormit Sceledrus intus? Lu. Non naso quidem:
Nam eo magnum clamat. Tetigit calicem clanculum.
Pa. Dormit? Lu. Ita: nardini amphoram, cellarius.
Pa. Eho, tu sceleste, qui illi suppromus's, eho!
Lu. Quid vis? Pa. Qui lubitum est illi condormiscere?
Lu. Oculis, opinor. Pa. Non te istuc rogito, scelus.
Procede huc iam! Periisti, nisi verum scio!
Promsisti tu illi vinum? Lu. Non promsi. Pa. Negas?
Lu. Nego hercle vero: nam ille vetuit dicere.
Neque equidem heminas octo expromsi in urceum,
Neque illic calidum exbibit in prandium.
Pa. Neque tu bibisti? Lu. Di me perdant, si bibi,
Si bibere potui. Pa. Quid iam? Lu. Quia enim obsorbui:
Nam nimis calebat, amburebat gutturem.
Pa. Alii ebrii sunt, alii poscam potitant!
Bono suppromo et promo cellam creditam!
Lu. Tu idem hercle faceres, si tibi esset credita.

805. Sententia nulla legitur: — *refert? ego te tamen. amem,* orem, ut mihi dicas. Interrumpit eius orationem, quid velit, suspicatus, servulus. 811. Libri ἀμέτρως: *manipulares.* 819. V.: — *clanculum. Demisit nard. unam amph. cell.* Sed vet. cod. Camerar: *dormis ita arcliminam phoram c.* Decurt.: *Domi sitamardimi nam amph. c.* 825. V.: *ille me vet.*, scabro quidem numero. Camerarii vet. cod.: *ille metuit.*

Quoniam aemulari non licet: nunc invides.
Pa. Eho, an nunquam promsit antehac? responde, scelus!
Atque, ut tu scire possis, edico tibi:
Si falsa dixis: nae otio excruciabere!
Lu. Ita vero? Ut tu ipse me dixisse delices,
Postea sagina ego eiciar cellaria;
Ut tibi, si promtes, alium suppromum pares.
Pa. Non edepol faciam: age, eloquere audacter mihi.
Lu. Nunquam edepol vidi promere; verum hoc hac erat.
Mihi imperabat; ego promebam postea.
Pa. Ain', inlecebra? Capite sistebant cadi?
Lu. Non hercle: tam istic valide casabant cadi,
i in cella paulo erant nimis loculi lubrici.
bi erat bilibris aqualis sic propter cados;
a saepe decies conplebatur de die.
Pa. Eam plenam atque inanem fieri? Lu. Maxume.
Ibi bacchabatur aula: casabant cadi.
Pa. Abi, abi intro iam. Indu cella vos vinaria
acchanal facitis: iam hercle ego herum adducam a foro. —
Lu. Perii, excruciabit me herus, domum si venerit,
uom haec facta scibit, quia sibi non dixerim!
ugiam hercle aliquo atque hoc in diem extollam malum.
e dixeritis, obsecro, huic, vostram fidem.
Pa. Quo te agis? Lu. Missus sum alio. Iam huc revenero.
Pa. Quis misit? Lu. Philocomasium. Pa. Abi. Actutum redi.
Lu. Quaeso tamen, tu partem infortuni meam,
i dividetur, me absente accipito tamen.
Pa. Modo intellexi, quam rem mulier gesserit.
uia Sceledrus dormit: hunc subcustodem suom
oris ablegavit, dum eapse huc transiret. Placet.
ed Periplectomenes, quam ei mandavi, mulierem
imis lepida forma ducit. Di hercle hanc rem adiuvant.
uam digne ornata incedit, haud meretricie!
epide hoc succedit sub manus negotium.

837. V.: — *dixis cocio excr.* MSS.: d. *votio* (vel *notio*) *excr.* 9. V.: *eiiciar.* MSS. *eicia.* 840. V.: *Ut t., qui promat.* MSS.: *t t., si promptis*, vel *proptis*, ut Pal: 841. V.: *a., loquere.* MSS. *gete loqu.* 844. V.: *Hui, illecebrose.* MSS. *Hic illecebro* (vel *illi lebro*, ut Pal.) *c. sistebat* (Pal., ut vulgo: *sistebas*) *cadi* (v. *caim*). 845. V.: *istoc.* 846. V.: *Sed in c. est paulum nimis l. l.* MSS. *it*, edd. vett. *erat*, pro *est.* 847. V. *hic* pro *sic.* 849. V.: *fieri axumam Vidi. bacch. hama, cas. c.* Pal.: *maxuma. ubi b. auia ssabat c. Ubi* et *auia*, h. e. aula, etiam vett. edd. 851. V. pessimis numeris: *A., a. i. iam, vos in cella vin.* 857. V. *Quo tu gis?* Iunt. Ald.: *te.* 859. Offendit bis illatum *tamen.* Fort.: *uaeso interim tu partem* etc. 863. Ita vett. edd. Vulgatae et SS. *dum ab se.*

PERIPLECTOMENES. ACROTELEUTIUM. MILPHIDIPPA. PALAESTRIO.

Pe. Rem omnem, Acroteleutium, tibi tibique una, Milphidippa, i. t. c. III, 3.
Domi demonstravi ordine. Hanc fabricam fallaciasque
Minus si tenetis: denuo volo percipiatis plane.
Satis si intellegitis: aliud est, quod potius fabulemur.
Ac. Stultitia atque insipientia haec et falsa falsitas sit,
Me ire in opus alienum aut tibi meam operam pollicitari,
Si ea in opificina nesciam aut mala esse aut fraudulenta.
Pe. At melius est monerier. Ac. Meretricem commoneri,
Quam sane magni referat, mihi clam est! Quid? egone frustra,
Postquam adbibere aures meae tuam moeram orationis,
Tibi dixi, miles quemadmodum potis esset deasciari?
Pe. At nemo solus satis sapit: nam ego multos saepe vidi
Regionem fugere consili prius, quam repertam habere.
Ac. Si quid faciundum est mulieri male atque malitiose:
Sibi inmortalis memoria est meminisse et sempiterna;
Sin bene quid aut fideliter faciundum est: eo deveniunt,
Obliviosae extempulo ut fiant, meminisse nequeunt.
Pe. Ergo istuc metuo, quod venit vobis faciundum utrumque:
Nam id proderit mihi, militi male quod facietis ambae.
Ac. Dum ne inscientes quod bonum faciamus: ne formida.
Mala nulla meretrix (ne pave), peiora ubi conveniunt.
Pe. Ita vos decet. Consequimini. Pa. Cesso illis obviam ire?
Venire salvom gaudeo. Lepide hercle ornatus cedis.
Pe. Bene opportuneque obviam es, Palaestrio. Hem, tibi adsunt,
Quas me iussisti adducere et quo ornatu! Pa. Eu, noster esto!
Palaestrio Acroteleutium salutat. Ac. Quis hic, amabo, est,
Qui tam pro nota nominat me? Pe. Hic noster architectust.
Ac. Salve, architecte. Pa. Salva sis. Sed dic mihi, ecquid hic te

872. V. secundum Camerarium: *St. a. ins. insulsa atque maxuma haec sit.* MSS.: *Stultitiaque insipientiam falsa hesit* (Pal. *falsta haesit*). Edd. vett. *St. a. ins. sit.* 876. Insulse libri: *quin ego me frustro.* Pal.: quin *egom fustro.* 877. *moeram*, partem. Cf. Asin. 496 seqq. Graeca vox Graeculam decet, nec talibus abstinet hic noster. V. *moram.* 880. Ita MSS. Vulgo: *habuere.* 882. V.: *Ea sibi imm.* 889. V.: *Cesso ego i. o. i.* 890. Ita MSS., nisi quod et ii: *incedit.* V.: *lepido h. ornatu incedit.* 892. Ita Pal. V.: *Heus, n. e.*

)neravit praeceptis? Pe. Probe meditatam utramque duco.
'a. Audire cupio, quemadmodum: ne quid peccetis, paveo.
'e. Ad tua praecepta de meo nihil his novom adposivi.
\c. Nempe ludificari militem tuom herum vis? Pa. Elocuta es.
ic. Lepide et sapienter, commode et facete, res parata est.
'a. Atque huius uxorem esse te volo adsimulare.... Ac. Fiat.
'a. Quasi militi animum adieceris, simulare .... Ac. Sic futurum est.
'a. Quasique haec res per me interpretem et tuam ancillam ei geratur ....
\c. Bonus vates poteras esse: nam, quae sunt futura, dicis.
'a. Quasique anulum hunc ancillula tua abs te detulerit ad me,
Quem nunc ego militi darem tuis verbis. Ac. Vera dicis.
'e. Quid istis memoratis opust, quae conmeminere? Ac. Meliust:
Nam, mi patrone, hoc cogitato: ubi probus est architectus,
Bene lineatam si semel carinam conlocavit,
Facile esse navem facere, ubi fundata et constituta est.
Nunc haec carina satis pro re fundata et bene statuta est;
\dsunt fabri architectique a te, a med, haud inperiti;
Si non nos materiarius remoratur, quod opus, qui det:
(Novi indolem nostri ingeni) cito erit parata navis.
'a. Nempe tu novisti militem, meum herum? Ac. Rogare mirum est.
Popli odium quidni noverim, magnidicum, cincinnatum,
Moechum unguentatum? Pa. Num ille te nam novit? Ac. Nunquam vidit:
Qui noverit me, quis ego sim? Pa. Nimis lepide fabulare.
Eo potis est, rem lepidius pol fieri. Ac. Potin', ut hominem
Mihi des, quiescas cetera? Ni ludificata lepide
Ero: culpam omnem in me inponito. Pa. Age igitur, intro abite!
Insistite hoc negotium sapienter! Ac. Alia cura.
Pa. Age, Periplectomene, has nunc iam duc intro; ego ad forum illum

898. Male libri: *At.* 903. V. deest *ei.* Sed vet. cod. Camerar.: *nc. eieceratur.* 906. V.: *Q. ego mil. d. t. v.* Sed idem cod.: *Quaem ego* etc. h. e., ni fallor, *Quem nō (nunc) ego* etc. Id *nunc* vulgo egitur sequente versu, quem onerat. 907. V.: *Quid istis nunc nem.* v. annot. praecedens. 912. Sic fere MSS. V.: *a me, a te,* 917. Ita Pal. V. *κακομέτρως*: *ille etiam te novit?* 919. V.: *Eo potuerit lep. p. f.* MSS. *Eo potiuerim l. p. f.* Vett. edd.: *Eo poterit verum l. p. f.* 921. Ita Pal. et edd. vett. V.: *Agite.*

Conveniam atque illi hunc anulum dabo atque praedicabo
A tua uxore esse mihi datum, eamque illum deperire.
Hanc ad nos, quom extemplo a foro veniemus, mittitote,
Quasi clanculum ad me missa sit. Pe. Faciemus: alia cura.
Pa. Vos modo curate: ego illunc probe iam oneratum huc adciebo.
Pe. Bene ambula; bene rem gere! At ego hoc si ecficiam plane,
Ut concubinam militis meus hospes habeat hodie
Atque hinc Athenas avehat, si hodie hunc dolum dolamus,
Quid tibi ego mittam muneris? Ac. Datne eapse mulier operam?
Pa. Lepidissumam et comissumam. Ac. Confido, confuturum.
Ubi facta erit conlatio nostrarum malitiarum:
Haud vereor, ne nos subdola perfidia pervincamur.
Pe. Abimus ergo intro, haec uti meditemur cogitate:
Ut adcurate et commode hoc, quod agendum est, exsequamur:
Ne quid, ubi miles venerit, titubetur. Ac. Tu morare.

PYRGOPOLINICES. PALAESTRIO.

Py. Volup est, quod agas, si id procedit lepide et ex sententia. t. t. c. IV, 1.
Nam ego hodie ad Seleucum regem misi parasitum meum:
Ut latrones, quos conduxi, hinc ad Seleucum duceret,
Qui eius regnum tutarentur, mihi dum fieret otium.
Pa. Quin tu tuam rem cura potius, quam Seleuci: quae tibi
Conditio nova luculenta fertur per me interpretem.
Py. Imo omnis res posteriores pono atque operam do tibi.
Loquere: auris meas profecto dedo in ditionem tuam.
Pa. Circumspicedum, ne quis nostro hic auceps sermoni siet:
Nam hoc negoti clandestino ut agerem, mandatum est mihi.

926. V. *mittito tu.* 928. Ita Pal. et vett. edd. V. minus expedito versu: *accibo.* 929. V.: *egone.* Vett. edd.: *ego.* 931. V. *habeat.* Correxit Douza. 932. V.: D. *ab se.* Sequor Acidalium. 936. V. *Abeamus.* Sed Palatt. *Habemus*, MS. Meurs. *Abimus.* 937. v. post sequentem ponitur, recte vetante J. Gul. Quaest. in Mil. c. 5. 547. Libri nulli numeris *Circumspicitodum.*

Y. Nemo adest. Pa. Hunc arrhabonem amoris primum a me accipe.
Y. Quid hic? unde est? Pa. A luculenta atque a festiva femina,
uae te amat tuamque expetissit pulcram pulcritudinem.
ius nunc mi anulum ad te ancilla porro ut deferrem dedit.
Y. Quid? ean' ingenua, an festuca facta e serva libera est?
A. Vah,
gone ut ad te ab libertina esse auderem internuntius,
ui ingenuis satis responsare nequeas, quae cupiunt tui?
Y. Nuptan' ista, an vidua? Pa. Et nupta et vidua. Py. Quo pacto potis
idua et nupta esse eadem? Pa. Quia adulescens nupta est cum sene.
Y. Euge! Pa. Lepida et liberali forma est. Py. Cave mendacium.
A. Ad tuam formam illa una digna est. Py. Hercle pulcram praedicas.
ed quis ea est? Pa. Senis huius uxor Periplectomeni in proxumo.
a demoritur te atque ab illo cupit abire: odit senem;
unc te orare atque obsecrare iussit, ut tui copiam
bi potestatemque facias. Py. Cupio hercle equidem, si illa volt.
A. Quin cupit. Py. Quid illa faciemus concubina, quae domi est?
A. Quin tu illanc iube abs te abire, quo lubet: sicut soror
ius huc gemina venit Ephesum et mater arcessuntque eam.
Y. Ain' tu? advenit Ephesum mater huius? Pa. Aiunt, qui sciunt.
Y. Hercle occasionem lepidam, ut mulierem excludam foras.
A. Imo vin' tu lepide facere? Py. Loquere et consilium cedo.
A. Vin' tu illam actutum amovere, a te ut abeat per gratiam?
Y. Cupio. Pa. Tum te hoc facere oportet. Tibi divitiarum adfatim est:

964. Libri: *Quae cupit.*

Iube, sis, aurum atque ornamenta, quae illi instruxisti, sibi
Dono habere, auferred abs te, quo sibi lubeat, mulierem.
Py. Placet, ut dicis. Sed, ne istanc amittam et haec mutet fidem,
Vide modo. Pa. Vah, delicatus! quae te tamquam oculos amet!
Py. Venus me amat. Pa. St, tace: aperitur foris: concede huc clanculum:
Haec celox illius, quae huc egreditur internuntia.
Py. Quae haec celox? Pa. Ancillula illius est, quae huc egreditur foras,
Quae anulum istunc attulit, quem tibi dedi. Py. Edepol haec quidem
Bellula est. Pa. Pithecium haec est prae illa et spinturnicium,
Viden' tu illam oculis venaturam facere atque aucupium auribus?

MILPHIDIPPA. PYRGOPOLINICES. PALAESTRIO.

Mi. Iam est ante aedis circus, ubi sunt ludi faciundi mihi. t. t. c. IV, 2.
Dissimulabo, hos quasi non videam neque esse hic etiamdum sciam.
Py. Tace: subauscultemus, ecquid de me fiat mentio.
Mi. Numquisnam hic prope adest, qui alienam potius curet quam suam rem? t. t.
Qui aucupet me, quid agam? qui de vesperi vivat suo? t. t. c.
Eos nunc homines metuo mihi, ne obsint neve obstent uspiam.
Domo si bitat, dum huc transibit, quae huius cupiens corporist,
Quae amat hunc hominem nimium lepidum et nimia pulcritudine,

972. seqn. Vulgo: *I. sibi a. a. o., q. i. instruxisti mulieri, D. hab. auferreque abs te quo lubeat sibi*, quorum versum posterior mancus est. Pal.: *I. s.* (cdd. vett. *sis*) *a. a. o., q. i. instruxit, m. D. hab. auferet a. te quod iubeat sibi.* Mediol. anni 1500. Iunt. Ald.: *mulierem.* 976. V. corruptis numeris: *aperiuntur fores.* Pal.: *foris*, et sic passim Comicus. Pro *st* Pal. *ast*, sed recte se illud habere puto. 977. V.: *illius est*, sed copula aberat a vetere codice Camerariano. 988. V.: *D. si ibit, ac dum* etc. Pal.: *Domus ibit ac d.*

/ilitem Pyrgopolinicem. Py. Satin' haec quoque me deperit?
/Ieam laudat speciem. Edepol huius sermones cinerem haud quaeritant.
'A. Quo argumento? Py. Quia enim loquitur laute et minume sordide.
'A. Quidquid istaec de te loquitur, nihil attrectat sordidum.
'y. Tum autem illa ipsa est nimium lepida nimisque nitida femina.
Iercle vero iam adlubescit primulum, Palaestrio.
'A. Priusne, quam illanc oculis tuis vides? Py. Atqui adcredo tibi,
'um haec locuta illâ autem absente subigit se ut amem. Pa. Hercle hanc quidem
[il tu amassis: mi haec desponsa est. Tibi si illa hodie nupserit:
;go hanc continuo uxorem ducam. Py. Quid ergo hanc dubitas conloqui? i. t.
A. Sequere hac me ergo. Py. Pedisequos tibi sum.
Ii. Utinam, quoius causa egressa as. t. d. i. d. c.
um foras, mihi conveniundi eveniat potestas! Pa. Escit,
:t tibi exoptatum obtinget. Bonum habe animum! ne formida:
Iomo quidam est, qui scit, quod quaeris, ubi sit. Mi. Quem ego hic audivi?
'A. Socium tuorum conciliorum et participem consiliorum.
Ii. Tum pol ego id, quod celo, haud celo. Pa. Imo etiam sic non celas.
Ii. Quo argumento? Pa. Infidos celas; ego sum tibi fide firma.
Ii. Cedo signum, harunc si es Baccharum. Pa. Amat mulier quaedem quendam.

993. Hic versus accessit ex codice Pal., ubi sic se habet: *Quid d ista haec de te l., n. a. sordide.* 995. V.: *oculis?* Py. *tuis vieo id quod credo tibi.* Pal.: — *oc. tuis.* Py. *uideo ut quod cr. t.* ant. Ald.: *oc. tuis vides?* Py. *video id q. c. t.* 997. V.: *illam utem absentem sub. me ut a.* MSS. praeter Pal.: *illa.* *Se* posui, e dubitari posset, utram harum mulierum amare se miles diceet, cum utriusque fecerit mentionem. 1000. Haec usque ad fiem scenae digessit Reizius apud G. Hermannum in libro de me-is Graec. et Rom. pp. 391 seqq. 1001. V.: *Erit et tibi exopt.* etc. ersus requirit antiquam formam *Escit*, quae superest apud Luretium, de qua vid. inprimis Dacer. ad Festum. 1004. Ita Pal., isi quod et ipse habet *part. consiliarium*, ut vulgus librorum, uod metro haud convenit. V. autem: *Soc. t. consiliorum.* 1005. ulgo: *etiamsi.* Pal. et vett. edd.: *etiam sed.* *Sed, si, sic* saeius confusa.

Mi. Pol quidem istuc multae. Pa. At non multae de digito donum mittunt.
Mi. Enim cognovi nunc: fecisti modo mi ex proclivo planum.
Sed hic numquis adest? Pa. Vel adest, vel non. Mi. Cedo te mihi solae solum.
Pa. Breven' an longinquo sermone? Mi. Tribus verbis. Pa. Iam ad te redeo.
Py. Quid? ego hic adstabo tantisper cum hac forma et factis sic, sic
Frustra? Pa. Patere atque adsta: tibi ego hanc do operam. Py. Properadum: excrucior.
Pa. Pedetentim haec tu scis tractare solere hasce huiusmodi mercis.
Py. Age, age, ut tibi magis concinnum est! Pa. Nullum hoc stolidius saxum. —
Redeo ad te. Quid me voluisti? Mi. Quo pacto hoc Ilium aperit,
Velim te ferre ad me consilium. Pa. Hunc quasi depereat . . . . Mi. Teneo istuc.
Pa. Conlaudato formam et faciem, et virtutes conmemorato.
Mi. Ad eam rem habeo omnem aciem, tibi uti iamdudum demonstravi.
Pa. Cetera tu coram et contempla et de meis venatòr verbis.
Py. Mihi partem hodie operae des denique! Iam tandem ades eloco! Pa. Adsum:
Impera, si quid vis. Py. Quid illaec narrat tibi? Pa. Lamentari
Ait illanc miseram, cruciari et lacrumantem se adflictare:
Quia tis egeat, quia te careat. Ob eam rem huc ad te missa est.
Py. Iube adire. Pa. At scin', quid tu facias? Face te fastidi plenum,
Quasi non lubeat. Me inclamato: quia sic te volgo volgem.
Py. Memini et praeceptis parebo. Pa. Voco ergo hanc, quae te quaerit?

1009. V.: *ex pr. palam rem.* Correxit Guilelm. Quaest. in Mil. c. 3. 1011. V. difficiliore numero: *Brevin'.* 1012. V.: *factis sic frustra.* Pal.: *fact. si sic fr.* 1013. V,: *properando excr.* Correxit Colv. 1014. Putide vulgati libri: *tractari ita sol. Ita* neque in Pal. neque in vett. edd. legitur. 1015. *magis.* V.: *maxume*, quo metrum pessumdatur. Iunt. Ald. *concinnius*, quod glossema mihi videtur τȢ *magis* concinnum. 1016. sequ. Pal.: *quo p. hoccili. um apeli, Vaelistt fero ad te cons.* V.: *q. p. hoc dudum accepi, Istuc fero ad te cons. Aperit*, aperitur, armis. 1019. *iam* habet Pal., quod a vulgatis libris abest, non sine detrimento versus.

?y. Adeat, si quid volt. Pa. Si quid vis, adi, mulier! Mi. Pulcer, salve.
?y. Cognomentum conmemoravit meum. Di tibi dent, quae optes.
Mi. Tecum aetatem exigere ut liceat .... Py. Nimium optas. Mi. Non me dico;
ed heram meam, quae te demoritur. Py. Multae aliae item istuc cupiunt,
)uibus non copia. Mi. Haud ecastor mirum, si te habes carum,
Iominem tam pulcrum et praeclara virtute et forma et factis,
[eus,
'ignior fuit quisquam, homo qui esset? Pa. Non hercle humanust ergo:
am volturio plus humani, credo, est. Py. Magnum me faciam
unc: quoniam illaec me conlaudat. Pa. Viden' ignavom, ut sese infert? —
uin tute huic responde! Haec illaec ab illac est, quam dudum ....
r. Qua ab „illac" nam? Ita mi occursant multae: meminisse haud possum. Mi. Ab
la, quae digitos despoliat suos et tuos digitos decorat:
am anulum hunc ab tui cupiente istac detuli huiic. Py. Porro
iid nunc tibi vis, mulier, memora. Mi. Ut, quae te cupit, eam ne spernas,
iae per tuam nunc vitam vivit? Sit, nec sit, spes in te uno est.
:. Quid nunc volt? Mi. Te conpellare et conplecti et contrectare.
im nisi tu illi fers suppetias: iam illa animum despondebit.

1029. Edd. horrido numero: *Meum cognom. quis comm.* Nec l. nec vett. edd. agnoscunt *quis.* 1031. V.: *idem.* 1032. Sic SS. et vett. edd. V. *habeas.* 1034. V. *Ecquis dignior* etc. Sed , et vett. edd.: *Heus dign.* V. quoque *humanum est.* Rectius, :o, est *humanust*, humanus est. 1036. V. *inferat.* Correxit Aci- . 1038. V.: *Quanam ab illarum? nam ita me* etc. Pal.: *Qua.* .t. edd.: *illa.* 1040. V.: *cup. huc det. huic, qui porro.* Py. *Quid* ıc etc. Sed MSS.: *cupientis huc d. h. porro Quid n.*, nec *qui* ıd habent vett. edd. 1042. V. *ἀμέτρως: sit nec ne sit.* Camera- cod. antiquior et vett. edd. ita, ut nos. 1044. Itidem *ἀμέτρως* ·i glossemate: *illam pulchram.* V. quoque: *pulchre.* Sequor t Ald.

Age, mi Achilles, fiat, quod te oro! serva pulcram, pulcer!
Exprome ingenium benignum ex te, urbicape, occisor regum! Py. Heu
Hercle odiosas res! quotiens hoc tibi, verbero, ego interdixi,
Meam ne volgo polliciteris sic operam? Pa. Audin' tu, mulier?
Dixi hoc tibi dudum et nunc dico: ni huic verri adfertur merces,
Non hic suo seminio porculam quamquam inpartiturust.
Mi. Dabitur, quantum ipsus preti poscet. Pa. Talentum huic Philippum opus auri est.
Minus ab nemine accipiet. Mi. Heu ecastor nimis vilist tandem!
Py. Non mihi avaritia unquam innata est: satis habeo divitiarum:
Plus mihi mille auri est modiorum Philippei. Pa. Praeter thesaurum.
Tum argenti hic montis, non massas, habet. Aetna non aeque altus.
Mi. Ecastor periurum! Pa. Ut ludo? Mi. Quid ego? ut sublecto os? Pa. Scite.
Mi. Sed, amabo, actutum me mitte. Pa. Quin tu huic respondes aliquid,
Aut facturum, aut non facturum? quid miseram illam animi excrucias,
Quae male de te merita est nunquam? Py. At iube eampse exire huc ad nos.
Dic me, quae volt, facturum omnia. Mi. Facis nunc, ut facere aequom,
Quom, quae te volt, eandem tu vis.... Pa. Non hoc insulsum ingenium!
Mi. Quomque oratricem haud sprevisti, sistique exorari ista. —
Quid est? ut ludo? Pa. Nequeo hercle equidem risu meo moderari.

1046. Male edd.: *tete*, quod versus respuit. Pro *Heu* Pal. *Eu*. 1049. V. *nisi*. Correxit Reizius. 1052. Pal.: *Eu*. 1053. Ita Pal. Iunt. Ald. Vulgati libri: *satis est div.*, hiante quidem versu. 1055. Ἀμέτρως libri: *Aetna mons n. a. a.* 1056. V. perversis numeris: *Heu* (Pal. *Eu*) *ecast. hominem peri.* 1061. V. versu excrescente: *non hic ins. habet ing.* Pal.: *non hoc ins. hinc ing.*, cum scribere vellet, ut opinor, librarius *hingenium*. 1062. Libri: *Q. me or. h. sp.*, *siuistique* (MSS. *sistique*) *ex. ex te* (MSS. *ixste.*) 1063. V. *quidem* et *me admoderarier*. Pal. et vett. edd. *meo moderarier*. Correxerunt Acidal. et Hermann.

› eam causam huc abs te avorti. Py. Non edepol tu scis, mulier,
ıantum ego honorem nunc illi habeo. Mı. Scio et istuc illi dicam.
..Contra auro alii hanc vendere potuit operam. Mı. Istuc pol tibi credo.
. Meri bellatores gignuntur, quas hic praegnatis fecit
pueri annos octingentos vivont. Mı. Vae tibi, nugator!
. Quin mille annorum perpetuo vivont ab seclo ad seclum. —
.. Eo minus dixi, ne haec censeret me advorsum se mentiri.
r. Perii, quot hic ipse annos vivet, quoius fili tam diu vivont?
·. Postriduo ego sum natus, mulier, quam Iupiter ex Ope natust.
.. Pridie si hic natus foret, quam ille est: hic haberet regnum in coelo.
r. Iam, iam sat, amabo, est: sinite abeam, si possum, viva a vobis!
.. Quin ergo abi, quando responsum est. Mı. Ibo atque illam huc adducam,
ıam propter mi opera est. Numquid vis? Py. Ne mage sim pulcer, quam sum:
ı me forma habet sollicitum. Pa. Quid hic nunc stas? quin abi! Mı. Abeo.
.. Atque adeo (audin'?) dicito docte et cordate. Mı. Ut cor ei saliat.
.. Philocomasio dic, si est hic, domum ut transeat: hunc hic esse.
r. Hic est cum hera; clam sermonem hunc nostrum sublegerunt.
. Lepide factum est: iam ex sermone hoc gubernabunt doctius porro.
r. Remorare: abeo. Pa. Neque te remoro neque te tago neque te — Taceo.
·. Iube maturate illam exire huc:-iam isti re praevortemur.

1067. V., minus ex usu vetere, *praegnantes.* 1075. Libri hic 1077 *ἀμέτρως: abis.* 1077. Iidem: *me mea forma*, hoc quoque rupto versu. 1078. Male vulgo: *audin' tu?* 1080. V.: H. *cum a hera est.* MSS. et vett. edd. pronomen non agnoscunt. 1082. *porro Rem. Mı. me morare. Pa. abeo.* Sequor vett. edd. Proıa sic se habent in vulgatis exemplaribus: *neque te moror, ne·t te tango neque te. taceo.* Pal.: *neque remoro* (edd. vett *remo·*) etc.

Quid mihi nunc auctor, ut faciam, es, Palaestrio,
De concubina? nam potest nullo prius
Pacto haec in aedis recipi, quam illam amiserim.
Pa. Quid me consultas, quid agas? Dixi equidem tibi,
Quo id pacto fieri possit clementissume.
Aurum atque vestem muliebrem omnem habeat sibi,
Quae illi instruxisti; sumat, habeat, auferat;
Dicasque, tempus maxumum esse, ut eat domum:
Sororem geminam adesse et matrem dicito,
Quibus concomitata recte deveniat domum.
Py. Qui tu scis, eas adesse? Pa. Quia oculis meis
Vidi hic sororem esse eius. Py. Convenitne eam?
Pa. Convenit. Py. Ecquid fortis visa est? Pa. Omnia
Vis obtinere. Py. Ubi matrem esse aiebat soror?
Pa. Cubare in navi lippam atque oculis turgidis,
Nauclerus dixit, qui illas advexit, mihi.
Is ad hos nauclerus hospitio devortitur.
Py. Quid is? ecquid fortis? Pa. Abi, sis, hinc: nam tu quidem
Ad equas fuisses scitus admissarius,
Qui consectere qua mares, qua feminas.
Py. Hoc age nunc. Pa. Istuc. Py. Quod das consilium mihi,
Te cum illa verba facere de ista re volo:
Nam cum illa sane congruos sermo tibi.
Pa. Qui potius, quam tute adeas, tuam rem tute agas,
Dicas, uxorem tibi necessum ducere,
Cognatos persuadere, amicos cogere?
Py. Itane tu censes? Pa. Quid ego ni ita censeam?
Py. Ibo igitur intro. Tu hic ante aedis interim
Speculare: ut, ubi illaec prodeat, me provoces.
Pa. Tu modo istuc cura, quod agis. Py. Curatum id quidem est.
Quin si voluntate nolet: vi extrudam foras.
Pa. Istud cave faxis; quin potius per gratiam
Bonam abeat abs te; atque illaec, quae dixi, dato:
Aurum ornamenta, quae illi instruxisti, ferat.
Py. Cupio hercle. Pa. Credo, facile te inpetrassere.
Sed abi intro; noli stare. Py. Tibi sum obediens.
Pa. Numquid videtur demutare atque ut quidem
Dixi esse vobis dudum hunc moechum militem?

1086. V. *omiserim.* 1088. Ita Pal., quod elegantius vulgato *Quo pacto id.* 1102. V. *fuisti.* Correxit Douza. 1103. Libri minus recte: *consectare.* 1107. V.: *Quin*, sed MSS. *Qui.* Vulgatum *ades* correxit Sciopp. S. L. 1, 7. 1108. Libri *ἀμέτρως*: *nec esse d.* 1114. V.: *foris.* 1115. Ita Pal. V.: *Istuc.* 1120. V.: *atque uti ego.* MSS.: *dem. aut utique.* Vett. edd.: *atque utique.*

Nunc ad me ut veniat usust Acroteleutium
Ancillula eius et Pleusides. Proh Iupiter,
Satin' ut commoditas usquequaque me adiuvat?
Nam quos videre me exoptabam maxume,
Una exeuntis video illinc de proxumo.

ACROTELEUTIUM. MILPHIDIPPA. PLEUSIDES. PALAESTRIO.

Ac. Sequimini! simul circumspicite: ne quis adsit arbiter. t. t. c. IV, 5.
Mi. Neminem pol video, nisi hunc, quem volumus conventum. Ac. Et ego vos.
Mi. Quid agis, noster architecte? Pa. Egon' architectus! Vah! Mi. Quid est?
Pa. Quia enim non sum dignus prae te, ut figam palum in parietem.
Ac. Heia vero! Pa. Nimis facete nimisque facunde mala est.
Ut lepide deruncinavit militem! Ac. At etiam parum.
Pa. Bono animo es: negotium omne iam succedit sub manus.
Vos modo porro, ut occepistis, date operam adiutabilem:
Nam ipse miles concubinam intro abiit oratum suam,
Ab se ut abeat cum sorore et matre Athenas. Pl. Heu probe!
Pa. Quin etiam aurum atque ornamenta, quae ipse instruxit, mulieri
Omnia dat dono, ab se ut abeat: ita ego consilium dedi.
Pl. Facile istuc quidem est, si et illa volt et ille autem cupit.
Pa. Non tu scis, quom ex alto puteo sursum ad summum escenderis,
Maxumum periclum inde esse ab summo ne rursum cadas?
Nunc haec res apud summum puteum geritur: si prosenserit
Miles, nihil ecferri poterit huius. Nunc quam maxume

1126. Libri: *hinc.* Possis etiam scribere *videod hinc.* 1130. V.: *Qui enim.* Emendavit Douza Centur. pag. 363. 1131. Pal.: *fecunden malast*, h. e. *foecunde mala est*, de quo sane cogitandum. 1136. V.: *Eu pr.* 1138. *ab*, quod vulgo desideratur, arcessitum est ex Iunt. Ald. Par. Frustra MSS.: *cons. tum d.*, edd.: *cons. ei d.* 1141. *ab* Pal. V.: *a.* 1143. V.: *nihil hinc ferri.* Pal. *hac* pro *hinc.*

Opus dolis. Pl. Domi esse ad eam rem video silvai satis:
Mulieres tres; quartus tute es; quintus ego; sextus senex.
Pa. Quod apud nos fallaciarum se excitant! Pl. Certo scio.
Pa. Oppidum quodvis videtur posse expugnari dolis:
Date modo operam. Ac. Id nos ad te, si quid velles, venimus.
Pa. Lepide facitis. Nunc tibi hanc ego impero provinciam.
Ac. Inpetrabis, Imperator, quoad ego potero, quod voles.
Pa. Militem lepide et facete et laute ludificarier
Volo. Ac. Voluptatem mecastor mi imperas. Pa. Scin', quemadmodum?
Ac. Nempe ut adsimulem me amore istius differri . . . . Pa. Rem tenes.
Ac. Quasique istius causa amoris ex hoc matrimonio
Abierim, cupiens istius nuptiarum. Pa. Omne ordine,
Nisi modo unum hoc: hasce esse aedis dicas dotalis tuas;
Hinc senem abs te abiisse, postquam feceris divortium:
Ne ille mox vereatur intro ire in alienam domum.
Ac. Bene mones. Pa. Sed ubi ille exierit intus: istic te procul
Ita volo adsimulare, prae illius forma quasi spernas tuam,
Quasique eius opulentitatem reverearis; et simul
Formae amoenitatem illius, facie pulcritudinem,
Conlaudato. Satin' praeceptum est? Ac. Teneo. Satin' est, si tibi
Meum opus ita dabo expolitum, ut inprobare non queas?
Pa. Sat habeo. Nunc tibi vicissimque imperabo. Pl. Dicito.
Pa. Quam extemplo hoc erit factum, ubi intro haec abierit: ibi tu eloco
Facito uti venias ornatus ornatu hue nauclerico:
Causiam habeas ferrugineam; culcitam ob oculos laneam;
Palliolum habeas ferrugineum (nam is colos thalassicust),

1144. V. duriore numero: *Opus est d.* V. quoque *silvae*, quod ἄμετρον. 1146. *se excitant*, tanquam aedes, quia silvam dixit Pleusides. V.: *est excisum;* sed MSS.: *sexitum*, *sextumst*, vett. edd.: *sextunst.* *Quod* pro vulgato *Quot* habent Pal. vett. edd. Par. 1150. V.: *quod ego.* 1152. Libri versu iugulato: *Et scin' tu qu.* 1155. V.: *istius summe nupt.* Pa. *ordine is.* MSS. et vett. edd.: *istius omne ordinis nupt.* 1162. V.: *Formam amoenitatis.* Pal.: *Forma moenitatis.* V. quoque *faciem. facie*, faciei. Illud emendavit Pistor. 1165. V.: *vicissim quae. Vicissimque*, vicissim quoque. 1166. Male edd.: *ab., tu illico.* Pal.: *ab. tibi tuilico.* 1167. V.: *F. ut v. huc ornatu n.* Pal.: *F. ut veniat ornatos huc nauclerioco.*

Id, connexum in humero laevo, ecfibulato brachio;
Praecinctusque aliqui, adsimulato, quasi gubernator sies.
Atque apud hunc senem omnia haec sunt: nam is piscatores habet.
Pl. Quid, ubi ero exornatus? quin tu dicis, quid facturus sim?
Pa. Huc venito et matris verbis Philocomasium arcessito:
Ut, si itura siet Athenas, tecum eat ad portum cito,
Atque ad iubeat ferri in navim, si quid inponi velit.
Nisi eat: te soluturum esse navim: ventum operam dare.
Pl. Satis placet pictura: perge. Pa. Ille extemplo illam hortabitur,
Ut eat, properet, ne morae sit matri. Pl. Multimodis sapis.
Pa. Ego illi dicam, ut me adiutorem, qui onus feram ad portum, roget. i. t.
Ille iubebit me ire cum illa ad portum. Ego adeo, ut tu scias, t. t. c.
Prorsum Athenas protinam abibo tecum. Pl. Atque illo ubi veneris:
Triduom servire nunquam te, quin liber sis, sinam.
Pa. Abi cito atque orna te. Pl. Numquid aliud? Pa. Haec ut memineris.
Pl. Abeo. Pa. Et vos abite hinc intro actutum: nam illum hinc sat scio
Iam exiturum esse intus. Ac. Celebre apud nos imperium tuom est.
Pa. Agite, abscedite ergo. Ecce autem commodum aperitur foris.
Hilarus exit: inpetravit; inhiat, quod nusquam est, miser.

PYRGOPOLINICES. PALAESTRIO.

Py. Quod volui, ut volui, inpetravi per amicitiam et gratiam a t. t. c. IV, 4.
Philocomasio. Pa. Quidnam tam intus fuisse te dicam diu?
Py. Nunquam ego me tam sensi amari, quam nunc ab ea muliere.

1170. V.: *Id conn. in h. l., expapillato br.* Pal.: *It comixum inumero l. exfafillato br.* Vett. edd.: *Idem et conn.* 1171. V. versu parum modulato: *Praecinctus al.* 1175. V.: *Ut si itura iam est Athenas, eat tec.* etc. Pal.: *Utsiitupsia ethcna se atecum atportuum c.* 1179. Ἀμέτρως libri: *ut prop.*, nec melius. 1182. *protinus.* 1187. Ita Pal. V.: *commodo*, quod minus usitatum. 1189. V. minus recte: *ut volo.* cf. 1195 etc. 1191. Libri numero duriore: *ab illa.*

PA. Quid iam? PY. Ut multa verba fecit! lenta ut materies fuit!
Verum postremo inpetravi, ut volui; donavique ei,
Quae voluit, quae postulavit; te quoque ei dono dedi.
PA. Etiam me? quomodo ego vivam sine te? PY. Age, es animo bono:
Itidem te ego liberabo. Nam, si possem ullo modo
Inpetrare, ut abiret nec te abduceret, operam dedi;
Verum oppressit. PA. Deos sperabo teque postremo. Tamen esti istuc mihi acerbum est, quia hero te carendum est optumo:
Saltem id volupe est, quom ex virtute formai evenit tibi
Mea opera super hac vicina, quam ego nunc concilio tibi.
PY. Quid opus verbis? libertatem tibi ego et divitias dabo,
Si inpetras. PA. Reddam inpetratum. PY. At gestio. PA. At modice decet
Moderare animo: ne sis cupidus. Sed, eccam ipsam, egreditur foras.

ACROTELEUTIUM. MILPHIDIPPA. PYGROPOLINICES. PALAESTRIO.

MI. Hera, eccum praesto militem! AC. Ubi est? MI. Ad laevam. AC. Video. i. t. c. IV, 5.
MI. Adspicito limis: ne ille nos se sentiat videre.
AC. Video edepol: nunc nos tempus est malas peiores fieri.
MI. Tuom est principium. AC. Obsecro, tute ipsum convenisti?
Ne parce voci: ut audiat. MI. Cum ipso ipsa pol secuta
Placide, dum lubitum est mi, otio, meo arbitratu, ut volui.
PY. Audin', quae loquitur? PA. Audio. Quam laeta est, quia ted adiit!
AC. O fortunata mulier! PY. St! Ut amari videor! PA. Dignus.

1196. V.: *Idem ego te l.* Pal.: *et idem ago* olc. 1201. Ita vett. edd. V.: *hanc vicinam.* 1202. Sic. Pal. V.: *opust.* 1206. V. immisso glossemate: *limis oculis.* Terent. Eun. 3, 5, 53: *Ego limis specto.* 1209. V.: *cum ipso pol sum sequuta Placide ipsa d. l. est m., otiose, m. a., ut v.*, quorum versuum posterior est ὑπέρμετρος. 1211. V.: *quia adit ad te.* Sed Pal.: *q. te adit.* Vett. edd.: *quia te adit.* 1212. Hiulce libri: *O f. m.!* PY. *ut am. v.* Pal.: *mulieres.* Vett. edd.: *mulier est.* V. quoque *dignus es,* quod item ὑπέρμετρον. Intelligenda copula, ut passim.

Ac. Permirum ecastor praedicas, te adisse atque exorasse:
Per epistolam aut per nuntium, quasi regem, adiri eum aiunt.
Mi. Namque edepol copia vix fuit adeundi atque inpetrandi.
Pa. Ut tu inclutus apud mulieres! Py. Patiar: quando ita Venus volt.
Ac. Veneri pol habeo gratiam eandemque et oro et quaeso,
Ut eius mihi sit copia, quem amo quemque expetesso,
Benignusque erga me ut siet: quod cupiam, ne gravetur.
Mi. Spero, ita futurum: quamquam illunc multae sibi expetessunt,
Ille illas spernit segregatque ab se omnis extra te unam.
Ac. Ergo iste metus me macerat, quod illic fastidiosust:
Oculi eius ne sententiam mutent, ubi viderit me,
Atque eius elegantia meam extemplo speciem spernat.
Mi. Non faciet: habe animum bonum! Py. Ut ipsa se contemnit!
Ac. Metuo, ne praedicatio tua nunc meam formam exsuperet.
Mi. Istuc curavi, ut opinione illius pulcrior sis.
Ac. Si pol me nolet ducere uxorem: genua amplectar
Atque obsecrabo aliquo modo. Si non quibo inpetrare:
Consciscam letum. Vivere sine illo scio me non posse.
Py. Prohibendam mortem mulieri video. Adibone? Pa. Minume:
Nam tu te vilem feceris, si te ultro largiere.
Sine ultro veniat, quaeritet, desideret, expetessat.
Si non vis perdere gloriam istam, quam habes: cave, sis, faxis.
Nam nulli mortali scio obtigisse hoc, nisi duobus,
Tibi et Phaoni Lesbio, tam vivide ut amarentur.
Ac. Eho, intro abidum: illunc evoca foras, mea Milphidippa!
Mi. Imo opperiamur, dum exeat aliquis. Ac. Durare nequeo.
Quin eam intro. Mi. Occlusae sunt fores. Ac. Ecfringam. Mi. Sana non es.

1229. V.: *alio*. Vett. edd.: *aliquo*. 1233. Insulse legitur *expectet* pro *expetessat*. Haec non semel mixta. 1234. V.: *Summovere istam vis gl.* etc. Sequor Palatinum et vett. edd. 1236. *vivide* V. *misere*, quod metro non sufficit. Atqui MSS. et vett. edd. *vivere*, *muuete* (ut Pal.), *miniae*, *nimie*. 1237. Libri: *abi tu: illum evocatum* vel *evocato*.

AC. Si amavit unquam aut si parem hic sapientiam habet ac formam:
Per amorem si quid fecero clementi ignoscet animo.
PA. Ut, quaeso, amore perdita est haec misera! PY. Mutuom fit.
PA. Tace: ne audiat. MI. Quid abstitisti obstupida? cur non pultas?
AC. Quia non est intus, quem ego volo. PA. Qui scis? AC. Scio edepol facile:
Nam odore nasum sentiat, si intus sit. PY. Hariolatur.
Quia me amat, propterea Venus fecit eam, ut divinaret.
AC. Nescio, ubi hic prope adest, quem expeto videre: hy, olet profecto,
PY. Naso pol iam haec quidem videt plus, quam oculis. PA. Coeca amore est.
AC. Tene me, obsecro! MI. Cur? AC. Ne cadam. MI. Quid ita? AC. Quia stare nequeo:
Ita animus per oculos meus defit. MI. Pol militem tu
Adspexisti. AC. Ita. MI. Non video, ubi est? AC. Videres pol, si amares.
MI. Non edepol tu illum magis amas, quam egomet, si te per liceat.
PA. Omnes profecto mulieres te amant, ut quaeque adspexit.
PY. Nescio, tun' ex me hoc audieris, an non: nepos sum Veneris.
AC. Mea Milphidippa, adi, obsecro, et congredere! PY. Ut me veretur!
PA. Illa ad nos pergit. MI. Vos volo. PY. Et nos te. MI. Ut iussisti,
Heram meam eduxi foras. PY. Video. MI. Iube ergo adire.
PY. Induxi in animum, ne oderim, item ut alias: quando orasti.
MI. Verbum hercle facere non potis, si accesserit prope ad te:
Dum te obtuetur, interim linguam oculi praeciderunt.

1244. *facile.* V.: *scio.* Pal.: *facio.* 1247. Illud *hy* non legitur in vulgatis libris; sed Hedorpii apud Palmer. Spicileg. Lamp. Gruter. 4. p. 759.: — *videre, huic olet p.*, unde Palmer. fecit *hu*, nos *hy*, (ὖ), ut ap. Aristoph. Plut. 896. Est nota olfaciendi. 1250. Minus recte libri: *meos.* 1552. Ita vetus codex Camerar. V.: *per te*, sed *te* hoc loco non est ἐγκλιτικόν. 1259. Sic Pal. Vulgo hiante versu; *Induxi animum.* Male quoque legitur *quando hoc orasti*, refragantibus quidem eodem MS. et editionibus vett.

Py. Levandum morbum mulieri video. Mi. Ut tremit atque extimuit,
Postquam te adspexit? Py. Viri quoque armati item istuc faciunt:
Ne tu mirere mulierem plus. Sed quid volt med agere?
Mi. Ad sed eas: tecum vivere volt atque aetatem exigere.
Py. Egon' ad illanc, quae nupta sit? Vir eius est metuendus.
Mi. Quin tua causa exegit virum a se. Py. Quid? qui id facere potuit?
Mi. Quia aedes dotales huius. Py. Itan'? Mi. Ita pol. Py. Iube eam domum ire:
Iam ego illi ero. Mi. Vide, ne sies in exspectatione;
Ne illam animi excrucies. Py. Non ero profecto. Abite. Mi. Abimus.
Py. Sed quid ego video? Pa. Quid vides? Py. Nescio quis, eccum incedit,
Ornatu quidem thalassico. Pa. Iam nos volt hic profecto:
Nauclerus hic quidem est. Py. Videlicet arcessit hanc. Pa. Ita credo.

PLEUSIDES. PALAESTRIO. PYRGOPOLINICES.

Pl. Alium alio pacto propter amorem ni sciam i. s. IV, 6.
Fecisse multa nequiter: verear magis
Me amoris causa cum hoc ornatu incedere;
Verum quom multos multa admisse acceperim
Inhonesta propter amorem atque aliena a bonis:
Mitto iam, ut occidi Achilles civis passus est....
Sed eccum Palaestrionem, stat cum milite:
Oratio alio mihi demutanda est mea.
Mulier profecto nata est ex ipsa mora:
Nam quaevis alia, quae mora est aeque, mora
Minor ea videtur quam quae propter mulierem est.
Hoc adeo fieri credo consuetudine.
Nam ego hanc arcesso Philocomasium. Sed fores
Pultabo. Heus, ecquis hic est? Pa. Adulescens, quid est?
Quid tu ais? quid pultas? Pl. Philocomasium quaerito;

1261. Libri ὑμεριμέτρως: *Viden', ut tremit* etc. Etiam sequens versus pessime in illis sese habet. 1262. V.: *idem*. 1265. V. corrupto metro: *E ad illam eam*. 1267. V.: *huius sunt*. 1272. Ita Pal. V.: *N. est hic q.* Dein edd.: *arc. hanc hinc*. Sed MSS.: *haeitam;* edd. vett.: *accitam*. 1275. Ita Junt. Ald. Vulgo *cum* desideratur.

A matre illius venio. Si itura est: eat.
Omnis moratur: navim cupimus solvere.
Py. Iamdudum res parata est. Heus, Palaestrio,
Aurum, ornamenta, vestem, pretiosa omnia,
Duc adiutores tecum ad navim qui ferant.
Omnia conposita sunt, quae donavi, ut ferat.
Pa. Eo. Pl. Quaeso hercle, propera! Py. Non morabitur.
Quid istuc, quaeso? quid oculo factum est tuo?
Pl. Habeo equidem hercle oculum. Py. At laevum dico.
Pl. Eloquar.
Maris causa hercle istoc ego oculo utor minus:
Nam si a mare abstinuissem, tamquam hoc uterer.
Sed nimis morantur me diu. Py. Eccos, exeunt.

PALAFSTRIO. PHILOCOMASIUM. PLEUSIDES. PYRGOPOLINICES.

Pa. Quid modi flendo, quaeso, hodie facies? Ph. Quid ego ni fleam? t. t. c. IV, 7.
Ubi pulcerrume egi aetatem, inde abeo. Pa. Viden' hominem, tibi
Qui a matre et sorore venit? Ph. Video. Py. Audin', Palaestrio?
Pa. Quid vis? Py. Quin tu intus iubes ecferri omnia, isti quae dedi?
Pl. Philocomasium, salve. Ph. Et tu salve. Pl. Materque et soror.
Dicere iusserunt salutem me tibi. Ph. Salvae sient.
Pl. Orant te, ut eas, ventus operam dum dat: ut velum explicent.
Nam matri oculi si valerent: mecum venisset simul.
Ph. Ibo, quamquam invita facio, — Inpietas, sid eo clam. Pl. Sapis.
Py. Si non mecum aetatem egissit: hodie stulta viveret.
Ph. Istuc crucior, a viro me tali abalienarier:
Nam tu quamvis potis es facere uti fluat facetiis,
Et quia tecum eram, propterea a b animo eram ferocior;
Eam nobilitatem amittundam video. Py. Nimium haec flet. Ph. Nequeo, t. t.

1291. V.: *pretiosum omne ut ferat*, versu nihili. 1302. V.: *audistin'*. 1308. V.: *facio omnia. pietas sic cohibet.* Pl. *sapis.* MSS.: *f. omni pietas scio chan.* (Pal.: *p. sit eo chant*) *sapis.* Joco inexpectato *invitam se facturam* dicit palam; sed ad servum conversa addit summissa voce, *si clam eo* ut quae manifesto abripere se mallet.

Te quom video. Pa. Habe bonum animum. Ph. Scio ego, ecquid doleat mihi!
Pa. Nam nil miror, si lubenter, Philocomasium, hic eras:
Forma hic huius, mores, virtus, animum attinuerunt tuom.
Quin ego servos, quando adspicio hunc, lacrumem: quia deiungimur.
Ph. Obsecro, licet conplecti, priusquam proficisco? Py. Licet.
Ph. O mei oculi! O mi anime! Pa. Obsecro, tene mulierem,
Ne adfligatur. Py. Qui istuc? Pa. Quia, postquam abs te abit, animo male
Factum est huic repente miserae. Py. Adcurrite intro! ecferte aquam!
Pa. Nihil aquam moror. Py. Cur? Pa. Malo malum. Ne interveneris,
Quaeso, dum resipiscit. Py. Capita inter se nimis nexa hice habent.
Non placet. Labra ab labellis fer mihi, aut —! Pl. Acre est malum.
Tentabam, haec spiraret, an non. Py. Aurem admotam oportuit.
Pl. Sin magis vis: ambo mittam. Py. Nolo; retine. Pa. At fleo miser.
Py. Exite atque ecferte huc intus omnia, isti quae dedi!
Pa. Etiam nunc saluto te, Lar familiaris, priusquam eo!
Conservi conservaeque omnes, bene valete et vivite!
Bene, quaeso, inter vos dicatis et mihi absenti tamen.
Py. Age, Palaestrio, bono animo es! Pa. Heu heu, nequeo, quin fleam,
Quom abs ted abeam. Py. Aequo fer animo. Pa. Scio ego, quid doleat mihi.
Ph. Sed quid hoc? quae res? quid video? Lux, salve! Pl. Iam resipisti? as. t. d. i. d. c.
Ph. Obsecro, quem amplexa sum hominem? Perii, sumne ego apud me? t. t. br.
Pl. Ne time, voluptas mea! t. d. c.

1314. V.: *et quid.* 1316. V.: *attinuere.* MS. Meurs.: *attinerent.* 1317. *lacrumem.* V.: *fleo;* sed MSS.: *lacrumum.* 1320. V.: *Quid istuc?* Pa. *postquam* etc. Pal.: *istuc quepost quiabste* etc. 1321. V.: *intro, atque afferte* (vett. edd *efferte*) *aq.* Sed *atque* abundat a versu. 1322. *malum* neglectum esse videtur propter similitudinem. Ridicule malum poscit, quasi gravida ex milite sit Philocomasium. Cf. interpp. ad Amph. 2, 2, 91. 1324. V.: *lab. ferruminant.* Pl. *acre malum.* Pal.: *lauellis fer inaut ace malum.* 1326. V. *ambos.* MSS.: *amo.* 1326. V.: *retineat.* 1328. Hiat versus in vulgatis libris. Videtur raptum esse *lar* a syllaba simili, quae sequitur. 1331. Male libri *Eheu* pro *Heuheu.* Pal: *Heu.*

Py. Quid istuc est negoti? Pa. Animus hanc modo hic reliquerat, i. t.
Metuoque et timeo, ne hoc tandem propalam fiat nimis. t. t. c.
Py. Quid id est? Pa. Nos secundum ferri nunc per urbem haec omnia:
Ne quis hoc tibi vitio vortat. Py. Mea, non aliorum, dedi.
Parvi ego alios facio. Agite, ite cum dis benevolentibus!
Pa. Tua ego hoc causa dico. Py. Credo. Pa. Iam vale. Py. Et tu bene vale.
Pa. Ite cito. Iam ego adsequar vos: cum hero pauca etiam loquar.
Quamquam alios fideliores semper habuisti tibi,
Quam me: tam tibi habeo magnas gratias rerum omnium;
Et, si ita sententia siet, tibi servire mavelim
Multo, quam alii libertus esse. Py. Habe animum bonum!
Pa. Hei mihi, quom venit in mentem, ut mores mutandi sient:
Muliebres mores discendi, obliviscendi stratiotici.
Py. Fac, sis, frugi. Pa. Iam non possum; amisi omnem lubidinem.
Py. I, sequere illos! ne morere! Pa. Bene vale. Py. Et tu bene vale.
Pa. Quaeso, ut memineris:, si forte liber fieri occeperim,
Mittam nuntium ad te: ne me deseras. Py. Non est meum.
Pa. Cogitato identidem, tibi quam fidelis fuverim.
Si id facies: tum demum scibis, tibi qui bonus sit, qui malus.
Py. Scio et perspexi saepe; verum quom antehac, tum hodie maxume.
Pa. Scis? Imo hodie verum factum faxo post dices magis.
Py. Vix reprimor, quin te manere iubeam. Pa. Istuc cave feceris:
Dicent te mendacem nec verum esse, fide nulla esse te;
Dicant, servorum praeter med esse fidelem neminem.
Nam si honeste censeam te facere posse: suadeam;
Verum non potest: cave faxis. Py. Abi; iam patiar, quidquid est.

1339. V. *illorum*, et sequ. versu *illos*, permutatione tralaticia. 1344. V. *tamen*. Idem est apud priscos *tam*, versuique melius convenit. V. quoque: *magnam gratiam*, m littera frequentiore. 1345. *siet*. Soloece libri *esset*. 1347. V.: *hau mihi*. Pal.: *haeum*, quod fuit procul dubio *heu m̄* (mihi): nam saepe ae pro e scriptum est in eo libro. V. quoque: *venit mihi;* sed pronomen non habent Iunt. et Ald. 1353. V.: *fuerim*. Correxit Acid., ut et *Scies* vulgatum v. 1356.

Pa. Bene vale igitur. Py. Ire meliust strenue. Pa. Etiam nunc vale.
Py. Ante hoc factum hunc sum arbitratus semper servom pessumum;
Eum fidelem mi esse invenio. Quom egomet mecum cogito:
Stulte feci, qui hunc amisi. Ibo hinc intro nunc iam
Ad amores meos; et (sensi) hinc sonitum fecerunt fores.

PUER. PYRGOPOLINICES.

Pu. Ne me moneatis: memini ego officium meum. I. s. IV, 8.
Ego iam conveniam illunc! Ubiubi est gentium:
Investigabo; operai non parcam meae.
Py. Me quaerit illic: ibo puero huic obviam.
Pu. Ehem, te quaero. Salve, vir lepidissume,
Cumulate commoditate, praeter ceteros
Duo di quem curant! Py. Qui duo? Pu. Mars et Venus.
Py. Facetum puerum! Pu. Intro te ut eas obsecrat:
Te volt, te quaerit, teque exspectans deperit.
Amanti fer opem! Quid stas? quin intro is? Py. Eo. —
Pu. Ipsus sese illic iam inpedivit in plagas!
Paràtae insidiae sunt; stat in statu senex:
Ut adoriatur moechum, qui forma est ferox,
Qui omnis amare sese, quique adspexerit,
Credit; eum oderunt qua viri, qua mulieres.
Nunc in tumultum ibo: intus clamorem audio.

PERIPLECTOMENES. PYRGOPOLINICES. CARIO. SCELEDRUS.

Pe. Ducite istum! Si non sequitur: rapite sublimen foras! t. t. c. V.
Facite eum, inter terram ac coelum ut siet! discindite!
Py. Obsecro hercle, Periplectomene, te! Pe. Nequidquam hercle obsecras.
Vide, ut istic tibi sit acutus, Cario, culter probe.
Ca. Quin iamdudum gestit, moecho hoc abdomen adimere:

1369. V.: *parco*. 1380. sequ. V.: *Q. o se am. credit, quaeque adsp. Mulieres, eum odere q. v., q. m.*, quorum versuum posteriorem ne dimetiaris quidem recte. Pal. *quemque* pro *quaeque*, nec sane de solis mulieribus dicit puer, ut ex sequente versu intelligitur. 1384. V.: *Fac. inter t. atque c. ut melius sit: disc.* Sed *medius* abest a scriptis et edd. vett. Iunt. Ald.: *Fac. eum inter* etc.

Ut faciam quasi puero in collo pendeant crepundia.
Py. Perii! Ca. Haud etiam; numero dicis hoc. — Iamne in hominem involo?
Pe. Imo etiam prius verberetur fustibus. Ca. Multum quidem.
Pe. Cur es ausus subigitare alienam uxorem, inpudens?
Py. Ita me di ament, ultro ventum est ad me. Pe. Mentitur: feri!
Py. Mane, dum narro. Pe. Quid cessatis? Py. Non licet mihi dicere?
Pe. Dic. Py. Oratus sum venire ad te huc. Pe. Quare ausus? Hem tibi!
Py. Oiei, satis sum verberatus! Obsecro! Ca. Quam mox seco?
Pe. Ubi lubet. Distennite hominem divorsum et dispennite!
Py. Obsecro hercle te, mea verba ut audias, priusquam secat!
Pe. Loquere, nondum nihili factus. Py. Viduam esse censui;
Itaque ancilla, conciliatrix quae erat, dicebat mihi.
Pe. Iura, te non nociturum esse homini de hac re nemini,
Quod tu hic hodie verberatus aut quod verberabere,
Si te salvom hinc mittemus, Venerium nepotulum.
Py. Iuro per Dionam et Martem, me nociturum nemini,
Quod ego hic hodie vapulo; sed mihi id aeque factum arbitror;
Et si intestatus non abeo hinc: bene agitur pro noxia.
Pe. Quid, si id non faxis? Py. Ut vivam semper intestabilis.
Ca. Verberetur etiam; postibi amittundum censeo.
Py. Di tibi benefaciant semper, quom advocatus mihi bene es!
Ca. Ergo des minam auri nobis. Py. Quamobrem? Ca. Salvis testibus
Ut ted hodie hinc amittamus, Venerium nepotulum.
Aliter hinc a nobis, ne sis frustra . . . . Py. Dabitur. Ca. Mage sapis.
De tunica et chlamyde et machaera ne quid speres: non feres.

1389. Ernest.: *Iam*, minus quidem ἐμμέτρως. 1395. V.: *Oh, hei*; sed MSS.: *Olei*, h. e. *Oiei*, quod reponi iussit Bentl. ad Terent. Eun. 4, 4, 47. 1396. Ita edd. vett., manifesta παρηχήσει. Vid. Meurs. Exercitatt. critt. p. 167. V.: *distendite*. 1400. V. abest *non*, quod habetur in MSS. et edd. vett. V. quoque: *hom. nunc hac*, iisdem refragantibus. 1402. *Venerium* hic et 1410. MSS. et vett. V.: *Venereum*, minus apte ad versum. Male quoque libri *mittimus*. 1403. V. lapsu proclivi: *Dianam*. Iam alii correxerunt. 1407. V.: *post tibi*. Emend. Guil. Quaest. in Mil. cap. 4. et Pistor. ap. Taubm.

Verberone etiam, an im amittis? Py. Mitis sum equidem
fustibus.
Obsecro vos! Pe. Solvite istum. Py. Gratias habeo tibi.
Pe. Posthac si prehendero ego ted hic: arcebo testibus.
Py. Causam haud dico. Pe. Eamus intro, Cario. Py. Servos meos
Eccos video. Philocomasium iam profecta est? dic mihi.
Sc. Iamdudum. Py. Hei mihi! Sc. Mage dicas, si scias,
quod ego scio:
Namque illic, qui lanam ob oculum habebat, nauta non erat.
Py. Quis erat igitur? Sc. Philocomasio amator. Py. Qui
tu scis? Sc. Scio:
Nam postquam exierunt porta, nil cessarunt eloco
Osculari atque amplexari inter se. Py. Vae misero mihi!
Verba mihi data esse video. Scelus viri Palaestrio!
Is me in hanc inlexit fraudem. Sc. Iure factum iudico.
Si sic aliis moechis fiat: minus hic moechorum siet;
Mage metuant, minus has res studeant. Py. Eamus ad me.
Cantor. Plaudite.

1413. *an im amittis.* V.: *antequam am.* Sed MSS.: *etiam animam mittis*, vel: *et. animam amittis.* 1414. Libri *ἀμέτρως*: *Gratiam.*

MOSTELLARIA.

ARGUMENTUM.

Manumisit emtos suos amores Philolaches,
Omnemque absente rem suo absumit patre.
Senem, ut revenit, ludificatur Tranio:
Terrifica monstra dicit fieri in aedibus,
Et inde pridem emigratum. Intervenit
Lucripeta foenus foenerator postulans,
Ludusque rursum fit senex: nam mutuum
Acceptum dicit pignus emtis aedibus.
Requirit, quae sint. Ait, vicini proxumi
Inspectat illas; post se derisum dolet;
Ab sui sodale gnati exoratur tamen.

Vers. 4. Pal.: *dicit sileri.* Vett. edd.: *dicit sentiri.* V.: *ait videri.* Expressi Taubmanni coniecturam. Cf. 492. V. 5: *pridem.* Libri: *primum.*

DRAMATIS PERSONAE.

TRANIO.
GRUMIO.
PHILOLACHES.
PHILEMATIUM.
SCAPHA.
CALLIDAMATES.
DELPHIUM.
THEUROPIDES.
SIMO.
DANISTA.
PHANISCUS.
SERVOS ALIUS.
PUER.

GRUMIO. TRANIO.

Exi e culina, sis, foras mastigia, i. s. I, 1.
Qui mi inter patinas exhibes argutias!
Egredere, herilis pernicies, ex aedibus!
Ego pol te ruri, si vivam, ulciscar probe!
Exi, inquam: nidorem excipis. Nam quid lates?
Tr. Quid tibi, malum, hic ante aedis est clamatio?
An ruri censes te esse? Abscede ab aedibus!
Abi rus! abi dierecte! abscede ab ianua!
Hem! Hoccine volebas? Gr. Perii, cur me verberas?
Tr. Quia vivis. Gr. Patiar. Sine modo adveniat senex!
Sine modo venire salvom, quem absentem comes!
Tr. Nec verisimile loquere nec verum, frutex,
Comesse quemquam ut quisquam absentem possiet.
Gr. Tu urbanus vero scurra, deliciae popli!
Rus mihi tu obiectas? Sane credo, Tranio,
Quod — te in pistrinum scis actutum tradier.
Cis hercle paucas tempestates, Tranio,
Augebis ruri numerum, genus ferratile.
Nunc, dum lubet licetque, pota, perde rem,
Conrumpe herilem adulescentem optumum.
Dies noctisque bibite, pergraecamini!
Amicas emite, liberate! pascite
Parasitos! obsonate pollucibiliter!
Haeccine mandavit tibi, quom peregre hinc it, senex?
Hoccine modo hic rem curatam obfendet suam?
Hoccine boni esse officium servi existumas,
Ut heri sui conrumpat et rem et filium?
Nam ego illunc conruptum duco, quom his factis studet.
Quo nemo adaeque iuventute ex omni Attica
Antehac est habitus parcus nec mage continens,

Vers. 5. Pal.: *E. iniquam nidore cupinam quid l.* Similiter vett. edd. Mediae et novitiae (nisi quod Sarrac. habet: *culinam*): *E., inquam, nidor e culina. quid l.?* 6. Pal.: *clamatiosi*, ut saepe errat. Ceteri antiqui: *clamatiost.* V. secundum Acid.: *ante a clamitatio est?* 10. Ita vet. cod. Camer. et priscae edd. Pal.: *vivus.* V.: *tu vis.* Cf. Cas. 121. 20. Sic Pal. et edd. vett. V.: *C. her. filium ad. o.* 24. V.: *iit*, minus quidem ex usu antiquo.

Is nunc in aliam partem palmam possidet.
Virtute id factum tua et magisterio tuo.
Tr. Quid tibi, malum, me aut, quid ego agam, curatio est?
An ruri, quaeso, non sunt, quos cures, boves?
Lubet potare, amare, scorta ducere.
Mei tergi facio haec, non tui, fiducia.
Gr. Quam confidenter loquitur! fue! Tr. At te Iupiter
Dique omnes perdant: oboluisti allium,
Germana inluvies, rusticus, hircus, hara suis,
Canes capro conmista! Gr. Quid vis fieri?
Non omnes possunt olere unguenta exotica,
Sicut tu oles, nec superiori adcumbere,
Neque tam facetis, quam tu, vivere victibus.
Tu tibi istos habeas turtures, piscis, avis;
Sine alliato fungi fortunas meas.
Tu fortunatus; ego miser. Patiunda sunt.
Meum bonum me, te tuom maneat malum.
Tr. Quasi invidere mihi hoc videre, Grumio,
Quia mihi bene est et tibi male est. Dignissumum est.
Decet me amare et te bubulcitarier;
Me victitare pulcre, te miseris modis.
Gr. O carnuficium cribrum quod credo fore:
Ita te forabunt patibulatum per vias.
[Stimulis, si huc reveniat senex.]
Tr. Qui scis, an tibi istuc evenat prius quam mihi?
Gr. Quia nunquam merui: tu meruisti et nunc meres.
Tr. Orationis operam conpendiface,
Nisi te mala re magna mactari cupis.
Gr. Ervom daturin' estis, bubus quod feram?
Date aes, si ne estis. Agite, porro pergite,
Quomodo occepistis! bibite! pergraecamini!
Este! ecfercite vos! saginam caedite!
Tr. Tace atque abi rus! ego ire in Piraeum volo
In vesperum parare piscatum mihi.
Ervom tibi aliquis cras faxo ad villam adferat.
Quid est? quid tu me nunc obtuere, furcifer?
Gr. Pol tibi istuc credo nomen actutum fore.
Tr. Dum interea sic sit: istuc „actutum" sino.
Gr. Ita est; sed unum hoc scito, nimio celerius

58. Fort.: *ita obolivisti all.* 42. Soloece libri: *superior.* Legitur quoque: *Si tu oles*, sed in editionibus vett.: *Sicut tu oles*, quae lectio versum iuvat. 45. Putide libri: *Sine me all.* Sensit Gronov. 52. Ita MS. Meurs. Iunt. Ald. V. 1 *carnificum.* 54. V.: *prius eveniat.* Pal. et vett.: *eveniat pr.* 59. V.: *si non estis.* 61. MSS.: *ecferite.* V.: *effercite.*

Molestum quam id venire, quod cupide petas.
Tr. Molestus ne sis: nunc iam hercle i rus! te amove!
Ne tu erres, praeterhac mihi non facies moram.
Gr. Satin' abiit neque, quod dixi, flocci existumat!
Proh di inmortales, obsecro vostram fidem,
Facite, huc ut redeat noster quam primum senex,
Triennium qui iam hinc abest, priusquam omnia
Periere, et aedis et ager! qui nisi huc redit,
Paucorum mensum sunt relictae reliquiae.
Nunc rus abibo: nam eccum herilem filium
Video conruptum ex adulescente optumo.

PHILOLACHES.

Recordatus multum et diu cogitavi, b. t. I, 2.
Argumentaque in pectus multa institivi
Ego atque in meo corde, si est quod mihi cor;
Eam rem volutavi et diu disputavi,
Hominem quoius re, quando natust, b. tr.
Similem esse arbitrarer simulacrumque habere. b. t.
Id reperi iam exemplum. b. d.
Novarum aedium esse arbitror similem ego hominem, b. t.
Quando hic natus est. Ei re argumenta dicam.
Atque hoc haud videtur veri simile vobis;
At ego id faciam ita esse, ut credatis. b. tr.
Profecto esse, ita ut praedico, vera vincam. b. t.
Atque hoc vosmetipsi, scio, proinde uti nunc
Ego esse autumo, quando dicta audietis,
Haud aliter dicetis. b. d.
Auscultate, argumenta dum dico ad hanc rem: b. t.
Simul gnarures vos volo rem esse mecum.
Aedes quom extemplo sunt paratae, expolitae, i. tr. h.
Factae probe, examussim: an.
Laudant fabrum atque aedis probant sibi quisque; inde exemplum expetunt i. t.

69. Libri versu ὑπερμέτρῳ: *celer. Venire, quod molestum est, quam* etc. Glossema. 70, 71. V.: *M. n. s.: nunc iam i rus teque amove. Ne tu erres, hercle praeterhac mihi non f. m.* Pal.: *te amove.* 77. V.: *mensium.* 79. Sic MSS. V.: *hic ex.* Sed eo tibicine non indigemus. 81. Ita Reiz. apud Herm. libri de metris p. 200. V.: *institui.* 91. Sic Pal. V.: *vero.* 93. V.: *dicta audietis mea.* Sustulit glossema ἄμετρον G. Herm. l. l. ad 81, quo loco et versus 92, 93 et 94 recte digessit, qui iacent in vulgatis libris. 96. V.: *volo esse hanc rem mecum.* Pal. et scripti vocabulum *hanc* non agnoscunt. 97. *par.* non eliditur.

Sibi quisque simile, suo sibi sumtu; operae ne parcunt suae.
Atque ubi illo inmigrat nequam homo indiligens c. t.
Cum pigra familia, inmundus, instrenuos:
Hic iam aedibus vitium additur, bonae quom curantur male. i. t.
Atque illud saepe fit: tempestas venit, as. an. i.
Confringit tegulas imbricesque: ibi
Dominus indiligens reddere alias nevolt. c. t.
Venit imber, lavit parietes: perpluont
Tigna; putrefacit aër operam fabri:
Nequior factus iam est usus aedium; as. cr. d. t. h.
Atque haud est fabri culpa. Sed magna pars as. t. h. cr. d.
Morem hunc induxerunt: si quid numo sarciri potest, t. t. c.
Usque mantant, neque id faciunt, donicum as. c. d. t. h.
Parietes ruont: aedificantur totae aedes denuo. as. 3 t. h.
Haec argumenta aedificiis dixi ego; nunc etiam volo t. t. c.
Dicere, ut homines aedium esse similis arbitremini.
Primodum parentes fabri liberum sunt b. t.
Et fundamentum substruont liberorum;
Extollunt, parant, sedulo in firmitatem: ut
Et in usum boni sint et in speciem populo.
Sibique aut materiae ne parcunt, b. tr.
Nec sumtus sibi sumtui esse ducunt: as. b. d i. h.
Expoliunt, docent litteras, iura, leges; b. t.
Sumtu suo et labore nituntur, ut as. an. i.
Alii esse illorum similes sibi expetant.
Ad legionem quom itant, adminiculum eis danunt cr. t.
Tum iam aliquem cognatum suom. Eatenus abeunt a fabris? i. t.

100. V.: *suo usque sumtu;* sed scripti: *suo is sua,* (ut Pal.) vel *suo is suo, sumptum,* quod fuisse videtur *suo siui (sibi) sumtu. Usque* alienum. 101. V.: *indiligensque.* Correxit G. Herm. l. l. ad 81. p. 146. 107. Solum inter praesentia perfectum *Venit* suspicionem movet depravationis. Fortasso Plautus dederat *Ventat,* quod glossemati cesserit. Supra: Atque illud *saepe* fit: tempestas venit. 110. V.: *Moram hanc ind.* In vet. cod. Camer. legebatur *hunc*, neque defuerunt, qui *Morem* ponendum esse existimarent; et recte. Ineptum loquendi genus et insolitum *moram inducere,* aptissimum et usitatum *morem.* Iamque et optimum habemus versum trochaïcum. 116. V. *Primumdum*, quod κακόφωνον. 124. In libris *sibi* legitur ante *esse*, quod facinus videtur correctorum, iambicos senarios sectantium. Sane et praecedentem versum facile redigas in eius metri formam legendo *Sumtu suo nituntur et labore, uti;* sed abhorret a canticis iambicus senarius, propiusque magis est dialogorum. 126. *Eat. ab. a. f.* V. haec non interrogantur.

Unum ubi emeritum est stipendium: igitur tum specimen
cernitur, as. t. d. i. d.
Quo eveniat, aedificatio. i. d.
Nam ego ad illud frugi usque et probus fui, as. cr. d. t. h.
In fabrorum potestate dum fui.
Posteaquam inmigravi ingenium in meum:
Perdidi operam fabrorum eloco oppido.
Venit ignavia: ea mihi tempestas fuit; c. t.
Ea mi adventu suo grandinem, imbrem, attulit;
Haec verecundiam mi et virtutis modum
Deturbavit detexitque a me eloco. as. cr. d. t. h.
Postilla obtegere eam neglegens fui:
Continuo pro imbre amor advenit; is usque in pectus per-
manavit, t. t.
Permadefecit cor meum. t. d. c.
Nunc simul res, fides, fama, virtus, decus, cr. t.
Desueruerunt: ego sum in usum factus nimio nequior, t. t. c.
Atque edepol (ita tigna humide putent haec) non videor
mihi i. t.
Sarcire posse aedis meas, quin totae perpetuae ruant,
Quin cum fundamento perierint, nec quisquam as. 2 ith.
Esse queat auxilio. ith.
Cor dolet, quom scio, ut nunc sum atque ut fui, c. t.
Quo neque industrior de iuventute erat!
Arte gymnastica, disco, hastis, pila,
Cursu, armis, equo, victitabam volup;
Parsimonia et duritia disciplinae aliis eram: t. t. c.
Optumi quique expetebant a me doctrinam sibi.
Nunc, postquam nihili sum, id vero meopte ingenio reperi.

PHILEMATIUM. SCAPHA. PHILOLACHES.

Ph. Iampridem ecastor frigida non lavi mage lubenter.
i. t. c. I, 3.
Nec, quom me melius, mea Scapha, rear esse defecatam.
Sc. Eventus rebus omnibus velut horno messis magna
Fuit. Ph. Quid ea messis attinet ad meam lavationem?
Sc. Nihilo plus, quam lavatio tua ad messim. Phil. O
Venus venusta,

154. V.: *imbremque*. 136. Libri, vitio solenni descriptorum, cum non delent falsa: *Deturb. texit detexitque a me illico*. Cf. 158. 138. V. post *advenit* legitur *in cor meum*. 140. Sic Pal. V.: *decusque*. 141. V.: *in usu*. Douza fil.: *inusu*. 149. V.: — *equo, victitabam volupe*. Sed una haec oratio ὀξύμωρος.

Haec illa est tempestas mea, mihi quae modestiam omnem
Detexit, tectus qua fui, quam mihi Amor et Cupido
In pectus perpluit meum; neque jam usquam obtegere possum.
Madent iam in corde parietes: periere haec oppido aedes.
Ph. Contempla, amabo, mea Scapha, satin' haec me vestis deceat.
Volo me placere Philolachi, meo ocello, meo patrono.
Sc. Quid tu te exornas moribus lepidis, quom tute lepida es?
Non vestem amator mulieris amat, sed vestis fartum.
Phil. Ita me di ament, lepida est Scapha! sapit scelesta multum!
Ut lepide res omnis tenet sententiasque amantum!
Ph. Quid nunc? Sc. Quid est? Ph. Quin me adspice et contempla, ut haec decet me.
Sc. Virtute formae id evenit, te ut deceat, quidquid habeas.
Phil. Ergo hoc ob verbum te, Scapha, donabo ego hoc die aliqui
Neque patiar, te hanc gratiis laudasse, quae placet mi.
Ph. Nolo ego, te adsentari mihi. Sc. Nimis tu quidem stulta es mulier.
Eho mavis vituperarier falso, quam vero extolli?
Equidem pol vel falso tamen laudari multo malo,
Quam vero culpari aut meam speciem alios inridere.
Ph. Ego verum amo; verum volo dici mihi; mendacem odi.
Sc. Ita tu me ames, ita Philolaches tuos te amet, ut venusta es!
Phil. Quid ais, scelesta? quomodo adiurasti? ita ego istam amarim?
Quid „ita haec me"? id cur non additum est? Infecta dona facio.
Peristi! quod promiseram tibi dona, perdidisti!
Sc. Equidem pol miror, tam cate te eductam et tam bene doctam

160. Sic Acid. V.: *unquam.* 161. *haec* vett. praeter Palatinum, Iunt. Ald. Taubm. Par. V. tamen: *hae.* 163. V.: *Volo meo.* 64. Sic Pal. et scripti. V.: *quom lepida tota es?* 165. V.: *amatores mul amant.* Cf. Amph. 70, Mil. argum. poster. v. 8. 170. V.: *don ego profecto hodie al.* Non legitur *prof.* in Pal. et vett edd. 171. *hanc* Pal. V.: *istanc.* 178. Libri soloece: *amarem.* 179. Sic vett. edd., in his princeps. V.: *Quid istaec me.* 180. Sic Pal. V.: *Periisti! q. p. t. dona, p.* 181. V.: *E. p. m. tam catam tam doctam te et b. eductam.*

Nunc stultam stulte facere. Ph. Quin mone, quaeso, si quid erro.
Sc. Tu ecastor erras, quae quidem illum expectes unum atque illi
Morem praecipue sic geras atque alios adsperneris.
Matronae, non meretricium, est, unum inservire amantem.
Phil. Proh Iupiter, nam quod malum vorsatur meae domi illud?
Di deaeque omnes me pessumis exemplis interficiant,
Nisi ego illam anum interfecero siti fameque atque algu!
Ph. Nolo ego mihi male te, Scapha, praecipere. Sc. Stulta es plane,
Quae illunc tibi aeternum putes fore amicum et benevolentem.
Moneo ego te: te ille deseret aetate et satietate.
Ph. Non spero. Sc. Insperata accidunt magis saepe, quam, quae speres.
Postremo, si dictis nequis perduci, ut vera haec credas
Mea dicta: ex factis nosce rem: vide, quae sum et quae fui ante.
Nihili ego, quam nunc tu, amata sum atque uni modo gessi morem,
Qui pol me, ubi aetate hoc caput colorem conmutavit,
Reliquit deseruitque me. Tibi idem futurum credo.
Phil. Vix conprimor, quin involem illi in oculos stimulatrici!
Ph. Solam me soli censeo esse oportere obsequentem
Illi: ille me solam sibi soli suo liberavit.
Phil. Proh di inmortales, mulierem lepidam et pudico ingenio!
Bene hercle factum et gaudeo, mihi nil esse huius causa!
Sc. Inscita ecastor tu quidem es. Ph. Quapropter? Sc. Quae istuc cures,
Ut te ille amet. Ph. Cur, obsecro, non curem? Sc. Libera es iam
Tu; iam, quod quaerebas, habes: te ni ille amabit ultro,
Id, tuo pro capite quod dedit, perdiderit, tantum argenti.
Phil. Perii hercle, ni ego illam pessumis exemplis enicasso!
Illa hanc conrumpit mulierem malesüada vitilena.

190. Pal et vett. edd.: *putas*. 194. V.: *sim*. 197. Sic vett., in his Pal. V.: *crede*. 205. V.: *ille te nisi am u*.

Ph. Nunquam illi ego possum gratiam referre, ut meritust de me,
Scapha: id tu mihi ne suadeas, illum ut minoris pendam.
Sc. At hoc unum facito cogites, si illum inservibis solum,
Dum tibi nunc haec aetatula est, in senecta male querére.
Phil. In anginam ego nunc me velim vorti: ut veneficae illi
Faucis prehendam atque enicem scelestam stimulatricem!
Ph. Eundem animum oportet nunc mihi esse gratum, ut inpetravi,
Atque olim, priusquam id extudi, quom illi subblandiebar.
Phil. Divi me faciant, quod volunt, ni ob istam orationem
Te liberasso denuo et ni Scapham enicasso!
Sc. Si tibi sat acceptum est, fore victum tibi sempiternum
Atque illum amatorem tibi proprium futurum in vita:
Soli gerundum censeo morem et capiundos crines.
Ph. Ut fama est homini, exin solet pecuniam invenire;
Ego si bonam famam mihi servasso: sat ero dives.
Phil. Si quidem hercle vendundum est: pater venibit multo potius,
Quam te me vivo unquam sinam egere aut mendicare.
Sc. Quid illis futurum est ceteris, qui te amant? Ph. Magis amabunt,
Quo me videbunt gratiam referre rem ferenti.
Phil. Utinam meus nunc mortuos pater ad me nuntietur:
Ut ego exheredem meis bonis me faciam atque haec sit heres!
Sc. Iam ista quidem absumta res erit: dies noctisque estur, bibitur,
Nec quisquam parsimoniam adhibet; sagina plane est.
Phil. In te hercle certum est principe, ut sim parcus, experiri:
Nam neque edes quidquam neque bibes apud me his decem diebus.
Ph. Si quid tu in illum bene voles loqui: id loqui licebit;
Nec recte si illi dixeris: iam ecastor vapulabis.
Phil. Edepol Iovi summo si vivo argento sacruficassem,
Pro illius capite quod dedi: nunquam aeque id bene locassem.

218. Sic vett. V.: *nisi. Denuo* non eliditur. 227. Vett.: *grat. referenti*, vel *referentem*. 231. Libri *principium*. 232. Vet. MS. Camerar.: *apud me isdec diebus*, Decurt.: *ap. me isdem d.* Vetustiores edd.: *ap. me iisdem d.* Iunt., Ald.: *ap me iis d.* Vulgo: *ap. me hisce d. Apud* μονοσυλλάβως legendum. 237. Libri perverso metro: *collocassem*. Cf. 295. etc. 239. V.: *patronum*.

Ut videas, eam medullitus me amare! Oh, probus homo sum:
Quae pro me causam diceret, patronam liberavi.
Sc. Video, te nihile pendere prae Philolache omnis homines:
Nunc, ne eius causa vapulem, tibi potius adsentabor,
Si acceptum sat habes, tibi fore illum amicum sempiternum.
Ph. Cedo mihi speculum et cum ornamentis arculam actutum, Scapha: t. t. c.
Ornata ut siem, quom huc veniat Philolaches, voluptas mea.
Sc. Mulier, quae se suamque aetatem spernit, speculo ei usus est;
Quid opust speculo tibi, quae tute speculo speculum es maxumum?
Phil. Ob istuc verbum, ne nequidquam, Scapha, tam lepide dixeris, i. t.
Dabo aliquid hodie ferculi — tibi, Philematium mea.
Ph. Suo quique loco viden' capillus satis conpositust commode?
Sc. Ubi tu commoda es: capillum commodum esse credito. t. t. c.
Phil. Vah, qui illa pote peius quidquam muliere memorarier?
Nunc adsentatrix scelesta est; dudum advorsatrix erat.
Ph. Cedo cerussam. Sc. Quid cerussa opus nam? Ph. Qui malas oblinam.
Sc. Una opera ebur atramento candefacere postules.
Phil. Lepide dictum de atramento atque ebore! Eu, plaudo Scaphae.
Ph. Tum tu igitur cedo purpurissum. Sc. Non do: scita es tu quidem.
Nova pictura interpolare vis opus lepidissumum? i. t.
Non istanc aetatem oportet pigmentum ullum attingere, t. t. c.
Neque cerussam neque μέλαν neque aliam ullam obfuciam.
Cape igitur speculum. Phil. Hei mihi misero: savium speculo dedit.

247. *ferculi.* Ita Decurt. Vulgo *peculi.* cf. 288. 251. *qui* Libri *quid* soloeca oratione. 254. Libri *Euge*, difficiliore quidem numero. 258. *μέλαν*, Vid. Pollux. Libri *melinum* (*μήλινον*), quod versui repugnat.

Nimis velim lapidem, qui ego illi speculo diminuam caput!
Sc. Linteum cape atque exterge tibi manus. Ph. Quid ita, obsecro?
Sc. Ut speculum tenuisti, metuo, ne oleant argentum manus:
Ne usquam argentum te accepisse suspicetur Philolaches.
Phil. Non videor vidisse lenam callidiorem ullam alteras.
Ut lepide atque astute in mentem venit de speculo malae!
Ph. Etiamne unguentis unguendam censes? Sc. Minume feceris.
Ph. Quapropter? Sc. Quia ecastor mulier recte olet, ubi nil olet.
Nam istaec veteres, quae se unguentis unctitant, interpoles,
Vetulae, edentulae, quae vitia corporis fuco obculunt,
Ubi sudor cum unguentis sese consociavit: eloco
Itidem olent, quasi cum una multa iura confudit cocus:
Quid oleant, nescias, nisi id unum, ut male olere intellegas. i. t.
Phil. Ut perdocte cuncta callet! nihil hac docta doctius! t. t. c.
Verum illuc et maxuma adeo pars vostrorum intellegit,
Quibus anus domi sunt uxores, quae vos dote meruerunt.
Ph. Agedum, contempla aurum et pallam, satin' haec me deceat, Scapha.
Sc. Non me curare istucce oportet. Ph. Quem, obsecro, igitur? Sc. Eloquar. i. t.
Philolachem: is ne quid emat, nisi, quod tibi placere censeat. t. t. c.
Nam amator meretricis mores sibi emit auro et purpura.
Quid opus est, quod suom esse nolit, eii ultro ostentarier?
Purpura aetas occultanda est; aurum turpe mulieri.
Pulcra mulier nuda erit, quam purpurata, pulcrior:
Postea nequidquam exornata est bene, si morata est male:
Pulcrum ornatum turpes mores peius coeno conlinunt.
Nam si pulcra est: nimis ornata est. Phil. Nimis diu abstineo manum.
Quid hic vos diu agitis? Ph. Tibi me exorno ut placeam. Phil. Ornata es satis i. t.

264. Sic Pal. V.: *alteram.* Cf. Truc. 236. 286. *diu.* Sic Decurt. et vett. edd. Vulgo *duae.*

Abi tu hinc intro atque ornamenta haec aufer. — Sed, voluptas mea, t. t. c.
Mea Philematium, potare tecum conlubitum est mihi.
Ph. Lubet et edepol mihi tecum: nam quod tibi lubet, idem mihi lubet, i. t.
Mea voluptas. Phil. Hem, istuc verbum vile est viginti minis! t. t. c.
Ph. Cedo, amabo, decem. Bene emtum tibi dare hoc verbum volo.
Phil. Etiam nunc decem minae apud te sunt: vel rationem puta:
Triginta minas pro capite tuo dedi . . . . Ph. Cur exprobras?
Phil. Egone id exprobrem? Quin mihimet cupio id opprobrarier,
Nec quidquam argenti locavi iamdiu usquam aeque bene.
Ph. Certe ego, quod te amo, operam nusquam melius potui ponere.
Phil. Bene igitur ratio accepti atque expensi inter nos convenit:
Tu me amas, ego te amo; merito id fieri uterque existumat.
Haec qui gaudent: gaudeant perpetuo suo semper bono;
Qui invident, ne unquam eorum quisquam invideat prorsus commodis.
Ph. Age, adcumbe igitur. — Cedo aquam manibus, puer. Adpone hic mensulam. i. t.
Vide, tali ubi sint. — Vin' unguenta? Phil. Quid opust? Cum stacta adcubo. t. t. c.
Sed estne hic meus sodalis, qui huc incedit cum amica sua? i. t.
Is est! Callidamates cum amica incedit. Euge, oculus meus,
Conveniunt manuplares, eccos; praedam participes petunt. t. t. c.

CALLIDAMATES. DELPHIUM. PHILOLACHES. PHILEMATIUM.

Ca. Advorsum veniri mihi ad Philolachem as. b. d. i. h. I, 4.
Volo temperi. Audi! Hem, tibi imperatum est.

304. Vulgo: *cum am. eccum inc.* Sed Decurt.: *cum amica cū inc.*, ubi *cū* ortum videtur praegressa syllaba forte repetita. Et numeros autem *eccum* impedit, et frigit sequente *eccos*.

Nam illi, ubi fui, inde ecfugi foras: ita me ibi male convivi as. r. d. i. d. h.
Sermonisque taesum est. Nunc comissatum ibo ad Philolachetem, ubi nos
Hilaro ingenio et lepido accipiet. t. d.
Ecquid tibi videor ma-ma-madere? as. ex 2 i. h.
DE. Semper istoc modo moratos vita. Debebas . . . . t. tr. h. clod.
CA. Visne ego te ac tu me amplectare? t d.
DE. Si tibi cordi est facere, licet. as. t. i.
CA. Lepida es. Duce me, amabo. DE. Cave ne cadas! as ith. i.
Adsta! CA. O-o-ocellus es meus; tuos sum alumnus, mel meum. i. t.
DE. Cave modo, ne prius in via as. t. i.
Adcumbas, quam illi, ubi lectus est stratus, coïmus. i. tr. h.
CA. Sine, sine, cadere me. DE. Sino. CA. Sed et hoc, quod mi in manu est. as. t. d. i. d. br.
DE. Si cades: non cades, quin cadam tecum. c. t. c.
Iacentis tollet postea nos ambos aliquis. i. tr. h.
Madet homo. CA. Tun' me ais ma-ma-madere? as. c. d. et t.
DE. Cedo manum: nolo equidem te adfligi. as. t. i. h.
CA. Hem, tene! DE. Age, i simul. CA. Quod ego eam, an scis?
DE. Scio. CA. In mentem venit modo: nempe domum eo comissatum. as. t. d. i. d. c.
DE. Imo. CA. Istuc quidem iam memini. t. d.
PHIL. Num non vis obviam med his ire, anime mi? i. s.
Illi ego ex omnibus optume volo. as. cr. d. t. h.
Iam revortar. PH. Diu est Iam id mihi. as. cr. d. t. c.
CA. Ecquis hic est? PH. Adest . . . CA. Eu, Philolaches, as. c. d. t.
Salve, amicissume mihi omnium hominum.
PHIL. Di te ament. Adcuba, Callidamates.
Unde agis te? CA. Unde homo ebrius. PHIL. Probe. — as. c. d. t. h.
Quin, amabo, adcubas, Delphium mea?
CA. Da illi, quod bibat; dormiam ego iam. as. t. i. h.
PHIL. Non mirum aut novom quidpiam facit. as. 2 t. h.

311. Vett.: *mammam adire*. V.: *mamma, madere?* 312. *vite* vett., in his Pal. V.: *moratus vivere debebas*. 313. Sic Decurt. V.: *tute*. 316. V.: *Oh! ocellus*. Sed idem liber: *Oho hocellus*. Balbutit ebrius, ut 311 et 322. 331. Sic MSS. V.: *mihi hominum omnium*. 333. *homo* non elidendum. 336. Libri: *Num — facit?*

Quid ego hoc faciam postea, mea? De. Sic sine eumpse. t. tr.
Phil. Age tu, interim da ab Delphio cito cantharum circum. i. tr. h.

TRANIO. PHILOLACHES. CALLIDAMATES.
DELPHIUM. PHILEMATIUM. PUER.

Tr. Iupiter supremus summis opibus atque industriis t. t. c. II, 1.
Me perisse et Philolachetem cupit, herilem filium!
Occidit spes nostra! nusquam stabulum est confidentiae,
Nec Salus nobis saluti iam esse, si cupiat, potest:
Ita mali moeroris montem maxumum ad portum modo
Conspicatus sum: herus advenit peregre. Periit Tranio!
Ecquis homo est, qui facere argenti cupiat aliquantum lucri,
Qui hodie sese excruciari meam vicem possit pati?
Ubi sunt isti plagipatidae, ferritribaces, viri, i. t.
Vel isti, qui trium nummorum causa subeunt sub falas,
Ubi aliqui quindenis hastis corpus transfigi solent? t. t. c.
Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit;
Sed ea lege, ut obfigantur bis pedes, bis brachia;
Ubi id erit factum: a me argentum petito praesentarium.
Sed ego sumne ille infelix, qui non curro curriculo domum? i. t.
Phil. Adest, a d e s t obsonium: eccum Tranio a portu redit.
Tr. Philolaches! Phil. Quid est? Tr. Et ego et tu ....
Phil. Quid „et ego et tu"? Tr. Periimus! t. t. c.
Phil. Quid ita? Tr. Pater adest. Phil. Quid ego ex ted audio? Tr. Absumti sumus!
Pater, inquam, tuos venit. Ph. Ubi is est, t. d.
Obsecro? Tr. Adest. Phil. Quis id ait? quis vidit? Tr. Egomet, inquam, vidi. Phil. Vae mi! t. t.
Quid ego ago? Tr. Nam quid tu, malum, me rogitas, quid agas? Adcubas. t. t. c.
Phil. Tun' vidisti? Tr. Egomet, inquam. Phil. Certe? Tr. Certe, inquam. Phil. Occidi,
Si tu vera memoras! Tr. Quid mihi sit boni, si mentiar?
Phil. Quid ego nunc faciam? Tr. Iube haec hinc omnia amolirier.
Quis istic dormit? Phil. Callidamates. Tr. Suscita istunc, Delphium. i. t.

357. Ita Decurt. V.: *Ubi est is.*

De. Callidamates, Callidamates, vigila! Ca. Vigilo: cedo ut bibam. t. t. c.
De. Vigila: pater advenit peregre Philolachae. Ca. Valeat pater.
Phil. Valet illic quidem; at ego disperii! Ca. Disperisti? qui potest?
Phil. Quaeso edepol, exsurge: pater advenit. Ca. Tuos venit pater?
Iube abire rursum. Quid illi reditio huc etiam fuit? i. t.
Phil. Quid ego agam? Pater hic iam obfendet misere adveniens ebrium, t. t. c.
Aedis plenas convivarum et mulierum. Miserum est opus,
Igitur demum fodere puteum, ubi sitis faucis tenet;
Sicut ego adventu patris nunc quaero, quid faciam miser.
Tr. Ecce autem hic deposivit caput et dormit. Suscita.
Phil. Etiam vigilas? Pater, inquam, aderit iam hic meus. Ca. Ain' tu? pater?
Cedo soleas mihi, ut arma capiam? Iam pol ego occidam patrem!
Phil. Perdis rem: tace. Amabo, abripite hunc intro actutum inter manus!
Ca. Iam hercle ego vos pro matula habebo, nisi mihi matulam datis!
Phil. Perii! Tr. Habe bonum animum: ego istunc lepide medicabor metum.
Phil. Nullus sum! Tr. Taceas: ego, qui istaec sedem, meditabor tibi.
Satin' habes, si ego advenientem ita patrem faciam tuom,
Non modo ne introeat, verum etiam ut fugiat longe ab aedibus?
Vos modo hinc abite intro atque haec hinc propere amolimini.
Phil. Ubi ego ero? Tr. Ubi maxume vis esse: cum hac, cum istac eris.
De. Quid, si igitur abeamus hinc nos? Tr. Non hoc longe, Delphium!
Nam metuis potare? Haud tantillo hac quidem causa minus.

368. *Iube* non liquescit. Pal.: *reditio et etiam*, quod fuerit *reditiod etiam*. V.: *etiam huc*. 369. Libri *miserum*. Non *miser* Callidamates, sed *misere* (h. e. valde) *ebrius*. 373. *Ecce* non elidendum. 374. Huc referri posse existimat Angelus Maius MSti palimpsesti, quem in bibliotheca Ambros. reperit, fragmentum illud: *Dicam ut hinc res est quaeso ar* (ma ferte) *manum pueri.* Fort.: — *patrem.* — *Dicam, ut haec res est.* — *Quaeso, arma date mihi, pueri, in manum!*

PHIL. Hei mihi, quam, istaec blanda dicta quo evenant, madeo metu!
TR. Potin', ut animo sis quieto et facias, quod iubeo? PHIL. Potest.
TR. Omnium primum, Philematium, intro abi, et tu, Delphium.
DE. Morigerae tibi erimus ambae. TR. Ita ille faxit Iupiter!
Animum advorte nunc iam tu, quae volo adcurarier.
Omnium primodum aedes iam fac obclusae sient.
Intus cave muttire quemquam siveris .... PH. Curabitur.
TR. Tamquam si intus natus nemo in aedibus habitet .... PHIL. Licet.
TR. Neu responset quisquam, quando hasce aedis pultabit senex.
PHIL. Numquid aliud? TR. Clavim mi harunc aedium Laconicam
Iam iube ecferri intus: hasce ego aedis obcludam hinc foris.
PHIL. In tuam custodelam meque et spes meas trado, Tranio,
TR. Pluma haud interest, patronus an cliens propior siet
Homini, quoi nulla in pectore est audacia. i. s.
Nam quoivis homini, vel optumo vel pessumo,
Quamvis desubito facile est facere nequiter;
Verum id videndum est, id viri docti est opus,
Quae designatae et factae nequitiae sient,
Tranquille cunctae et ut proveniant sine malo:
Ne quid potiatur, quamobrem pigeat vivere:
Sicut ego ecficiam, quae facta hic turbabimus,
Profecto ut liqueant omnia et tranquilla sint,
Nec quidquam nobis pariant ex se incommodi.
Sed quid tu egrederis? Pereo! Iamiam optume
Praeceptis paruisti! PU. Iussit maxumo
Opere orare, ut patrem aliquo absterreres modo,
Ne introiret aedis. TR. Quin etiam illi hoc dicito:
Facturum, ut ne etiam adspicere aedis audeat,
Capite obvoluto ut fugiat cum summo metu.
Clavim cedo atque abi intro, atque obclude ostium,

386. V. *eveniant.* 397. Libri *custodiam*, quae est interpretatio ἄμετρος. Vid. Fest. Saepius haec mixta. 398. Vett.: *propior*, vel *proprior*, ut Decurt. V.: *probior.* 401. Male hunc versum inter et sequentem leguntur illa *Clavim cedo* etc., recte autem suo loco, versu 415. Vid. Acidal. Divinatt. p. 230. 403. V.: *Q. designata sint et facta nequitia*, et sequente versu *cuncta.* 404. Ita Decurt. V.: *patiatur.* 409. Decurt.: *perio iam iam o.* Vett. edd.: *spero* pro *pereo.* V.: *perii! o iam iam o.* 412. V.: *introiret. adest.* Correxit Cam. 413. Sic MSS. V.: *Fact. me.* 415. V.: *hinc intro.*

Et ego hinc obcludam. — Iube venire nunc iam!
Ludos ego hodie vivo praesenti hic seni
Faciam, quod credo mortuo nunquam fore.
Concedam a foribus huc; hinc speculabor procul,
Unde advenienti sarcinam inponam seni.

THEUROPIDES. TRANIO.

Th. Habeo, Neptune, gratiam magnam tibi, i. s. II, 2.
Quom med amisisti a te vix vivom modo!
Verum si posthac me pedem latum modo
Scies inposisse in undam: haud causa eloco est,
Quod nunc voluisti facere, quin facias mihi.
Apage, apage te a me nunc iam post hunc diem;
Quod crediturus tibi fui, omne credidi.
Tr. Edepol, Neptune, peccavisti largiter,
Qui occasionem hanc amisisti tam bonam.
Th. Triennio post Aegypto advenio domum.
Credo, expectatus veniam familiaribus.
Tr. Nimio edepol ille potuit expectatior
Venire, qui te nuntiaret mortuom.
Th. Sed quid hoc? Obclusa ianua est interdius.
Pultabo. Heus, ecquis istas aperit mihi foris?
Tr. Quis homo est, qui nostras aedis accessit prope?
Th. Meus servost hic quidem Tranio. Tr. O Theuropides,
Here, salve! salvom te advenisse gaudeo!
Usquene valuisti? Th. Usque, ut vides. Tr. Factum optume.
Th. Quid vos? insanin' estis? Tr. Quidum? Th. Sic: quia
Foris ambulatis, natus nemo in aedibus
Servat, neque qui recludat, neque respondeat.
Pultando pene confregi hasce ambas. Tr. Eho,
An tu tetigisti has aedis? Th. Cur non tangerem?
Quin pultando, inquam, pene confregi foris.
Tr. Tetigistin'? Th. Tetigi, inquam, et pultavi. Tr. Vah! Th. Quid est?
Tr. Male hercle factum! Th. Quid negoti est? Tr. Non potest
Dici, quam indignum facinus fecisti et malum.
Th. Quid iam? Tr. Fuge, obsecro, atque abscede ab aedibus!

442. V.: *neque qui resp.* 443. Libri versu septenario: *P. pedibus pene.*

Fuge huc, fuge ad me propius! Tetigistin' foris?
Th. Quomodo pultare potui, si non tangerem?
Tr. Occidisti hercle . . . . Th. Quem mortalem? Tr. Omnis tuos.
Th. Di te deaeque omnes faxint cum istoc omine . . . .
Tr. Metuo, te atque istos expiare ut possies . . . .
Th. Quamobrem, aut quam subito rem mihi adportas novam?
Tr. Et, heus, iube illos illim, amabo, abscedere.
Th. Abscedite. Tr. Aedis ne attigatis! Tangite
Vos quoque terram! Th. Obsecro hercle, quin eloquere rem?
Tr. Quia septem menses sunt, quom in hasce aedis pedem
Nemo intro tetulit, semel ut emigravimus.
Th. Eloquere, quid ita? Tr. Circumspicedum, num quis est,
Sermonem nostrum qui aucupet. Th. Tutum probe est,
Tr. Circumspice etiam. Th. Nemo est: loquere nunc iam,
Tr. Capitale factum est. Th. Quid id est? Non intellego.
Tr. Scelus, inquam, factum est iamdiu antiquom et vetus.
Th. Antiquom? Tr. Id adeo nos nunc factum invenimus.
Th. Quid istuc scelesti est, aut quis id fecit? cedo.
Tr. Hospes necavit hospitem captum manu;
Iste, ut ego opinor, qui has tibi aedis vendidit.
Th. Necavit? Tr. Aurumque eii ademit hospiti,
Eumque hic defodit hospitem ibidem in aedibus.
Th. Quapropter id vos factum suspicamini?
Tr. Ego dicam: ausculta. Ut foris coenaverat
Tuos gnatus, postquam rediit a coena domum:
Abimus omnes cubitum, condormivimus.
Lucernam forte oblitus fueram extinguere:
Atque ille exclamat derepente maxumum.
Th. Quis homo? an meus gnatus? Tr. Sic. Tace; ausculta modo.
Ait, venisse illum in somnis ad se mortuom.
Th. Nempe ergo in somnis? Tr. Ita. Sed ausculta modo.
Ait illum hoc pacto sibi dixisse mortuom . . . .
Th. In somnis? Tr. Mirum, quin vigilanti diceret,
Qui abhinc sexaginta annis occisus foret!

456. H. e.: *et illos*, pedisequos. Libri, versu impingente: *illinc*. 457. Scripti: *atigate*, ut Pal., vel *attigate*. 464. V.: *Capitalis caedis* (scripti *cedis*, vett. edd.: *aedis*) *facta est*. Ita explicaverunt veterem formam, quam versus poscit, *Capitale* pro *Capital*. 466. V., non immissa persona senis: — *vetus. Antiquom id* etc. 467. V. perversis numeris: *Quid istuc est, sceleste, aut* etc. 478. *Sic* vett. edd. V.: *st, tace*. Cf. 480.

Interdum inepte . . . . Taceo. Sed ecce, quae ille ait:
„Ego transmarinus hospes sum Diapontius;
Hic habito; haec mihi dedita est habitatio:
Nam in Acheruntem recipere Orcus noluit,
Quia praemature vita careo. Per fidem
Deceptus sum: hospes me hic necavit, isque me
Defodit insepultum clam ibidem in aedibus,
Scelestus, auri causa. Nunc tu hinc emigra:
Scelestae haec aedes, inpia est habitatio."
Quae hic monstra fiunt, anno vix possum eloqui.
St, st!
Th. Quid, obsecro hercle, factum est? Tr. Concrepuit foris.
Hinc me percussit. Th. Guttam haud habeo sanguinis!
Vivom me arcessunt ad Acheruntem mortui!
Tr. Perii, illice hodie hanc conturbabunt fabulam!
Nimis quam formido, ne manufesto hic me opprimat.
Th. Quid tute tecum loquere? Tr. Abscede ab ianua.
Fuge, obsecro hercle! Th. Quo fugiam? Tr. Etiam tu fugis?
Th. Nil ego formido: pax mihi est cum mortuis. —
Heus, Tranio! Tr. Non me adpellabis, si sapis:
Nil ego conmerui neque istas percussi foris.
Th. Quaeso, quid segrex? quae res te agitat, Tranio?
Quicum istaec loquere? Tr. An, quaeso, tu adpellaveras?
Ita me di amabunt, mortuom illum credidi
Expostulare, quia percussissem foris.
Sed tu etiamne adstas nec, quae dico, obtemperas?
Th. Quid faciam? Tr. Cave respexis, fuge et operi caput!
Th. Cur non fugis tu? Tr. Pax mihi est cum mortuis.
Th. Scio. Quid modo igitur? cur tantopere extimueras?
Tr. Nil me curassis, inquam: ego mihi providero,
Tu, ut occepisti, tantum, quantum quis, fuge,
Atque Herculem invocabis. Th. Hercule, te invoco!
Tr. Et ego, tibi hodie ut det, senex, magnum malum.

484. Pal. uno versu: *Int. ineptae stultus es taceo sed ecce queilliin.* Vett. edd.: *quae ille ait.* V.:

Interdum inepte stultus es.
Th. *Taceo.* Tr. *sed ecce quae ille inquit.*

Ille non legitur in Iunt. Ald. etc. 487. Pal.: *Nam ineacherunt em r. orchus n.* Vett. edd.: *N. me in Ach.* V.: *Nam me Ach.* 490. V.: *in hisce* (Pal. *his*) *aed.* 492. V.: *Scelestae hae* (hoc non habent vett. edd.) *sunt aedes, imp. e. h.* 495. Scripti: *Hicine perc.* Vett. edd.: *Hic me p.* 497. V.: *illisce.* Corr. Douza Centur. pagg. 301 sequ. 500. Male seni tribuuntur verba *Et. tu f.?* 504. Scripti: *segreges;* vett. edd.: *e grege es;* vulgo: Q., *quid aegre est?* 509. V.: *fuge atque o. c.* 511. Pal.: *tanto opere.* 514. V.: *Hercules.*

Proh di inmortales, obsecro vostram fidem,
Quid ego hoc die negoti confeci malum!

DANISTA. THEUROPIDES. TRANIO.

Da. Scelestiorem ego annum argento foenori i. s. III, 1.
Nunquam ullum vidi, quam hic mihi annus obtigit.
A mane ad noctem usque in foro dego diem;
Locare argenti nemini numum queo.
Tr. Nunc pol ego perii plane in perpetuom modum:
Qui dedit, amica qui emta, danista adest quoque.
Manufesta res est, nisi quid occurro prius:
Hoc ne senex resciscat. Ibo huic obviam,
Sed quidquam hic sese tam cito recipit domum?
Metuo, ne de hac re quidpiam inaudiverit.
Accedam atque adpellabo. Hei, quam timeo miser!
Nihil est miserius, quam animus hominis conscius,
Sicut me habet. Verum ututi res sese haec habet:
Pergam turbare porro: ita haec res postulat.
Unde is? Th. Conveni illum, unde has aedis emeram.
Tr. Numquid dixisti de illo, quod dixi tibi?
Th. Dixi hercle vero omnia. Tr. — Vae misero mihi!
Metuo, ne technae meae perpetuo perierint!
Th. Quid tute tecum? Tr. Nihil enim. Sed dic mihi:
Dixistin', quaeso? Th. Dixi, inquam, ordine omnia.
Th. Etiam fatetur de hospite? Th. Imo pernegat.
Tr. Negat? Th. Quam rogitas! Dicam, si confessus sit.
Quid nunc faciundum censes? Tr. Ego quid censeam?
Cape, obsecro hercule, una cum eo iudicem. —
Sed eum videto ut capias, qui credat mihi. —

522. Libri: *Danista adest, qui dedit, quia mica est empta quoque.* Hinc Camer. fecit, quod adhuc legitur:

Danista adest, qui dedit argentum foenori,
Qui amica est empta, quoque opus in sumptus fuit.

In vett. hic est unus versus. 527. *quidpiam* non liquescit. 530. *haec* non legitur in MSS. 531. Ita Pal. V.: *hasce.* 535. vulgo habetur post 543 priore loco, quo is versus legitur in libris. Ceterum hi versus sic ibi digesti sunt, bis positis 538, 541—543, id quod fieri nullo modo potest: 534, 538, 541—543, 535—540, 541—543. 537. Pal.: *Dixit inqueso.* V.: *Dixtin' quaeso.* 539. Vett.: *N. cum cogita* (editi: *cogito*) *dicam, si conf. sit.* Haec ita interpolavit Camer.:

Tr. *Negat.* Th. Negat, inquam. Tr. perii oppido, *cum cogito!*
Non confitetur? Th. *dicam* etc.

540. V.: *egon'.*

Tam facile vinces, quam pirum volpes comest.
Da. Sed Philolachetis servom eccum Tranium,
Qui mihi nec foenus nec sortem argenti danunt.
Th. Quo te agis? Tr. Nec quoquam abeo, — Nae ego sum miser,
Scelestus, natus dis inimicis omnibus!
Iam illo praesente adibit. Nae ego homo sum miser:
Ita et hinc et illinc mi exhibent negotium.
Sed occupabo adire. Da. Hic ad me it: salvos sum:
Spes est de argento. Tr. Hilarus istic frustra homo est. —
Salvere iubeo te, Misargyrides, bene.
Da. Salve et tu. Quid de argento? Tr. Abi, sis, belua!
Continuo adveniens pilum iniecisti mihi.
Da. Hic homo est inanis. Tr. Hic homo est certe hariolus.
Da. Quin tu istas mittis tricas? Tr. Quin, quid vis, cedo.
Da. Ubi Philolaches est? Tr. Nunquam potuisti mihi
Magis opportunus advenire, quam advenis.
Da. Quid est? Tr. Concede huc. Da. Quin mi argentum redditur?
Tr. Scio, te bona esse voce: ne clama nimis.
Da. Ego hercle vero clamo. Tr. Ah, gere morem mihi!
Da. Quid tibi ego morem vis geram? Tr. Abi, quaeso, hinc domum.
Da. Abeam? Tr. Redito huc circiter meridiem.
Da. Reddeturne igitur foenus? reddeturne? Tr. Abi.
Da. Quid ego huc recursem, aut operam sumam aut conteram?
Quid, si sic manebo potius ad meridiem?
Tr. Imo abi domum! Verum hercle dico. Abi modo!
Da. Quin vos mihi foenus date! Quid hic nugamini?
Tr. Eu hercle! — Nae tu abi modo; ausculta mihi.
Da. Iam hercle illum ego nominabo. Tr. Euge strenue!
Beatus vero es nunc, quom clamas. Da. Meum peto.
Multos me hoc pacto iam dies frustramini.
Molestus si sum: reddite argentum: abiero,
Responsiones omnis hoc verbo eripit.
Tr. Sortem accipe. Da. Imo foenus: id primum volo.
Tr. Quid? tu ted, hominum omnium teterrume,
Venisti huc extentatum? Agas, quod in manu est.

544. Sic MSS. V.: *eccum servom*. 563. Sic vett. edd. Vulgo: *meridie*. 568. Ita Decurt. et vett. edd. Vulgo abest *hic*, hiante versu. 574. Ita Pal. et plerique omnes vett. V.: *eripite*. 576. V.: *Q. tu, homo hominum omnium tet., Ven. h. ext.?* Verum *homo* non legitur in priscis, *te* legitur ante *extentatum*.

Non dat: non debet. Da. Non debet? Tr. Ne gry quidem.
Da. Ferri hoc potest? Tr. Potest. Da. Ain'? an quo abiit foras?
Tr. Urbem exul liquit, actus hinc causa tui.
Quin sortem potius reddebit. Da. Quin non peto:
Cedo foenus! redde foenus! foenus reddite!
Daturin' estis foenus actutum mihi?
Date mihi foenus! Tr. Foenus illic, foenus hic!
Nescit quidem nisi foenus fabularier
Veterator; neque ego tetriorem beluam
Vidisse me unquam quemquam quam te censeo.
Da. Non edepol nunc me tu istis verbis territas.
Tr. Molestus ne sis: nemo dat. Age quidlubet!
Tu solus, credo, foenore argentum datas.
Th. Quod illuc est foenus, obsecro, quod illic petit?
Tr. Pater eccum advenit peregre non multo prius
Illius; is et foenus tibi et sortem dabit:
Ne inconciliare quid nos porro postules.
Vide, num moratur? Da. Quin feram, si quid datur.
Th. Quid ais tu? Tr. Quid vis? Th. Quis illic est? quid illic petit?
Quid Philolachetem gnatum conpellat meum
Sic et praesenti tibi facit convicium?
Quid illi debetur? Tr. Obsecro hercle te, iube
Obici argentum huic ob os inpurae beluae.
Th. Iubeam? Tr. Iube homini argento os verberarier.
Da. Perfacile ego ictus perpetior argenteos.
Th. Illud volo dici mi, illud me scire expeto,
Quod illud argentum est. Tr. St! Huic debet Philolaches....
Da. Paulum. Th. Quantillum? Tr. Quasi quadraginta minas.

578. V.: *Nec erit quidem.* Corr Acidal. 579. Vett.: *F. a. potes? an quo abeat* (scripti *habeat*) *foras?* Fecerunt: *an mavis ut aliquo ab f.?* 580. Pal.: *hic.* V.: *U. e linquat factus hic c. t.* Et sequente versu: *Quoi sortem vix dare licebit?* Da. *Q. n. p.* Ubi scripti: *Quoi sortem cebit q. n. p.* Ceterum post hunc versum libri praeter Iunt. Ald.:

Th. *Eia, mastigia, ad me redi.* Tr. *iam istic ero.*
Molestus ne sis, nemo dat, age quid lubet.
Tu solus, credo, foenore argentum datas.

quae nos propter seriem nexumque orationum ponenda vidimus 701, ubi vid. not., 588, 589. Verba *actus hinc* 580 sunt a Guilielmio. 588. Post hunc versum inculcatur 646. Cf. not. ad 580. 597. Iunt. Ald.: *Q. P. g. c. ferax?* 599. Iisdem *te* debetur. 603. vulgo post 609 habetur legiturque *id* pro *illud* utroque loco. 604. Decurt.: *Q. i. a. est est huic d. Ph.* Alibi alterum *est* desideratur, quod pro *st* haud dubie scriptum fuit per oscitationem haud insolitam librariorum.

Da. Ne sane id multum censeas: paulum id quidem est.
Tr. Audin'? videturne, obsecro hercle, idoneus,
Danista qui sit, genus quod inprobissumum est?
Th. Non **nunc** ego istuc curo, qui sit, unde sit.
Adeo etiam argenti foenus creditum audio.
Tr. Quatuor quadraginta illi debentur minae.
Dic te daturum: ut abeat. Th. Egon' dicam dare?
Tr. Dic. Th. Egone? Tr. Tu ipsus. Dic modo! ausculta mihi!
Promitte! age, inquam: ego iubeo. Th. Responde mihi:
Quid eo est argento factum? Tr. Salvom est Th. Solvite
Vosmet igitur, si salvom est. Tr. Aedis filius
Tuos emit. Th. Aedis? Tr. Aedis. Th. Euge, Philolaches
Patrissat! iam homo in mercatura vortitur!
Ain' tu aedis? Tr. Aedis, inquam. Sed scin', quoiusmodi?
Th. Qui scire possum? Tr. Vah! Th. Quid est? Tr. Ne me roga.
Th. Nam quid ita? Tr. Speculo claras, clarorem merum.
Th. Bene hercle factum! Quid? eas quanti destinat?
Tr. Talentis magnis totidem, quot ego et tu sumus.
Sed arrhaboni illas quadraginta minas
Hic sumsit, quas debemus. Satin' intellegis?
Nam postquam haec aedes ita erant, ut dixi tibi:
Continuo est alias aedis mercatus sibi.
Th. Bene hercle factum! Da. Heus, iam adpetit meridies!
Tr. Absolve hunc, quaeso: vomitu ne hic nos enicet.
Quatuor quadraginta illi debentur minae,
Et sors et foenus. Da. Tantum est; nihilo plus peto.
Tr. Velim quidem hercle, ut uno numo plus petas.
Th. Adulescens, mecum rem habe. Da. Nempe abs te petam?
Th. Petito cras. Da. Abeo: sat habeo, si cras fero.
Tr. Malum quod isti di deaeque omnes duint:
Ita mea consilia perturbat planissume.
Nullum edepol hodie genus est hominum tetrius
Nec minus bono cum iure, quam danisticum.
Th. Qua in regione istas aedis emit filius?
Tr. Ecce autem perii! Th. Dicisne hoc, quod te rogo?
Tr. Dicam; sed nomen domini quaero quid siet.

623. Libri: *S. a. has dedit quad. m. Hinc* (Decurt. *Hic*) *s., quas* (Dec. *quasi*, Iunt. Ald.: *illi quas*, vulgo: *quas ei*) *dedimus.* 629. V.: *vomitum.* 633. *N. abs te p.* V. haec affirmate. 636. Ita Iunt. Ald. Decurt.: *plenissime.* V.: *paenissume.* 638. *iure.* Decurt.: *lucre*, pro *lucro.*

TH. Age, conminiscere ergo. TR. Quo ego nunc agam,
Nisi in vicinum hunc proxumum, mendacium?
Eas emisse aedis huius dicam filium.
Calidum hercle audivi esse optumum mendacium;
Calidum hoc est: etsi procul abest, urit male.
Quidquid dei dicunt, id decretum est dicere.
TH. Quid igitur? iam commentus? TR. Di istunc perduint!
— Imo istunc potius! — De vicino hoc proxumo
Tuos emit aedis filius. TH. Bonan' fide?
TR. Si quidem es argentum redditurus: tum bona;
Si redditurus non es: non emit bona.
TH. Non in loco emit perbono has. TR. Imo optumo
TH. Cupio hercle inspicere has aedis: pultadum foris
Atque evoca aliquem intus ad te, Tranio.
TR. Ecce autem iterum nunc, quid dicam, nescio!
Iterum iam ad unum saxum me fluctus ferunt!
Quid nunc? Non hercle, quid nunc faciam, reperio;
Manufesto teneor. TH. Evocadum aliquem foras:
Roga, circumducat. Heus tu! TR. At hic sunt mulieres:
Videndum est primum, utrum eae velintne, an non velint.
TH. Bonum aequomque oras: percontare dum et roga.
Ego hic tantisper, dum exis, te opperiar foris.
TR. Di te deaeque omnes funditus perdant, senex:
Ita mea consilia undique oppugnas mala.
Euge, optume, eccum, aedium dominus foras
Simo progreditur ipsus. Huc concessero,
Dum mihi senatum consili in cor convocò:
Igitur tum accedam hunc, quando, quid agam, invenero.

SIMO. THEUROPIDES. TRANIO.

SI. Melius anno hoc mihi non fuit domi, as. c. d. t. h. III, 2.
Nec quidem esca una me iuverit magis.
Prandium uxor mihi perbonum dedit;
Nunc dormitum iubet ire me. Minume! cr. t. c.
Non mihi forte visum eloco fuit! as. c. d. t. h.

642. V.: *Quid e. n. a.? Nisi ut in v. h. p. mendacium. Eas* etc. Iunt. Ald.: *Nisi in v.* Cf. Mil. 268. 646. Vid. not. ad 588. 647. Fort.: *Quaequae deducunt* (ab hoc consilio), *id* etc. 655. Sic MSS. V.: *evocato.* Non liquescit *aliquem*, ut neque *autem* sequente versu, ubi frustra legitur, secundum Iunt. Ald.: *quid ego dicam.* 666. Sic codd. scripti. V.: *dom. aed.* 669. Sic Pal. Iunt. Ald. V.: *Ig. dum.* 671. Pal.: *Nequod est caunam eruerit m.* Gronovii Academicus: *Nequidem ea una meruerit m.* V.: *Nec quando esca una meruerit m.* Acid.: *me iuverit.*

Melius quom prandium, quam solum, dedit:
Voluit in cubiculum abducere med anus.
Non bonus somnus de prandio est: apage! cr. t. c.
Clanculum ex aedibus me edidi foras. as. c. d. t.h.
Tota turget mihi uxor, scio, nunc domi. c. t.
Tr. Res parata est mala in vesperum huic seni: as.c.d.t.h.
Nam et coenandum et cubandum intus est male.
Si. Quo magis cogito cum animo meo:
Si quis dotatam uxorem habet
Neminem solicitat sopor
Ire dormitum odio est vero
Exsequi certa res est, ut abeam
Potius hinc ad forum, quam domi cubem.
Atque pol nescio, ut moribus sient
Vostrae; haec sat scio quam me habeat male, et
Peius posthac fore, quam fuit mihi.
Tr. Abitus tuos tibi, senex, fecerit male:
Nihil erit quod deorum ullum adcusites;
Te ipse iure optumo merito incuses licet. c. t.
Tempus nunc est, senem hunc adloqui, mihi. as. c. d. t. h.
Hoc habet! reperi, qui senem ducerem. c. t.
Quo dolo a me dolorem procul pellerem.
Accedam. Di te ament plurimum, Simo. as. c. d. t. h.
Si. Salvos sis, Tranio. Tr. Ut vales? Si. Non male. c. t.
Quid agis? Tr. Hominem optumum teneo. Si. Amice facis,
Quom me laudas. Tr. Decet certe. Si. Hercle adeo as. c. d. t. h.
Haud bonum teneo servom. Th. Heia, mastigia, ad c. t.
Me redi! Tr. Iam isti ero. Th. Quid nunc? quam mox? Si. Quid est?
Tr. Quod solet fieri. Si. Dic, quid est. — Loquar? as.c.d.t.h.
„Sic decet. Ut homines sunt: ita morem geras.

675. *Solum* vett., h. e. solitum priscorum lingua. Vid. Non. Mercer. p. 124. 679. Sic Pal. V.: *nunc, scio, d.* 691. Ita scripti. V.: *Si abitus*, quae est interpretatio. 700. Scripti: *hercle te habeo*, ut Pal., vel *abeo*. Vett. edd.: *h. te ego*. V.: *h. at te ego*. 701, 2. Verba *Heia — ero*, nonnihil quidem corrupta, hic leguntur in scriptis et editionibus vett. Cf. not. ad 580. Totum locum sic interpolavit Camerar.:

— hercle at te ego
Haud b. t. s. Tr. Quid ita vero, Simo?
Si. *Quid nunc? — fieri.*
Tr. *Dic* igitur, quod solet fieri, *quid id est?*
Si. Quid facitis vos? Sed, ut verum, Tranio, *loquar*,
Sic decet, ut homines sunt, ita *m. g.*

Vita quam sit brevis, simitu cogita."
TR. Quid? Ehem, vix tandem percepi, te his super
Rebus nostris loqui. c. d.
SI. Musice hercle agitis aetatem ita, ut vos decet: c. t.
Vino, victu, piscatu probo, electili,
Colitis vitam. TR. Imo vita antidhac erat; as. c. d. t. h.
Nunc nobis communia exciderunt. as. 2 i. h.
SI. Quidum? TR. Ita oppido occidimus omnes, Simo. c. t.
SI. Non taces? Prospere vobis cuncta usque adhuc
Processerunt. TR. Ita, ut dicis, facta haud nego:
Nos profecto probe, ut voluimus, viximus;
Sed, Simo, ita ventus navem nunc deseruit.... SI. Quid est?
Quo modo? TR. Pessumo. SI. Quaene subducta erat
Tuto in terram? TR. Hei! SI. Quid est? TR. Me miserum! occidi! as. c. d. t. h.
SI. Qui? TR. Quia venit navis, nostrae navi quae frangat ratem.
SI. Vellem, ut tu velles, Tranio. Quid est negoti? i. tr. h.
TR. Eloquar: herus peregre venit. SI. Tum contendetur indu as. t. d. i. d. c.
Ferriterium; postea.....
TR. Enim obsecro, ne indicium hero facias meo, i. s.
SI. E me, ne quid metuas, nil sciet. t. d. h.
TR. Patrone, salve. SI. Nil moror mi istiusmodi clientis. i. t. c.
TR. Nunc hoc, quod ad te noster me misit senex.... i. s.
SI. Hoc mihi responde primum, quod ego te rogo:
Iam de istis rebus voster quid sensit senex?
TR. Nil quidquam. SI. Numquid increpitavit filium?
TR. Tam liquidust, quam liquida esse tempestas solet.
Nunc te hoc orare iussit opere maxumo,
Ut sibi liceret inspicere has aedis tuas.

705. V. *simul*. 709. V.: *Vino et victu*. 711. Ita Decurt. et scripti. V.: *N. n. omnia haec exc.* 712. Verba *Quidum* et *Ita* non liquescunt. 716. *navem* μονοσυλλάβως pronuntiandum. 717. Sic Pal. et vett. V.: *quomodo, pessume?* 718. V.: *terra*. 720. V.: *Velim*, quod soloecum. Legitur quoque: *ut velles* (omisso pronomine), *Tranio, sed quid est neg.?* scriptis quidem non suffragantibus. 721. Ita Decurt.; neque aliter, sed a manu altera, Camerarii codex ille, quem veterem appellare solent. V.: *Eloquere*. Deinde Pal. (similiterque alii vett.):

— tunc cori (cort) tenditur
Inde ferriterium postea enua obsecro.

Ed. princeps: *hem obsecro*. Fecere: *tunc* tibi Chorda *tenditur: inde* in *ferriterium Postea* in crucem recta. TR. nunc te ego per *genua Obsecro* etc. 724. Scripti: *sciat*.

Si. Non sunt venales. Tr. Scic equidem istuc; sed senex
Gynaeceum aedificare volt hic in suis
Et balineas et ambulacrum et porticum.
Si. Nam quid consomniavit? Tr. Ego dicam tibi.
Dare volt uxorem filio quantum potest:
Ad eam rem facere volt gynaeceum novom.
Iam sibi laudavisse hasce ait architectonem
Nescio quem, esse aedificatas has sane bene:
Nunc hinc exemplum capere volt, nisi tu nevis....
Si. Nae illic malo quidem ab opere exemplum petit.
Tr. Quia hic audivit esse aestatem perbonam;
Subdiu coli absque sole perpetuom diem.
Si. Imo edepol vero, quom usquequaque umbra est, tamen
Sol semper hic est usque a mani ad vesperum;
Quasi flagitator adstat usque ad ostium;
Neque umbra mi usquam est, nisi si in puteo quaepiam est.
Tr. Quid? Sarsinatis ecqua est, si Umbram non habes?
Si. Molestus ne sis. Haec sunt sicut praedico.
Tr. Attamen inspicere volt. Si. Inspiciat, si lubet.
Si quid erit, quod illi placeat: de exemplo meo
Ipse aedificato. Tr. Eon'? voco huc hominem? Si. Voca.
Tr. Alexandrum magnum atque Agathoclem aiunt maxumas
Duo res gessisse: quid mihi fiet tertio,
Qui solus facio facinora inmortalia?
Vehit hic clitellas, vehit hic autem alter senex.
Novitium mihi quaestum institui non malum:
Nam muliones mulos clitellarios
Habent; ego homines habeo clitellarios.
Magni sunt oneris; quidquid inponas, vehunt.
Nunc hunc haud scio an conloquar. Congrediar. as.b.d.i.h.
Heus, Theuropides! Th. Hem quis nominat me?
Tr. Hero servos multum suo fidelis.
Quod me miseras, adfero omne inpetratum. b. t.
Th. Quid illi, obsecro, tam diu destitisti?
Tr. Seni non erat otium: id sum opperitus.
Th. Antiquom obtines hoc tuom, tardus ut sis.
Tr. Heus tu, si voles verbum hoc cogitare, as. b. d. i. h.

739. Ita Decurt. Vulgo: *Nam.* Vulgo quoque: *laudasse.* 742. Pal.: *Nam ille eo malo op. e. p.* V.: *Nae ille malo* etc. 744. Pal.: *S. d. col. perp. d.* 748. V.: *nisi in put.* 753. V. praeter vett.: *i, voca.* 763. Sic Pal. et vett. edd. V. *Hem* non legitur. 767. Libri ἀμέτρως: *S. non ot. erat.* Verbi *erat* posterior syllaba producitur caesurae causa. 768. Sic vett. V.: *obtines hoc.*

Simul flare sorbereque haud facile factu est: b. t.
Ego hic esse et illic simul haud potui. as. b. d. t.
Th. Quid nunc? Tr. Vise, specta, tuo arbitratu. as.b.d.i.h.
Th. Age, duc me. Tr. Non moror? Th. Subsequor te. as. 2 i. h.
Tr. Senex ipse te ante ostium, eccum, opperitur. b. t.
Sed moestus est, se hasce vendidisse.... as. 2 i. h.
Th. Quid tandem? Tr. Orat, ut suadeam Philolacheti, b. t.
Ut istas remittat sibi. Th. Haud opinor.
Sibi quisque ruri metit. Si male emtae b. t.
Forent: nobis istas redhiberi haud liceret.
Lucri quidquid est, id domum trahere oportet.
Tr. Misericordiam tamen hominem habere oportet. as. 2 ith.
Th. Morare hercle. Tr. Facis. Subsequere. Th. Fiat. as. b. d. t.
Tr. Do tibi ego operam. Senex ille est. — Hem, adduxi hominem tibi! t. t. c.
Si. Salvom te advenisse peregre gaudeo, Theuropides.
Th. Di te ament. Si. Inspicere te aedis has velle aiebat mihi.
Th. Nisi tibi est incommodum. Si. Imo commodum. I intro atque inspice.
Tr. At enim mulieres.... Si. Cave tu ullam floccifaxis mulierem.
Qualibet perambula aedis oppido, tamquam tuas.
Th. Tamquam? Tr. Ah, cave tu illi obiectes nunc in aegritudine,
Te has emisse. Non vides hunc, voltu ut est tristi senex?
Th. Video. Tr. Ergo inridere ne videare et gestire admodum,
Noli facere mentionem, ted emisse. Th. Intellego
Et bene monitum duco atque esse existumo humani ingeni.
Quid nunc? Si. Quin tu is intro? atque otiose perspecta, ut lubet.
Th. Bene benigneque arbitror te facere. Si. Factum edepol volo.

770. Sic iidem. Non recte *factu* abest a vulgatis. 775. Vett. edd.: *Non moror.* Sed alterum est facetius, ut tecte Tranio dicat: Nonne iam nunc te duco, h. e. decipio? 779. V.: *redhibere.* 781. V. sub persona senis: *Misericordias* iam *hab. haud hom. op.* Pal.: *Mis. hom. op.* Vett. edd.: *Mis. tandem hab. hom. op.* Inusitatus pluralis nominis *misericordia.* 782. Sic vett. V.: *M. h.*, cum verba *facis.* 793. Ita vett. edd., nisi quod habent *ac* et *ingenii.* Pal.: *atque se exist. humani ingenio.* V.: *atque te exist. humano ingenio.* 794. Sic vett., in his Pal. V.: *perspectas.* 795. Post hunc versum vulgo leguntur 821, 822; et 822. etiam post 825.

Tr. Viden', vestibulum ante aedis hoc et ambulacrum quoiusmodi? i. t.
Th. Luculentum edepol profecto! Tr. Age specta, postis quoiusmodi, t. t. c.
Quanta firmitate facti et quanta crassitudine!
Th. Non videor vidisse postis pulcriores. Si. Pol mihi
Eo pretio emti fuerant olim. Tr. Audin' „Fuerant" dicere? i. t.
Vix videtur continere lacrumas. Th. Quanti hosce emeras? t. t. c.
Si. Tres minas pro istis duobus praeter vecturam dedi.
Th. Hercle quin multum inprobiores sunt, quam a primo credidi.
Tr. Quapropter? Th. Quia edepol ambo ab infumo tarmes secat.
Tr. Intempestivos excisos credo; id eis vitium nocet:
Atque etiam nunc satis boni sunt, si sint inducti pice.
Non enim haec pultiphagus opifex opera fecit barbarus.
Viden' coagmenta in foribus? Th. Video. Tr. Specta, quam arte dormiunt! i. t.
Th. Dormiunt? Tr. Illud quidem, ut connivent, volui dicere. t. t. c.
Satin' habes? Th. Ut quidquid mage contemplor, tanto mage placet.
Tr. Viden' pictum, ubi ludificat cornix una volturios duo? i. t.
Cornix adstat; ea volturios duo vicissim vellicat. t. t. c.
Quaeso, huc ad me specta: cornicem ut conspicere possies.
Iam vides? Th. Profecto nullam equidem illi cornicem intuor.
Tr. At tu isto ad vos obtuére, quoniam cornicem nequis
Conspicari, si volturios forte possis contui.
Th. Omnino, ut te absolvam, nullam pictam conspicio hic avem.
Tr. Age, iam mitto. Ignosco: aetate non quis obtuerier.
Th. Haec, quae possum, ea mihi profecto cuncta vehementer placent.
Si. Latius demum operae est pretium ivisse. Th. Eu! recte edepol mones.

811. Libri versu corrupto: *ludificatur.* 816. Hic inserendum videatur fragmentum istud Ambrosianum: *Non edepol video. At ego video volturios duos*, quod olim sic se habuerit:

— — — — *contui.*
Th. *Non edepol ego video.* Tr. *At ego video volturios duos.*

820. *Eu* non legitur in vulgatis. Sed MSS.: *Et* (vel *E*, ut Pal.) *recte*, quod fuisse videtur *Ei recte. Eu* convenit huic loco.

Si. Vin', qui perductet? Th. Apage istinc perductorem: non placet.
Quidquid est, errabo potius, quam perductet quispiam.
Si. Eho, istum, puere, circumduce hasce aedis et conclavia. i. t.
Nam egomet ductarem, nisi mi esset ad forum negotium. t. t. c.
Th. Apage istum a me perductorem: nil moror duciarier.
Si. Aedis dico. Th. Intro eo igitur sine perductore? Si. Ilicet.
Th. Ibo intro igitur. Tr. Mane, sis: videam, ne canis.... Th. Agedum, vide.
Tr. St, abi: canis est. Abi dierecta! St! Abin' hinc — in malam crucem?
At etiam restas? St! abi istinc! Si. Nil pericli est! Tr. St! Si. Age. i. t.
Tr. Tam placida est quam — foeta. Si. Quavis ire intro audacter licet. t. t. c.
Eo ego hinc ad forum. Th. Fecisti commode. Bene ambula. —
Tranio, age, canem istam a foribus intus abducat face,
Etsi non metuenda est. Tr. Quin tu illam adspice, ut placide adcubat!
Nisi molestum vis videri te atque ignavom.... Th. Iam, ut lubet.
Sequere hac me igitur. Tr. Equidem haud usquam a pedibus abscedam tuis.

TRANIO. THEUROPIDES.

Tr. Quid tibi visum est hoc mercimoni? Th. Totus gaudeo. t. t. c. IV, 1.
Tr. Num nimio emtae tibi videntur? Th. Nunquam edepol ego me scio
Vidisse usquam abiectas aedis, nisi modo hasce. Tr. Ecquid placent?
Th. Ecquid placeant, me rogas? Imo hercle vero perplacent.

821. Vid. ad 795. 823. V., hiante versu: *puer.* 825. Vid. not. ad 795. 826. *Intro e. i. s. p.?* V. haec affirmate. 828. Pal.: *est. abi canis est. abi die recte est abin hinc malam rucem?* Et sic fere vett., tam scripti, quam impressi. V.: Tr. *Est.* Th. *ubi canis est?* Tr. *abi dierecta. st! abin'* etc. Cf. Sciopp. Susp. Lectt. p. 100. 829. V.: *A. c. r.?* st! (Pal.: *est*) *abi ist.* Si. *n. per. est, age.* 830. Sic vett., probante etiam Grutero. Vulgo tamen editores, Camerarii prementes vestigia: *T. pl. est quam aqua: vise. ire* etc. 835. Ita Pal. V. *me* desideratur.

TR. Quoiusmodi gynaeceum? quid porticum? TH. Insanum bonam.
Non equidem ullam in publico esse maiorem hac existumo.
TR. Quin ego ipse et Philolaches in publico omnis porticus
Sumus commensi. TH. Quid igitur? TR. Longe omnium longissuma est.
TH. Di inmortales, mercimoni lepidi! Si hercle nunc ferat
Sex talenta magna argenti pro istis praesentaria:
Nunquam accipiam. TR. Si hercle accipere cupias: ego nunquam sinam.
TH. Bene res nostra conlocata est istoc mercimonio.
TR. Me suasore atque inpulsore id factum audacter dicito,
Qui subegi, foenore argentum ab danista ut sumeret,
Quod isti dedimus arrhaboni. TH. Servavisti omnem ratem.
Nempe octoginta debentur huic minae? TR. Haud numo amplius.
TH. Hodie accipiat. TR. Ita enimvero. Ne qua causa subsiet:
Vel mihi denumerato; ego illi porro denumeravero.
TH. At enim ne quid captioni mihi sit, si dederim tibi!
TR. Egone te ioculo modo ausim dicto aut facto fallere?
TH. Egon' abs te ausim non cavere, ne quid committam tibi?
TR. Quia tibi unquam quidquam, postquam tuos sum, verborum dedi?
TH. Ego enim cavi recte. TR. Enim debes gratiam. TH. Atqui animo meo.
Sat sapio, si abs te modo uno caveo. TR. Tecum sentio.
TH. Nunc abi rus: dic, me advenisse, filio. TR. Faciam, ut voles.
TH. Curriculo iube in urbem veniat iam simul tecum. TR. Licet.
Nunc ego me illa per posticum ad congerrones conferam:
Dicam, ut hic res sint quietae, atque, hunc ut hinc amoverim.

PHANISCUS. ALIUS SERVOS. THEUROPIDES.

PH. Servi, qui, quom culpa caruit, tamen malum metuont,
hi

846. Ita Iunt. Ald. Vett. edd.: *si recte te acc. cupies.* Pal.: *si erecte ac cicere cupies.* 857. Haec non interrogantur in vulgatis. 858. Pal.: *E. e. c. r. eam dehis gr. atque a. m.* V.: TH. *E. e. c. r. eam mihi debeo grat. a. a. m.* 860. V.: *N. abi, i rus.* 861. V.: *C. abi* (vett., in his Pal.: *ubi*) *iube* etc. 864. *caruit.* V. nihili verbo: *carint.* Sequiores edd.: *carent,* quod metro refragatur. Cf. Curc. 17.

Esse heris solent utibiles: nam illi, nihil qui metuont,
Postquam sunt malum meriti, stulta sibi expetunt consilia:
Exercent sese ad cursuram; sed enim si sunt reprehensi:
Faciunt malo, peculio quod nequeunt: augent ex pauxillo. i. t. h.
Disparant mi in pectore consilia malam rem prius
Quam ut meum
Ut adhuc fuit, mihi corium esse oportet as. 2 i. h.
Sincerum atque, ut vetem verberari.
Si huic imperabo: probe tectum habebo:
Malum quom inpluit ceteros, ne inpluat mihi. b. t.
Nam ut servi volunt esse herum, ita solet: as. b. d. i.
Boni bonis sunt, inprobi sunt maleficis. i. s.
Nam nunc domi nostrae tot pessumi vivont, cr. t. c.
Peculi sui prodigi plagigeruli. b. t.
Ubi, advorsum ut eant, vocantur, hero: „Non eo! molestus ne sis! t. t.
Scio, quo properas. Gestis aliquo iam hercle; t. tr. br.
Ire vis, mula, pastum foras.“ Bene merens c. t.
Hoc pretium inde abstuli. Abii foras. Solus c. t. c.
Nunc eo advorsum hero ex plurimis servis.
Hoc die crastini quom herus resciverit: c. t.
Mane eos castigabit bubulis exuviis. as. 2 ith.
Postremo ego minoris pendo tergum illorum, quam meum. t. t. c.
Illi erunt bucaedae multo potius, quam ego sim restio.
Se. Mane tu atque adsiste eloco, Phanisce! Etiam respicis?
Ph. Mihi molestus ne sis. Se. Vide, ut fastidit simia! as. ith. i. d.
Ph. Mihi sum; lubet esse. Quid id curas? a. d.
Se. Manesne eloco, inpure parasite? as. b. d. t.
Ph. Qui parasitus sum? Se. Ego enim dicam: cibo perduci poteris quovis. as. t. d. i. d. h.

867. Libri, intruso glossemate: *Ex s. ad curs., fugiunt.* Deinde sic legitur: *sed Hi* (Pal. *hii*) *si repr. sunt, faciunt a malo Peculium* (vett. *peculio*) *quod nequeunt* facere de suo. *Augent ex pauxillo* (Pal. *pauxil*) thesaurum *inde parant* (Pal. *deparant*). *Mihi, in pectore consilii* (Pal. *consili*) quod est, Lubet cavere *malam rem prius, Quam ut meum* tergum exsinceratum fiat. In quibus quae magis consuetis litteris excusa sunt, Camerarius infersit. 874. Sic vett., nisi quod in Pal. legitur *inpluit.* V.: *non i. m.* 876. Pal. *bonissum improbissunt malus fuit*, et similiter omnes vett. V.: *Bonis boni sunt: improbi, qui malus fuit.* 877. Malim *nunc* abesse metri gratia, cum praesertim non multum conferat ad sententiam. 879. *Ubi* non eliditur. 882. Sic vett., nisi quod Pal.: *abi.* V.: *ita abii f.* 888. Pal.: *respices.* V.: *respice. Respicis* placuit etiam Acidalio. Cf. 909 etc. 892. Pal.: *poteres.* Vett. edd. *potes*, quod glossema esse videatur *τοῦ poteras.*

Ferocem facis, quia te aeratus amat? Ph. Vah, as. 2 i. h.
Oculi dolent! Se. Cur? Ph. Quia fumus molestus.
Se. Tace, sis, faber, qui cudere soles plumbeos numos! i. tr. ♄.
Ph. Non potes tu cogere me, ut tibi maledicam. Novit herus me. t. t.
Se. Suam quidem pol culcitullam oportet. Ph. Si sobrius sis: as. t. d. i. d. c.
Male non dicas. Se. Tibi obtemperem, quom mihi tu nequeas?
Ph. At tu mecum, pessume, ito advorsus. Se. Quaeso hercle, abstine t. t. c.
Iam sermonem de istis rebus. Ph. Faciam et pultabo foris.
Heus, ecquis hic est, maxumam qui foribus his defendat i. t. c.
Iniuriam? Ecquis exit huc atque aperit? — Hinc quidem nemo
Exit foras. Ut addecet esse homines nequam: ita sunt.
Sed eo mage cauto est opus, ne huc exeat, qui male me mulcet. t. t.
Hic quidem neque convivarum sonitus item ut antehac fuit, t. t. c.
Neque tibicinam cantantem neque alium quemquam audio.
Th. Quae illaec res est? quid illice homines quaerunt apud aedis meas?
Quid volunt? quid introspectant? Ph. Pergam pultare ostium.
Heus, reclude, heus, Tranio! Etiam aperis? Th. Quae haec est fabula?
Ph. Etiamne aperis? Callidamati nostro advorsum venimus.
Th. Heus vos, pueri, quid istic agitis? quid istas aedis frangitis?
Ph. Herus hic noster potat. Th. Herus hic voster potat? Ph. Ita loquor.
Th. Puere, nimium es delicatus. Ph. Eii advorsum venimus.
Th. Quoi homini? Ph. Hero nostro. Quaeso, quotiens dicundum est tibi?

893. Sic vett. V.: *quia te herus tam amat.* 895. *plumbeos* δυσσυλλάβως legendum est, e littera liquescente. 899. Scripti *i tu* (Pal. *pessimi tu*) *adv.* V.: *i adv.* Et, contra fidem veterum: *Q. hercle, Phanisce, abst.* 902. Bis legitur *Ecquis*, et ἄμετρα haec iacent in libris. 905. V.: *itidem*, versu quidem impingente. 913. Sic Acid., idque poscit metrum. V.: *puer.* Item metri gratia scriptum a nobis *Eii* pro *Ei* vulgato.

Th. Puer, hic nemo habitat: nam te esse arbitror puerum probum.
Ph. Non hic Philolaches adulescens habitat hisce in aedibus?
Se. Hic senex cerebrosus certe est. Ph. Erras pervorse, pater:
Nam nisi hinc hodie emigravit aut heri, certo scio,
Hic habitare. Th. Quin sex mensis iam hic nemo habitat. Se. Somnias.
Th. Egone? Se. Tu. Th. Tu ne molestus. Sine me cum puero loqui.
Ph. Nemo habitat? Habitat profecto: nam heri et nudiustertius,
Quartus, quintus, sextus, usque, postquam hinc peregre eius pater
Abiit, nunquam hic triduom in unum desitum est esse et bibi.
Th. Quid ais? Ph. Triduom unum haud intermissum est hic esse et bibi,
Scorta duci, pergraecari, fidicinas, tibicinas
Ducere. Th. Quis istaec faciebat? Ph. Philolaches. Th. Qui Philolaches?
Ph. Quoi patrem Theuropidem esse opinor. Th. Heu heu, occidi,
Si haec hic vera memorat! Pergam porro percontarier.
Ain' tu, istic potare solitum Philolachem istum, quisquis est,
Cum hero vostro? Ph. Hic, inquam. Th. Puere, praeter speciem stultus es.
Vide, sis, ne forte ad merendam quopiam devorteris
Atque ibi meliuscule, quam satis fuerit, biberis. Ph. Quid est?
Th. Ita dico: ne ad alias aedis perperam deveneris.
Ph. Scio, qua me ire oportet, et, quo venerim, novi, loci.
Philolaches hic habitat, quoius est pater Theuropides,
Qui, postquam pater ad mercatum abiit hinc, tibicinam
Liberavit. Th. Philolaches ergo? Ph. Ita: Philematium quidem.
Th. Quanti? Se. Triginta talentis. Ph. Μὰ τὸν Ἀπόλλω, sed minis.
Th. Ain', minis triginta amicam destinatam Philolachi?
Ph. Aio. Th. Atque eam manu emisisse? Ph. Aio. Th. Et postquam eius pater

921. Sic vett. Pal.: *N. h. haec tat prof.* V.: *N. h.? hem! Th. ita prof.* 924. Sic Pal. et vett. V. hic quoque: *trid. in unum.* 934. *loci* pro vulgato *loqui* debetur Guilelmio Verisimm, 1, 1. 935. Ita Decurt. Vulgo: *abivit.*

Hinc siet profectus peregre, perpotasse adsiduo
Tuo cum domino? Ph. Aio. Th. Quid? is hic aedis emit proxumas?
Ph. Non aio. Th. Quadraginta etiam dedit huic, quae essent pignori? i. t.
Ph. Neque istud aio. Th. Hei, perdis! Ph. Imo suom patrem illic perdidit.
Th. Vera cantas? Vana vellem! Ph. Patris amicus videlicet. t. t. c.
Th. Heu, edepol eum patrem miserum praedicas! Ph. Nihil hoc quidem est,
Triginta minae, prae quam alios dapsilis sumtus facit.
Perdidit patrem. Unus istic servos est sacerrumus,
Tranio; is vel Herculi conterere quaestum possiet.
Edepol nae med eius patris miseret, qui quom istaec sciet
Facta ita: amburet misero eii corculum carbunculus.
Th. Si quidem istaec vera sunt. Ph. Quid merear, quamobrem mentiar?
Heus vos? ecqui hasce aperit? Se. Quid ita pultas, ubi nemo intus est?
Ph. Alio credo comissatum abisse: abeamus nunc iam.
Th. Puere, iamne abis? Libertas — paenulae est tergo tuo.
Ph. Mihi, nisi herum uti metuam et curem, nihil est, qui tergum tegam.

THEUROPIDES. SIMO.

Th. Perii hercle! quid opust verbis? Ut verba audio, i. s. IV, 3.
Non equidem in Aegyptum hinc modo vectus fui,
Sed etiam in terras solas orasque ultimas
Sum circumvectus: ita, ubi nunc sim, nescio.
Verum iam scibo: nam eccum, unde aedis filius
Meus emit. Quid agis tu? Si. A foro incedo domum.
Th. Num quid processit ad forum hoc die novi?

941. V.: *sit*, et *Hinc* ad praecedentem versum refertur, hoc quidem pessumdato. 943. *Quadr.* non elidendum. 944. Sic vett. V.: *illud.* 951. V.: *ei.* 953. V.: *ecquis.* Verba *Quid — est?* Theuropidi tribuuntur, non recte. Legitur autem vulgo: Q. *istac p.*, sed in Pal. *ista*, in edd. vett.: *ita*, quod nos quoque praetulimus. 955. Soloece libri: *paenula.* Cf. Amph. prol. 105 etc. 956. Sic vett. V. *uti* desideratur. 962. Ita Iunt. Ald. etc. V.: *ais.* 963. V.: *Numquid p. ad f. hodie n.?*

Si. Etiam. Th. Quid tandem? Si. Vidi ecferri mortuom.
Th. Hem,
Novom! Si. Unum vidi mortuom ecferri foras.
Modo eum vixisse aiebant. Th. Vae capiti tuo!
Si. Quid tu otiosus res novas requiritas?
Th. Quia hodie adveni peregre. Si. Promisi foras
Ad coenam: ne me te vocare censeas.
Th. Haud postulo edepol. Si. Verum cras, nisi quis prius
Vocaverit me, vel apud te coenavero.
Th. Ne istuc quidem edepol postulo. Nisi quid magis
Es occupatus: operam mihi da. Si. Maxume.
Th. Minas quadraginta accepisti, quod sciam,
A Philolachete. Si. Nunquam numum, quod sciam.
Th. A Tranione servo? Si. Quid? multo id minus.
Th. Quas arrhaboni tibi dedit? Si. Quid somnias?
Th. Egone? At quidem tu, qui istoc te speras modo
Potesse dissimulando infectum hoc reddere.
Si. Quid autem? Th. Quod me absente tecum hic filius
Negoti gessit. Si. Mecum ut ille hic gesserit,
Dum tu hinc abes, negotia? quidnam aut quo die?
Th. Minas tibi octoginta argenti debeo.
Si. Non mihi quidem hercle; verum, si debes, cedo.
Fides servanda est: ne ire inficias postules.
Th. Profecto non negabo debere et dabo.
Tu cave, quadraginta accepisse hinc ne neges.
Si. Quaeso edepol, huc me adspecta et responde mihi.
Te velle uxorem aiebat tuo nato dare:
Ideo aedificare hic velle aiebat in tuis.
Th. Hic aedificare volui? Si. Sic dixit mihi.
Th. Hei mihi, disperii! vocis non habeo satis!
Vicine, interii, perii! Si. Numquid Tranio
Turbavit? Th. Imo mi exturbavit omnia,
Deludificatust me hodie indignis modis.
Si. Quid tu ais? Th. Haec res sic est, ut narro tibi:
Deludificatust me hodie in perpetuom modum.
Nunc te obsecro, ut me bene iuves operamque des.

967. Sic vett. edd. V.: *ut otiosus.* 969. Putide Ernest.: *ne me tu te v. c.* Pal.: *ne me tue v. c.*, cum librarius vellet *ne me te v. c.* Et sic quidem Pareus, Taubm. in priore ed., atque ipse Gronovius. 970. *quis* non legitur in Pal. 974. V.: *quas sciam.* Pal.: *quasciam.* Iunt. Ald.: *quasi iam.* 976. Perverse libri: *Quid. a Tran. s.?* Si. *Multo id m.* Iunt. Ald.: *M. equidem id m.* 982. Soloece legitur *negotii.* 990. V.: *hoc velle.* Cf. versum sequ. 993. Sic Acid. V.: *Vicini.* 995. V.: *Te ludificatus est et me h. i. m.* Sed cf. 996, 7. 997. Sic Pal. Iunt. Ald. V.: *Te ludificatus et me hod. in p. m.*

Si. Quid vis? Th. I mecum, obsecro te, una simul. . . .
Si. Fiat. Th. Servorumque operam et lora mihi cedo.
Si. Sume. Th. Eademque opera haec tibi narravero,
Quis med exemplis hodie ludificatus est.

TRANIO. THEUROPIDES.

Tr. Qui homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit; t. t. c. V, 1.
Atque equidem, quid id esse dicam verbum nauci, nescio.
Nam herus postquam rus me misit, filium ut suom arcesserem:
Abii illa per angiportum ad hortum nostrum clanculum
(Ostium quod in angiportu est); horti patefeci foris;
Eaque eduxi omnem legionem, et maris et feminas.
Postquam ex obsidione in tutum eduxi maniplares meos:
Capio consilium, ut senatum congerronum convocem;
Quem quom convocavi: atque illi me e senatu segregant.
Ubi ego video, vorti rem in meo foro: quantum potest
Facio idem, quod plurimi alii, quibus res timida aut turbida est:
Pergunt turbare usque, uti ne quid sit conquiescere.
Nam scio equidem, nullo pacto iam esse posse clam senem.
Sed quid hoc est, quod foris concrepuit proxuma vicinia?
Herus hic meus quidem est. Gustare ego eius sermonem volo.
Th. Eloco intra limen adstate illi: ut, quom extemplo vocem,
Continuo exsiliatis. Manicas celeriter connectite.
Ego illum ante aedis praestolabor ludificatorem meum, i. t.
Quoius hic ego ludificabo corium, si vivo, probe. t. t. c.
Tr. Res palam est. Nunc te videre meliust, quid agas, Tranio.
Th. Docte atque astu mihi captandum est cum illo, ubi huc advenerit.
Non ego illi extemplo ita meum ostendam sensum: mittam lineam;
Dissimulabo, me horum quidquam scire. Tr. O mortalem malum!
Alter hoc Athenis nemo doctior dici potest.

999. *Te* petitum ex Iunt. Ald. 1002. V.: reclamantibus vett.: *hod. ille lud.* 1018. Sic Acid. V.; *illic.* 1023. V.: *D. a. astute m. c. e. c. illoc.* Metro prospeximus.

Verba dari illi non magis hodie quisquam, quam lapidi, potest.
Adgrediar hominem; adpellabo. TH. Nunc ego illunc veniat velim.
TR. Siquidem pol me quaeris: adsum praesens praesenti tibi.
TH. Euge, Tranio, quid agitur? TR. Veniunt ruri rustici,
Philolachesque etiam aderit. TH. Edepol opportune mi advenit,
Nostrum ego hunc vicinum opinor esse hominem audacem et malum.
TR. Quidum? TH. Quia negat novisse vos.... TR. Negat? TH. Nec vos sibi
Numum unquam argenti dedisse. TR. Abi, ludis me. Credo, haud negat.
TH. Quid iam? TR. Scio, iocaris nunc tu: namque illic quidem haud negat.
TH. Imo edepol negat profecto, neque se has aedis Philolachi
Vendidisse. TR. Eho, an negavit, sibi datum argentum, obsecro?
TH. Quin iusiurandum pollicitus est dare, si vellem, mihi,
Neque se hasce aedis vendidisse, neque sibi argentum datum.
Dixi istuc idem ego illi. TR. Quid ait? TH. Servos pollicitust dare
Suos mihi omnis quaestioni. TR. Nugas! nunquam edepol dabit.
TH. Dat profecto. TR. Quin cita illum in ius. TH. Si veniat. TR. Mane:
Experiar. Ut opinor, certum est. TH. Certum est? TR. Mihi hominem cedo!
Vel hominem iube mancupio aedis posci. TH. Imo hoc primum volo:
Quaestioni accipere servos. TR. Faciundum edepol censeo.

1028. Sic Acid. secundum vett. nescio quos libros. V.: *N. ego ille huc ven. v.* 1031. Vet. cod. Camer.: *Philolaches qui etiam adheret.* V.: *Philolaches iam hic aderit.* Idem codex: *advenias.* Fort.: *Philolachesque hic etiam aderit.* TH. *Edepol mi opportune adventas.* t. t.

1042. V.: *quin et illum in ius iube ire.* TH. *iam mane.* Pal et scripti: *quin et i. in iussi ueniam mane.* Verba *iam mane. Exp., ut op.: certum est.* seni tribuuntur in vulgatis. Sed manere senem iubet aufugiturus Tranio, dum Simonem convenerit sciscitatum, an venturus sit in ius. 1044. V.: *poscere.* Sensit vitium Douza Centur. p. 312.

Th. Quid, si igitur ego arcessam homines? Tr. Factum iam esse oportuit.
Ego interim hanc aram occupabo. Th. Quid ita? Tr. Nullam rem sapis: i. t.
Ne enim illi huc confugere possint, quaestioni quos dabit. t. t. c.
Hic ego tibi praesidebo: ne interbitat quaestio.
Th. Surge. Tr. Minume. Th. Ne occupassis, obsecro, aram. Tr. Cur? Th. Scies.
Quia enim id maxume volo, ut istoc illi confugiant. Sine:
Tanto apud iudicem hunc argenti condemnabo facilius.
Tr. Quod agis, id agas. Quid tu porro serere vis negotium?
Nescis tu, quam meticulosa res sit ire ad iudicem.
Th. Surgedum hinc: est consulere igitur quiddam quod tecum volo.
Tr. Sic tamen hinc consilium dedero: nimio plus sapio sedens;
Tum consilia firmiora sunt de divinis locis.
Th. Surge! ne nugare! adspicedum contra me! Tr. Adspexi. Th. Vides?
Tr. Video: huc si quis intercedat tertius, pereat fame.
Th. Quidum? Tr. Quia e n i m quaesti nil siet: mali hercle ambo sumus.
Th. Perii! Tr. Quid tibi est? Th. Dedisti verba. Tr. Qui tandem? Th. Probe
Med emunxti. Tr. Vide, sis, satine recte: num mucci fluont?
Th. Imo etiam cerebrum quoque omnem e capite emunxti meo.
Nam omnia malefacta vostra reperi radicitus;
Non radicitus quidem hercle, verum etiam eradicitus.
Nunquam edepol hoc inultus hodie designaveris.
Tibi iam iubeo ignem et sarmen, carnufex, circumdari.
Tr. Ne faxis, sis: nam elixus esse, quam assus, soleo suavior. i. t.
Th. Exempla edepol faciam ego in te. Tr. Quia placeo, exemplum expetis?
Th. Loquere: quoiusmodi reliqui, quom hinc abibam, filium?

1046. Vulgo legitur post 1043. 1063. Ita scripti. V.: *meum.* 1066. V.: *N. e. hod. inult. destinaverim tibi, Iam iubebo* etc. Corr. Acid. *Nunquam ἀνεκθλίπτως* legendum. 1067. Decurt.: *Iam lubo ignem* etc., h. e.: I. iubeo. Vulgo *iubebo. Iubeo* non eliditur. 1068. Sic idem liber, nisi quod *unam* habet pro *nam.* V. *sis* non legitur.

Tr. Cum pedibus, manibus, cum digitis, auribus, oculis, labris.
Th. Aliud te rogo. Tr. Aliud ergo nunc tibi respondeo.
Sed eccum tui gnati sodalem videod huc incedere, i. t.
Callidamatem: illo praesente mecum agito, si quid voles. t.t.c.

CALLIDAMATES. THEUROPIDES. TRANIO.

Ca. Ubi somnum sepelivi omnem atque obdormivi crapulam. t. t. c. V, 2.
Philolaches venisse dixit mihi suom peregre huc patrem,
Quoque modo hominem advenientem servos ludificatus sit;
Ait, metuere sese illius in conspectum occedere.
Nunc ego de sodalitate solus sum orator datus,
Qui a patre eius conciliarem pacem. Atque eccum optume.
Iubeo te salvere et, salvos quom advenis, Theuropides,
Peregre, gaudeo. Hic apud nos hodie coenes. Sic face.
Th. Callidamate, di te ament. De coena facio gratiam.
Ca. Quin venis? Tr. Promitte: ego ibo pro te, si tibi non lubet.
Th. Verbero, etiam inrides? Tr. Quian' me pro te — ire ad coenam autumo?
Th. Non enim ibis: ego ferare faxo, ut meruisti, in crucem!
Ca. Age, mitte ista atque ito ad coenam. Tr. Dic ventur. Quid taces?
Ca. Sed tu istuc quid confugisti in aram, inscitissumus?
Tr. Adveniens perterruit me. — Loquere nunc, quid fecerim.
Nunc utrisque disceptator, eccum, adest: age, disputa.
Th. Filium conrupisse aio te meum. Tr. Ausculta modo.
Fateor potavisse; amicam liberasse, absente te;
Foenori argentum sumsisse; id esse absumtum praedico.
Numquid fecit, nisi quod faciunt summis gnati generibus?
Th. Hercle mihi tecum cavendum est: nimis quam es orator catus.
Ca. Sine me dum istuc iudicare. Surge: ego isti adsedero.
Th. Maxume. Accipito hanc ad te litem. Tr. Enim istaec captio est.
Fac, ego ne metuam igitur et tu ut meam timeas vicem.

1082. Pal. et scripti: *hic apud nos hodietenes sic tale Callid.* etc. V.: *h. a. n. h. c.* Th. *sic talem.* Corr. Sciopp. Susp. Lectt. p. 11. 1087. V.: *A. m. i. et i. ad me ad coen.* Pal.: *A. m. ista acto adme ad cenam.* 1090. Sic Pal. et vett. edd. V.: *utriusque.* 1092. Sic Acid. V.: *Fat. peccavisse.* 1096. Ita Pal. V.: *istic.*

TH. Iam minoris omnia facio, prae quam quibus **hic** me modis
Ludificatus est. TR. Bene hercle factum et factum gaudeo.
Sapere istac aetate oportet, qui sunt capite candido.
TH. Quid ego nunc faciam, si amicus Diphilus aut Philonides . . . .
TR. Dicito iis, quo pacto tuos te servos ludificaverit:
Optumas frustrationes dederis in comoediis.
CA. Tace parumper: sine vicissim me loqui. — Ausculta. TH. Licet.
CA. Omnium primum sodalem me esse scis gnato tuo.
Is me adiit: nam illum prodire pudet in conspectum tuom
Propterea, quae fecit, quia te scire scit. Nunc te obsecro,
Stultitiae adulescentiaeque eius ignoscas. Tuost;
Scis, solere illanc aetatem tali ludo ludere;
Quidquid fecit, nobiscum una fecit; nos deliquimus:
Foenus, sortem, sumtumque omnem, qui **illi** amica est, omnia
Nos dabimus, nos conferemus, nostro sumtu, non tuo.
TH. Non potuit venire orator magis ad me inpetrabilis,
Quam tu: neque **iam** illi sum iratus neque quidquam suscenseo;
Imo me praesente amato, bibito, facito quodlubet.
Si hoc pudet, fecisse sumtum: supplici habeo satis.
CA. Dispudet. TH. **Dabo** istam veniam. TR. Quid me fiet nunc iam?
TH. Verberibus, lutum, caedere pendens! TR. Tamenetsi pudet?
TH. Interimam hercle **te** ego, si vivo! CA. Fac istam cunctam gratiam:
Tranio remitte, quaeso, hanc noxiam causa mea.
TH. Aliud quidvis inpetrari perferam a me facilius.
Quam ut non istum ego pro suis factis pessumis pessum premam.
TR. Mitte, quaeso, sis, tu med! TH. Hem, viden', ut restat furcifer?
CA. Tranio, quiesce, si sapis. TH. Tu quiesce hanc rem modo

1102. MSS. et vett. edd.: *dephilo aut philo montes.* Vulgo: *Demipho* etc. 1117. *Supplici* non liquescit. 1121. Libri metro durissimo: *Tranioni rem.* Sensit Acid. Cf. 544, Amph. prol. 99, Capt. 489, Pseud. 625, 1237. 1124. V.: *Mitte quaeso istunc.* TH. *hem* etc. Pal.: *mitteque sis tu me. Viden* etc. Sequor Gruterum, nisi quod *Hem* servavi, quod praebent vett. edd.

Petere; illum ego verberibus, ut quietus sit, subegero.
Ca. Nihil opus profecto est. Age iam, sine ted exorarier.
Th. Nolo ores. Ca. Quaeso hercle. Th. Nolo, inquam, ores. Ca. Nequidquam nevis:
Hanc modo unam noxae veniam, quaeso, fac causa mea.
Tr. Quid gravaris? Quasi non cras iam commeream aliam noxiam:
Ibi utrumque, et hoc et illud, poteris ulcisci probe.
Ca. Sine te exorem. Th. Age, abi; abi inpune! Hem, huic habeto gratiam.
Cantor. Spectatores, fabula haec est acta: vos plausum date.

1129. V.: *H. m. unam noxiam, unam quaeso* etc. *Facere veniam* dici videtur, ut *facere gratiam.* Alioqui nullo negotio reponi posset *da causa mea.* 1131. *Ibi* non elidendum. 1132. Pal.: *age abe abi imp.* Vett. edd.: *age habe, abi* etc.

P E R S A.

ARGUMENTUM.

Profecto domino suos amores Toxilus i. 1.
Emit atque curat, leno ut emittat manu;
Raptam quoque ut emat de praedone virginem
Suadet, subornat sui parasiti filiam,
Atque intricatum ludit potans Dordalum.

V. 3. Vulgo: *Raptamque ut emeret.* 4. V.: *Subornata suad. s. par. filia.* Vett. edd.: *Subornatam s. s. p. filiam.* 5. V.: *Atque ita intric.*

DRAMATIS PERSONAE.

TOXILUS.
SAGARISTIO.
SATURIO.
SOPHOCLIDISCA.
LEMNISELENE.
PAEGNIUM.
VIRGO.
DORDALUS.

TOXILUS. SAGARISTIO.

Toxilus.

Qui amans egens ingressus est princeps amoris in vias, i. t. I, 1
Superavit aerumnis suis aerumnas Herculaneas:
Nam cum leone et cum excetra, cum cervo, cum apro Aetolico,
Cum avibus Stymphalicis, cum Antaeo, deluctari mavelim,
Quam cum Amore. Ita fleo miser quaerendo argento mutuo;
Nec quidquam nisi „Non est" sciunt mihi respondere, quos rogo.
Sa. Qui hero suo servire volt bene servos servitutem, i. t. c.
Nae illum edepol multa in pectore suo conlocare oportet,
Quae hero placere censeat praesenti atque absenti suo. i. t.
Ego nec lubenter servio nec satis sum hero ex sententia;
Sed quasi lippo oculo meus me herus manum abstinere haud quit tamen,
Quin mi imperet, quin me suis negotiis praefulciat.
To. Qui illic est, qui contra me adstat? Sa. Quis hic est, qui contra med adstat? t. t.
To. Similis est Sagaristionis. Sa. Toxilus hic quidem meus amicust.
To. Is profecto est. Sa. Esse eum opinor. To. Congrediar. Sa. Contra adgrediar. as. ex t. d. et i. d. c.
To. O Sagaristio, di ament te. Sa. O Toxile, di dabunt, quae exoptes.
Ut vales? To. Utcumqueo. Sa. Quid agitur? To. Vivitur. c. t.
Sa. Satin' ergo ex sententia? To. Si eveniunt, quae exopto: satis. t. t. c.
Sa. Nimis stulte amicis utere. To. Quid iam? Sa. Imperare oportet i. t. c.

V. 2. Sic libri vett. Vulgo: *aer. is suis.* Ceterum v. legitur *Herculis*, sed in vett. libris: *Herculi.* Neutrum versui satis est. 5. Inepte libri: *fio miser*, quasi nondum sit. Cf. Mil. 1326. etc. 13. Libri minus ἔμμετρος: *Quis illic.* 19. Inepte libri et ἀμέτρως: *Quia imp. op.*

To. Mihi quidem tu iam eras mortuos: quia non te visitavi.
Sa. Negotium edepol.... To. Ferreum fortasse? Sa. Plusculum annum
Fui praeferratus apud molas tribunus vapularis.
To. Vetus iam istaec militia est tua. Sa. Satin' tu usque valuisti? To. Haud probe i. t.
Sa. Ergo edepol palles. To. Saucius factus sum in Veneris proelio;
Cupido sagitta cor meum transfixit. Sa. Iam servi hic amant?
To. Quid ergo faciam? disne advorser? quasi Titani, i. tr. h.
Cum dis belligerem, quibus sat esse non queam? i. s.
Sa. Vide modo, ulmeae catapultae tuom ne transfigant latus. t. t. c.
To. Basilice ago Eleutheria. Sa. Quid iam? To. Quia herus peregri est. Sa. Ain' tu? peregri est? t. t.
To. Si pati tu potis es, esse tibi bene: veni. Vives mecum:
Basilico accipiere victu. Sa. Vah, iam scapulae pruriunt, t. t. c.
Quia te istaec audivi loqui. To. Sed hoc med unum excruciat... i. t. c.
Sa. Quidnam id est? To. Haec dies summa hodie est, liberan' mea siet amica, an t. t.
Sempiternam servitutem serviat. Sa. Quid nunc vis ergo?
To. Tuom tibi me facere potis es sempiternum. Sa. Quemadmodum? t. t. c.
To. Ut mihi des numos sexcentos, quos pro capite illius pendam, t. t.
Quos continuo tibi reponam hoc triduo aut quatriduo. t. t. c.
Age, fi benignus! subveni! i. d.
Sa. Qua tu confidentia rogare a med argentum tantum t. t.
Audes, inpudens? Quin si egomet totus veneam, vix recipi
Potis est, quod tu me rogas: nam tu aquam a pumice postulas nunc,
Qui ipsus sitiat. To. Sicne hoc te mihi facere? Sa. Quid faciam? To. Rogas? t. t. c.

29. V.: *agito*, quo metrum turbatur. *Peregri* Charis. pag. 189. Putsch. V. *peregre*. 30. V. *tute*. Pal.: *sit ut tibi bene esse pote* (vulgo: *potes*) *pati* etc. 35. MSS.: *Cum tibi me potis es semp.* etc. neque aliter priscae edd., Iunt. vero et Ald.: *tu tibi me facere p. es s.* 37. V.: *in hoc tr.* 41. *Potis est* libri vett. V.: *potessit*. 42. Pal.: *sicine*, V.: *siccine* et *rogasne?* invitis hoc quidem et usu et libris vett.

Alicunde exora mutuom. Sa. Tu fac idem, quod rogas me. i. t. c.
To. Quaesivi; nusquam reperi. Sa. Quaeram equidem, si quis credat.
To. Nempe habeo in mundo? Sa. Si id domi esset mihi: iam pollicerer.
Hoc meum est, ut faciam sedulo. To. Quidquid erit, recipe te ad me.
Quaero tamen ego item sedulo. Sa. Si quid erit: iam scies. To. Obsecro i. t.
Resecroque te, operam da hanc mihi fidelem! Sa. Ah, odio me enicas!
To. Amoris vitio, non meo, nunc tibi morologus fio. i. t. c.
Sa. At pol ego abs te concessero. To. Iam abis? Bene ambulato.
Sed recipe, quam primum potes! cave mihi quaestioni
Fuas! Usque ero domi, malum dum excoxero lenoni.

SATURIO.

Veterem atque antiquom quaestum, quaesitum malo,
Servo atque obtineo et magna cum cura colo:
Nam nunquam quisquam meorum maiorum fuit,
Quin parasitando paverint ventres suos;
Pater, avos, proavos, abavos, atavos, tritavos,
Quasi mures, semper edere alienum cibum,
Neque edacitate eos quisquam poterat vincere,
Neque his cognomen erat duris capitonibus.
Unde hunc ego quaestum obtineo et maiorum locum;
Neque quadruplari me volo: neque enim decet
Sine meo periclo ire aliena ereptum bona;
Neque illi, qui faciunt, mihi placent (plane loquor):
Nam publicae re causa quicunque id facit
Mage, quam sui quaesti, animus induci potest,
Eum esse civem et fidelem et bonum;
Sed legirupa, qui damnet, duit in publicum
Dimidium. Atque etiam in ea lege adscribere est:
Ubi quadruplator quempiam iniexit manum,
Tantidem ille illi rursus iniiciat manum,

47. V.: Sa. *Quaere t.; ego i. s., si q. erit, faciam ut scias.* Sed libri vett., in his Pal.: — *erit, iam ut sc.* 50. V.: *Iamne abis?* 51. V.: *S. r. te q. p. p.: cave fuas mihi in quaestione.* Cf. Bacch. 259, Merc. 483. 53. V. secundum Camer.: *V. a. a. q. meum alimoniae*, quod ne latinum quidem est. 60. V.: *cognomentum.* 69. Pal. in rasura: *adscribere.* V.: *adscribitor.*

Et aequa parti prodeant ad Trisviros.
Si id fiat: nae isti faxim nusquam adpareant,
Qui hic albo rete aliena oppugnant bona.
Sed sumne ego stultus, qui rem curo publicam,
Ubi sint magistratus, quos curare oporteat?
Nunc huc introibo: visam hesternas reliquias,
Quierint recte, nec ne; num fuerit febris;
Opertaen' fuerint: ne quis obreptaverit.
Sed aperiuntur aedes: remorandust gradus.

TOXILUS. SATURIO.

To. Omnem rem inveni: ut sua sibi pecunia i. s. I, 3
Hodie illam faciat leno libertam suam.
Sed eccum parasitum, quoius mi auxilio est opus.
Simulabo, quasi non videam: ita adliciam virum.
Curate istic vos atque adproperate ocius:
Ne mihi morae sit quidquam, ubi ego intro advenero!
Conmisce mulsum! struthea coluteaque adpara,
Bene ut in scutris concaleant, et calamum iniice!
Iam pol ille hic aderit, credo, congerro meus.
Sa. Me dicit! euge! To. Lautum credo a balineis
Iam hic adfuturum. Sa. Ut ordine omnem rem tenet!
To. Collyrae facite ut madeant et colliphia:
Incocta ne mihi detis. Sa. Rem loquitur meram:
Nihil sunt crudae, nisi, quas madidas glutias.
Tum nisi cremore crasso est ius collyricum:
Nihil est macrum illud epicrocum perlucidum.
Quasi iuream esse ius decet collyricum.
Nolo in vesicam quod eat, in ventrem volo.
To. Prope me hic nescio quis loquitur. Sa. Te, o mi Iupiter
Terrester, coëpulonus conpellat tuos.
To. O Saturio, opportune advenisti mihi!
Sa. Mendacium edepol dicis, atque haut te decet:
Nam Esurio venio, non advenio Saturio.
To. At edes iam: nam intus ventris fumant focula.
Calefieri iussi reliquias. Sa. Pernam quidem
Ius est adponi frigidam postridie.
To. Ita fieri iussi. Sa. Ecquid halecis? To. Vah, rogas?

72. Sic Pal. V.: *Ut*, vel *Ubi*, *aequa*. 73. Ita Iunt. Ald. V.: — *ne i. f. usquam a.* 76. Sic MSS. V.: *sunt*. 100. Libri barbare: *Terrestris*. 104. V.: *At edis! nam iam* etc. Vett. edd.: *edes*.

Sa. Sapis multum ad Genium. To. Sed ecquid meministi tu, here
Qua de re ego tecum mentionem feceram?
Sa. Memini: ut muraena et conger ne calefierent:
Nam nimio melius oppectuntur frigida.
Sed quid cessamus proelium conmittere?
Dum mane est, omnis esse mortalis decet.
To. Nimis pene mane est. Sa. Mane quod tu occeperis
Negotium agere, id totum procedit diem,
To. Quaeso animum advorte huc. Iam here narravi tibi
Tecumque oravi, ut numos sexcentos mihi
Dares utendos mutuos. Sa. Memini et scio,
Et te me orare, et mihi non esse, quod darem.
Nihili parasitust, quoi domid argentum est:
Lubido extemplo coepere est convivium,
Tuburcinari de suo, si quid domi est.
Cynicum esse gente oportet parasitum probum:
Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium,
Marsupium habeat; inibi paulum praesidi,
Qui familiarem vitam suam oblectet modo.
To. Iam nolo argentum: filiam utendam tuam
Mihi da. Sa. Nunquam edepol quoiquam etiam utendam dedi.
To. Non ad istuc, quod tu insimulas. Sa. Quid eam vis? To. Scies:
Quia forma lepida et liberali est. Sa. Res ita est.
To. Hic leno neque te novit neque gnatam tuam.
Sa. Me ut quisquam norit, nisi ille, qui praebet cibum!
To. Ita est. Hoc tu reperire mi argentum potes.
Sa. Cupio hercle. To. Tum tu me sine illam vendere.
Sa. Tun' illam vendas? To. Imo alium adlegavero,
Qui vendat, qui peregrinum se esse praedicet;
Sicut istic leno sex huc menses Megaribus
Nondum est quom conmigravit. Sa. Pereunt reliquiae,
Posterius tamen istuc potest. To. Scin', quam potest?
Nunquam hercle hodie hic prius edes, ne frustra sies,
Quam, te hoc facturum, quod rogo, adfirmas mihi;
Atque nisi gnatam tecum huc iam quantum potest

116. V.: *Q. a. a.: hoc enim iam* etc. In vetere cod. Camer. non legebatur *enim*. 120. V.: *N. parasitus est, cui arg. domi est.* Pal.: — *arg. domi idem.* Vet. cod. Camerar.: — *arg. domid esse.* Non liquescit *arg.* 123. V.: *Cynica esse e gente*, MSS. et vett. edd.: *Cynicum esse gentem* (vett. edd.: *egentem*) V. quoque: *probe*, quod correxit Acid. 137. V.: *Siquidem hic leno nondum sex menses Meg. Huc est cum comm.* 140. V.: *edis.*

Adducis: exigam hercle ego te ex hac decuria.
Quid nunc? quid est? quin dicis, quid facturus sis?
SA. Quaeso hercle, me quoque ut iam vendas, si lubet,
Dum saturum vendas. TO. Hoc si facturus, face.
SA. Faciam equidem, quae vis. TO. Bene facis. Propere abi domum:
Praemonstra docte, praecipe astu filiae,
Quid fabuletur: ubi se natam praedicet;
Qui sibi parentes fuerint, subrepta unde sit.
Sed longe ab Athenis esse se gnatam autumet;
Et ut adfleat, quom ea memoret. SA. Etiam tu taces?
Ter tanto peior ipsa est, quam illam tu esse vis.
TO. Lepide hercle dicis. Sed scin', quid facias? Cape
Tunicam atque zonam, et chlamydem adferto et causiam,
Quam ille habeat, qui hanc lenoni huic vendat . . . .
SA. Heu probe!
TO. Quasi sit peregrinus. SA. Laudo. TO. Tum gnatam tuam
Ornatam adduce lepide in peregrinum modum.
SA. Πόθεν ornamenta? TO. Abs chorago sumito.
Dare debet: praebenda Aediles locaverunt.
SA. Iam faxo hic aderunt. Sed ego nihil horum scio.
TO. Nihil hercle vero. Nam ubi ego argentum accepero:
Continuo tu illam a lenone adserito manu.
SA. Sibi habeat, si non extemplo ab eo abduxero.
TO. Abi et istuc cura. Puerum ego interibi volo
Mittere ad amicam meam: ut habeat animum bonum:
Med esse ecfecturum hodie. Nimis longum loquor.

SOPHOCLIDISCA. LEMNISELENE.

SO. Satis fuit, indoctae, inmemori, insipienti dicere totiens; t. t. II, 1.
Nimis tandem me quidem pro barda et rustica reor habitam esse abs te.
Quamquam ego vinum ecbibo, at una non consuevi simul mandata.
Me quidem iam satis tibi spectatam censueram esse et meos mores: as. t. d. i. d. o.

145. *ut iam.* Pal. V.: *etiam.* 147. Male libri: *propera.* 157. V.: SA. *Laudo.* TO. *et tu tuam gn. tamen Orn.* etc. 169. V.: *et pro rust.* 170. V.: — *bibo, at mand. non cons. sim. bibere una.* Cf. Amph. 474.

Nam equidem te iam sector quintum hunc annum, quom interea, credo,
Cucus si in ludum iret, potuisset iam, ut litteras probe sciret,
Quom interim tu ingenium meum fans non edidicisti atque infans.
Potin' ut taceas? potin' ne moneas? Scio, calleo, conmemini:
Amas pol, misera; id tuos scatet animus. Ego, istuc placidum i. t. c.
Tibi ut sit, faciam. Le. Est miser, qui amat. So. Certe is quidem nihili est,
Qui nihil amat. Quid ei homini opus vita est? Ire decet me.
Herae obsequens fiam: ocius meâ operâ libera ut sit.
Conveniam hunc: eius aures, quae mandata sunt, onerabo.

TOXILUS. PAEGNIUM. SOPHOCLIDISCA.

To. Satin' haec tibi sunt plana et certa? satin' haec meministi et tenes? t. t. c. II, 2.
P. Melius, quam qui docuisti. To. Aiin' vero, verbereum caput?
P. Aio enimvero. To. Quid ergo dixi? P. Ego recte apud illam dixero.
To. Non edepol scis. P. Da hercle pignus, ni omnia memini et scio.
To. Equidem, si scis tute, quot habeas hodie digitos in manu,
Eo dem pignus tecum. P. Audacter, si lubido est perdere.
To. Bona pax sit potius. P. Tum tu igitur sine me ire. To. Et iubeo et sino.
Sed ita volo curare, ut domi sis, quom ego te esse illi censeam.
P. Faciam. To. Quo ergo is nunc? P. Domum: uti domi sim, quom illi censeas.
To. Scelus tu pueri es, atque ob istanc rem aliquid te ego peculiabo. t. t.

172. V. *interim.* MSS. *inter iam.* 173. Libri immissa interpretatione, qua versus iugulatur: *C. si in l. iret, pot. iam fieri ut probe l. sc.* 175. V. — *moneas? memini et scio et calleo et commemini.* 179. V., refragantibus libris vett.: *Ut herae* etc. 180. V.: *C. h. Toxilum.* Notus pronominis *Hic* usus in familiaribus et vicinis. Nomen Toxili a versu repudiatur. 182. V.: *Ain'.* 188. V.: *vola te cur.*

P. Scio, fide hercle herili ut soleat inpudicitia opprobrari,
Nec subigi queantur unquam, ut pro fido habeant indicem. t. t. c.
To. Abi modo. P. Ego laudabis faxo. To. Sed has tabellas, Paegnium,
Ipsi Lemniselene fac des et, quae iussi, nuntiato. t. t.
So. Cesso ire ego, quo missa sum? t. d. c.
P. Eo ego. To. I sane; ego domum ibo. Face rem hanc cum cura geras! t. t. c.
Vola curriculo! P. Istuc marinus passer per circum solet.
Ille hinc abiit intro huc. Sed quis haec est, quae me advorsum incedit? t. t.
So. Paegnium hic quidem est. P. Sophoclidisca haec est peculiaris eius,
Quo ego sum missus. So. Nullus esse peior hoc puero perhibetur
Hodie. Conpellabo. P. Conmorandum est apud hanc obicem. t. t. c.
So. Paegnium, deliciae pueri, salve, quid agis? ut vales?
P. Sophoclidisca, di me amabunt. So. Quid med? utrum? P. Hercle te,
Si, uti digna es, faciant, odio hercle habeant et faciant male.
So. Mitte male loqui. P. Quom, ut digna es, dico: bene, non male, loquor.
So. Quid agis? P. Feminam scelestam te, adstans contra, contuor.
So. Certe equidem puerum peiorem, quam te, novi neminem.
P. Quid mali facio aut quoi male dico? So. Quoi pol cunque occasio est.
P. Nemo homo unquam ita arbitratust. So. At pol multi esse ita sciunt.
P. Heia! So. Heia! P. Tuo ex ingenio mores alienos probas.
So. Fateor ego esse profecto me, ut decet lenonis familiae.
P. Satis iam dictum habeo. So. Sed quid tu? confitere, ut te autumo?
P. Fatear, si ita sim. So. Iam abi: vicisti. P. Abi nunc iam. So. Ergo hoc mi expedi,
Quo agis? P. Quo tu? So. Dice tu: prior rogavi. P. At post scies.
So. Eo quidem hinc haud longe ego. P. Et quidem haud longe ego. So. Quo ergo, scelus?

192. V.: *N. s. q. u., ut p. ea fide h. iudicem. Indicem* Pistoris ponendum vidit. 203. V. contra libros vett.: *Hercle nescio. Sed si ut digna* etc. 214. V.: *Dic.* 215. *quidem* arcessitum ex Iunt. Ald.

P. Ni sciero prius ex te: tu ex me nunquam hoc, quod rogitas, scies.
So. Nunquam ecastor hodie scibis, priusquam ex ted audivero.
P. Itane est? So. Itane est? P. Mala es. So. Scelestus. P. Decet me. So. Me quidem haud decet. i. t.
P. Quid ais? certumne est celare, quo iter facias, pessuma? t. t. c.
So. Obfirmastin' occultare, quo te inmittas, pessume?
P. Par pari respondes dicto: abi iam, quando ita certa res est. t. t.
Nihili facio scire. Valeas. So. Adsta! P. At propero. So. Et pol ego item. t. t. c.
P. Ecquid habes? So. Ecquid tu? P. Nil quidem. So. Cedo manum ergo. P. Estne haec manus?
So. Ubi illa est furtifica altera, laeva? P. Domi eccam: huc nullam attuli. i. t.
So. Nescio quid habes. P. Ne me attrecta, subagitatrix! So. Sin te amo? t. t. c
P. Male operam locas. So. Qui? P. Quia enim nihil amas, quom ingratum amas.
So. Temperi hanc vigilare oportet formulam atque aetatulam:
Ne, ubi vorsipellis fias, foede semper servias.
Tu quidem haud etiam es octoginta pondo. P. At confidentia
Militia illa militatur multo mage, quam pondere.
At ego hanc operam perdo. So. Quid iam? P. Quia peritis praedico.
Sed ego cesso. So. Mane. P. Molesta es. So. Ἔργῳ ero quoque, nisi scio,
Quo agas te. P. Ad vos. So. Et pol ego ad vos. P. Quid eo? So. Quid id ad te attinet?
P. Enim non ibis nunc vicissim, nisi scio. So. Odiosus's. P. Lubet.
Nunquam hercle istuc exterebrabis tu, ut sis peior, quam ego siem.
So. Malitia certare tecum miseria est. P. Merx tu mala es.
So. Quid id est, quod metuas? P. Idem istuc, quod tu. So. Dic ergo.... P. Dic ergo. t. t.

216. Sic eaedem edd. V.: *Nisi.* 223. V.: *Nihil equidem.* 227. Ita scripti. V.: *Tempori.* 228. V.: *Ne, ubi capillus versipellis fiat, f. s. s.* MSS.: *fias.* 231. V.: *Atque ego hanc nunc op. p.* 231. Sic vett. edd. V.: *peritae.* 232. V. abest Ἔργῳ. Contra MSS.: *ergo quoque*, omisso *ero.* 237. V.: So. *Quid est q. m.?* Pae. *id istuc q. tu.* So. *dic ergo, quid est.* Sed posterius hoc *quid est* non habetur in libris vett.

Ne hoc quoiquam homini edicerem, omnes muti ut loquerentur prius, t. t. c.
Edictum est magnopere mi. So. Et mihi, ne quoiquam homini crederem,
Omnes muti uti loquerentur prius hoc, quam ego. At tu hoc face:
Fide data credamus. P. Novi. Omnes sunt lenae levifidae, i. t.
Neque tipullae levius pondust quam fide lenoniae. t. t. c.
So. Dic, amabo. P. Dic, amabo. So. Nolo ames. P. Facile inpetras.
So. Tecum habeto. P. Et tu hoc taceto. So. Tacitum erit. P. Celabitur.
So. Toxilo has fero tabellas, tuo hero. P. Abi: eccillum domi.
Ast ego hanc ad Lemniselenem, tuam heram, obsignatam abietem.
So. Quid istic scriptum? P. Iuxta tecum, si tu nescis, nescio,
Nisi fortasse blanda verba. So. Abeo. P. Atque ego abiero. So. Ambula.

SAGARISTIO.

Iovi opulento, incluto, Ope gnato, supremo, valido, viripotenti. as. t. d. i. d. h.
Opes, spes, bonas copias commodanti, b. t.
Lubens vitulorque merito: b. tr. c.
Quia meo amico amiciter hanc commoditatis copiam i. t.
Dat nunc argenti mutui, egenti opes ut adferam.
Quod ego non mage somniabam neque opinabar neque censebam, t. t.
Eam fore mihi occasionem, ea nunc quasi decidit de coelo.
Nam herus meus me Eretriam misit: domitos boves ut sibi mercarer;
Dedit argentum: nam ibi mercatum dixit die esse septimi, t. t. c.
Stultus, qui hoc mihi daret argentum, quoius ingenium noverat:
Nam hoc argentum alibi abutar; boves quos emerem, non erant.
Nunc et amico prosperabo et Genio meo bona multa faciam! t. t.

242. Libri: *fides lenonia.* 248. V.: *At ego ab.* 253. V.: *opem.* 260. V.: *amico meo.*

Diū quo bene sit, die uno absolvam! Tax tax tergo erit. Non curo:
Nunc homini amico bobus domitis mea ex crumena largiar: i. t.
Nam id demum lepidum est, triparcos, vetulos, avidos, aridos, t. t. c.
Bene admordere, qui alliatum servo obsignant cum sale. i. t.
Virtust, occasio ubi admonet, dispicere. Quid faciet mihi?
Verberibus caedi iusserit, conpedes inponi. Vapulet!
Ne sibi me credat supplicem fore! Vae illi! mihi iam nil novi
Obferri potis est, quin sim peritus. as. s i. h.
Sed Toxili puerum Paegnium eccum!

PAEGNIUM. SAGARISTIO.

P. Pensum, quod datum est, confeci; nunc prodeo domum. Sa. Mane, etsi properas, t. t. II, 4.
Paegnium! ausculta! P. Emere oportet, quem obedire tibi velis. t. t. c.
Sa. Adsta! P. Exhibeas molestiam, ut opinor, si quid debeam, i. t.
Qui nunc sic tamen es molestus. Sa. Scelerate, etiam respicis? t. t. c.
P. Scio ego, quid sim aetatis: eo istuc maledictum inpune auferes.
Sa. Ubi Toxilus est, tuos herus? P. Ubi lubet illi, neque te consulit. i. t.
Sa. Etiamne dicis, ubi siet, venefice? i. s.
P. Nescio, inquam, ulmitriba tu. t. d. h.
Sa. Maledicis maiori. P. Prior promeritus perpetiare. i. t. c.
Servam operam, linguam liberam herus me iussit habere.
Sa. Dicisne mi, ubi sit Toxilus? P. Dico, ut perpetuo pereas.
Sa. Caedere tu hodie restibus. P. Tua quidem, cucule, causa!
Non hercle, si os praeciderim tibi, metuam, morticine.
Sa. Video ego te, iam incubitatus es. P. Ita sum. Quid id attinet ad te?

261. V.: *D. quod bene erit, d. u. a. T. t.* (Pal.: *tux cax*) *te m. erit.* 263. V.: *trip. homines.* 264. *qui alliatum.* Pal.: *quis alienum.* Vett. edd.: *qui alienum.* V.: *qui salinum.* Cf. Meurs. Exercc. crit. 1, 215, item Most. 45, Pers. Sat. 4, 30. 268. V.: *potest.* 269. MSS.: *nunc pro domum.* 273. V.: *tam.* 276. V.: *sit.*

At non sum ita, ut tu, gratiis. Sa. Confidens! P. Sum hercle vero:
Nam ego me confido liberum fore, tu te nunquam speres.
Sa. Potin', ut molestus ne sies? P. Quod dicis, facere non quis.
Sa. Abi in malam rem! P. At tu domum: nam ibi tibi parata praes est.
Sa. Vadatur hic me. P. Utinam vades desint, in carcerem ut sis!
Sa. Quid hoc? P. Quid est? Sa. Etiam, scelus, male loquere? P. Tandem ut liceat,
Quom servos sis, servom tibi maledicere. Sa. Itane? Specta!
Quin dedero .... P. Nil: nam nil habes. Sa. Di deaeque me omnes perdant,
Nisi te hodie, si prehendero, defigam in terram colaphis!
P. Amicus sum: eveniant volo tibi, quae optas, atque id fiat,
Tu ut me defigas, te cruci ipsum propediem alii adfigant.
Sa. Quin te di deaeque .... Scis, quid hinc porro dicturus fuerim,
Ni linguae moderari queam. Potin', abeas? P. Abigis facile:
Nam iam umbra mea intus vapulat. Sa. Ut istunc di deaeque perdant!
Tamquam proserpens bestia, est bilinguis et scelestus.
Hercle illum abiisse gaudeo. Foris aperite! Ecce autem,
Quem convenire maxume cupiebam, egreditur intus!

TOXILUS. SAGARISTIO. SOPHOCLIDISCA.

To. Paratum iam esse dicito, unde argentum sit futurum. i. t. c. II, 5.
Iubeto habere animum bonum: dic me illam amare multum.
Ubi se adlevat, ibi me adlevat. Quae dixi ut nuntiares,
Satin' ea tenes? So. Mage calleo, quam aprugnum callum callet.
To. Propere abi domum. Sa. Nunc huic ego graphice facetus fiam:
Subnixis alis me inferam atque amicibor gloriose.
To. Sed quis hic ansatus ambulat? Sa. Magnifice conscreabor.

285. V.: *speras*. 268. V.: *carcere*. Cf. Amph. 547, Cas. 375 etc. 291. Ita Iunt. Ald. V.: *Quid ded.* Ceterum Pal. et libri vett.: *te*, non *me*, ut vulgo. 294. Ita Dissald. V.: *affigent*, item: *Tu me d.*, sed libri vett.: *tunc me*. 299. V.: *Eocere autem*. 305. V.: *Propera*.

To. Sagaristio hic quidem est. Quid agitur, Sagaristio? ut valetur?
Ecquid, quod mandavi tibi? estne in te speculae? Sa. Adito:
Videbitur: factum volo. Venito! promoveto!
To. Quid hoc hic in collo tibi tumet? Sa. Vomica est: pressare parce:
Nam ubi qui mala tetigit manu, dolores cooriuntur.
To. Quando istaec innata est tibi? Sa. Hodie. To. Secari iubeas.
Sa. Metuo, ne inmaturam secem: ne exhibeat plus negoti.
To. Inspicere mihi morbum tuom lubet. Sa. Abi atque cave, sis,
A cornu. To. Quid iam? Sa. Quia boves bini hic sunt in crumena.
To. Emitte, sodes: ne enices fame! sine ire pastum.
Sa. Enim metuo, ut possim reicere in bubilem: ne vagentur.
To. Ego reiciam: habe animum bonum. Sa. Credetur; commodabo.
Sequere hac, sis: argentum hic inest, quod dudum me rogasti.
To. Quid tu ais? Sa. Dominus me boves mercatum Eretriam misit;
Nunc mi Eretria erit haec tua domus. To. Nimis tu facete loquere;
Atque omne ego argentum tibi actutum incolume redigam:
Nam iam omnis sycophantias instruxi et comparavi,
Quo pacto ab lenone auferam hoc argentum.... Sa. Tanto melior.
To. Et mulier ut sit libera, atque ipse ultro duit argentum.
Sed sequere me: ad eam rem usus est tua mihi opera.
Sa. Utere, ut vis.

SATURIO. VIRGO.

Sat. Quae res bene vortat mi et tibi et ventri meo, I. s. III, 1
Perennitatisque adeo huic perpetuo cibo:
Ut mihi supersit, suppetat, superstitet.
Sequere hac, mea gnata, me cum dis volentibus.
Quoi re opera detur, scis, tenes, intellegis:
Communicavi tecum consilia omnia.

309. Sic libri vett. V.: *estne quid in te sp.?* 310. Sic vett. edd. V.: *promoueto.* 313. Non aliter hic quoque libri vett. V. tamen: *inn. est nam tibi?* 319. V.: *Creditur.* 320. Pal.: *Seque.* 326. *duit* Mediol. a. 1500. V.: *det.*

Ea causa ad hoc exemplum te exornavi ego:
Venibis tu hodie, virgo. V. Amabo, mi pater,
Quamquam lubenter escis alienis studes,
Tuin' ventris causa filiam vendis tuam?
Sat. Mirum, quin regis Philippi causa aut Attali
Te potius vendam, quam mea, quae sis mea.
V. Utrum pro ancilla me habes, an pro filia?
Sat. Utrum hercle magis in ventris rem videbitur:
Mihi, opinor, imperium in te, non in me tibi est.
V. Tua istaec potestas est, pater; verumtamen,
Quamquam res nostrae sunt, pater, pauperculae,
Modice et modeste meliust vitam vivere:
Nam ad paupertatem si admigrant infamiae:
Gravior paupertas fit, fides sublestior.
Sat. Enimvero odiosa es. V. Non sum neque me esse arbitror,
Quom parva natu recte praecipio patri:
Nam inimici famam non ita, ut nata est, ferunt.
Sat. Ferant eantque in maxumam malam crucem!
Non ego omnis inimicitias pluris aestumo,
Quam mensa inanis nunc si adponatur mihi.
V. Pater, hominum inmortalis est infamia;
Etiam tum vivit, quom esse credas mortuam.
Sat. Quid? metuis, ne te vendam? V. Non metuo, pater;
Verum insimulari nolo. Sa. At nequidquam nevis:
Meo modo istuc potius fiet, quam tuo
Fiat. Quae haec res sunt? V. Cogita hoc verbum, pater.
Herus si minatus est malum servo suo:
Tametsi id futurum non est, ubi captum est flagrum,
Dum tunicas ponit, quanta adficitur miseria!
Ego nunc, quod non futurum est, formido tamen.
Sat. Virgo atque mulier nulla erit, quin sit mala,
Quae praeter sapiet, quam placet parentibus.
V. Virgo atque mulier nulla erit, quin sit mala,
Quae reticet, si quid fieri pervorse videt.
Sat. Malo cavere meliust te. V. At si non licet
Cavere, quid agam? nam ego tibi cautum volo.
Sat. Malusne ego sum? V. Non, neque me dignum est dicere;
Verum ei re operam do, ne alii dicant, quibus licet.
Sat. Dicat, quod quisque volt; ego de hac sententia
Non demovebor. V. At, meo si liceat modo,

340. V.: *Utr. tu.* 342. V.: *Meum, op.* 346. Sic Pal. V.: *N. si ad p. adm. i.* 361. Sic vett. edd. V.: *Tamenetsi,* 370. V.: *Non es.*

Sapienter potius facias, quam stulte. Sat. Lubet.
V. Lubere per me tibi licere intellego;
Verum lubere haud liceat, si lubeat mihi.
Sat. Futura es dicto obediens, an non, patri?
V. Futura. Sat. Scis nam, tibi quae praecepi? V. Omnia.
Sat. Et id, ut subrepta fueris? V. Docte calleo.
Sat. Et qui parentes fuerint? V. Habeo in memoria.
Necessitate me, mala ut fiam, facis;
Verum videto, ubi me voles nuptum dare,
Ne haec fama faciat repudiosas nuptias.
Sat. Tace, stulta: non tu nunc hominum mores vides,
Quoiusmodi hic cum fama facile nubitur?
Dum dos sit: nullum vitium vitio vortitur.
V. Ergo istuc facito ut veniat in mentem tibi.
Me esse indotatam. Sat. Cave, sis, tu istuc dixeris,
Nec te indotatam dicas, quoi dos sit domi.
Pol (deum virtute dicam et maiorum meum)
Librorum eccillum habeo plenum soracum.
Si hoc adcurassis lepide, quoi re operam damus:
Dabuntur dotis tibi inde sexcenti logi,
Atque Attici omnes, nullum Siculum acceperis.
Cum hac dote poteras vel mendico nubere.
V. Quin tu me ducis, si quo ducturus, pater?
Vel tu me vende, vel face, quidquid tibi lubet.
Sat. Bonum aequomque oras. Sequere hac. V. Dicto sum audiens.

D O R D A L U S.

Quidnam esse acturum hunc dicam vicinum meum, i. s. III, 2.
Qui mihi iuratust, sese hodie argentum dare?
Quodsi non dederit atque hic dies praeterierit;
Ego argentum, ille iusiurandum amiserit.
Sed ibi concrepuit foris. Quisnam egreditur foras?

TOXILUS. DORDALUS.

To. Cura istuc intus; iam ego domum me recipiam. i. s. III, 3.
D. Toxile, quid agitur? To. Eho, lutum lenonium,

376. Sic Pal. et vett, nonnullae edd. V.: *V. l. haud lubeat, si ceat m.* 388. — 390. ita dispositi sunt in vulgatis libris: 388, 90. 389. Recte ordinavit Acid. 389. V.: *Ne te.* 395. Sic libri ett. V.: *poteris.* 397. V.: *face, quod t. l.* Pal. *f. quid t. l.* 404. .: *Curate.*

Conmixtum coeno, sterculinum publicum,
Inpure, inhoneste, iniure, inlex, labes popli,
Pecuniai accipiter avide atque invide,
Procax, rapax, trahax (trecentis versibus
Tuas inpuritias traloqui nemo potest),
Accipin' argentum? Accipe, sis, argentum, inpudens!
Tene, sis, argentum! Etiam tu argentum tenes?
Non mihi censebas censebas argenti fore.
Possum te facere ut argentum accipias, lutum?
Qui nisi iurato mihi nil ausus credere?
D. Sine respirare me: tibi ut respondeam.
Vir summe populi, stabulum servitutium,
Scortorum liberator, sudiculum flagri,
Conpedium tritor, pistrinorum civitas,
Perenniserve, lurco edax, furax, fugax,
Cedo, sis, mi argentum! da mihi argentum, inpudens!
Possum a te exigere argentum? argentum, inquam, cedo!
Quin tu mi argentum reddis? nilne te pudet?
Leno te argentum poscit, solida servitus,
Pro liberanda amica: ut omnes audiant.
To. Tace, obsecro, hercle! nae tua vox valide valet!
D. Referundae ego habeo linguam natam gratiae.
Eodem mihi pretio sal praehibetur, quo tibi.
Nisi me haec defendet: nunquam delinget salem.
To. Iam omitto iratus esse. Id tibi suscensui,
Quia te negabas credere argentum mihi.
D. Mirum, quin tibi ego crederem: ut tu idem mihi
Faceres, quod partim faciunt argentarii!
Ubi quid credideris: citius extemplo a foro
Fugiunt, quam ex porta ludis quom emissust lepus.
To. Cape hoc, sis. D. Quin das? To. Numi sexcenti hic erunt
Probi, numerati: fac sit mulier libera,
Atque huc continuo adduce. D. Iam faxo hic erit.
Non hercle, quoi nunc hoc dem spectandum, scio.
To. Fortasse metuis in manum concredere.
D. Mirum, quin. — Citius iam a foro argentarii
Abeunt, quam in cursu rotula circumvortitur.
To. Abi istac advorsis angiportis ad forum;
Eadem istaec facito mulier ad me transeat
Per hortum. D. Iam hic faxo aderit. To. At ne propalam.

413. Versus repertus in codice Ambros., nisi quod ibi legitur *censebam.* 417. vet. cod. Camer.: *popli.* V. autem: *servitricium.* Nostrum est a Colero. 418. Sic Pius et Meurs. V.: *subiculum.* 433. Fort.: *passim.*

D. Sapienter sane. To. Supplicatum cras eat.
D. Ita hercle vero. To. Dum stas, reditum oportuit.

TOXILUS. SAGARISTIO. VIRGO.

To. Si quam rem adcures sobrie ac frugaliter, i. s. IV, 1.
Solet illa recte sub manus succedere.
Atque edepol ferme, ut quisque rem adcurat suam,
Sic ei procedunt postprincipia denique.
Si malus aut nequam est: male res vortunt, quas agit;
Sin autem frugi est: eveniunt frugaliter.
Hanc ego rem exorsus sum facete et callide:
Igitur bene proventuram confido mihi.
Nunc ego lenonem ita hodie intricatum dabo,
Ut ipsus sese, qua se expediat, nesciat.
Sagaristio, heus, exi atque educe virginem,
Et istas tabellas, quas consignavi tibi,
Quas tu attulisti ab hero meo usque e Persia.
Sa. Numquid moror? To. Euge, euge, exornatus basilice!
Tiara ut lepidam lepide condecorat schemam!
Tum hanc hospitam autem crepidula ut graphice decet!
Sed satin' estis meditati? Sa. Tragici et Comici
Nunquam aeque sunt meditati. To. Lepide hercle adiuvas.
Age, illuc abscede procul e conspectu et tace.
Ubi cum lenone me videbis conloqui,
Id erit adeundi tempus; nunc egerite vos.

DORDALUS. TOXILUS.

D. Quoi homini di propitii sunt, aliquid obiiciunt lucri. t. t. c. IV, 2.
Nam ego hodie conpendi feci binos panes indies:
Ita mea ancilla quae fuit hodie, sua nunc est: argento vicit: t. t.
Iam hodie alienum coenabit, nil gustabit de meo. t. c. c.
Sumne probus, sum lepidus civis, qui Atticam hodie civitatem t. t.

448. V. *aut frug.* 451. V. *post principia.* Sequor Scaligerum in Coniectaneis et Taubmannum. 453. Fort. numeris melioribus: *evenunt.* 462. Sic Acidal. secundum Priscian. pag. 679. Putsch. V.: *Tiara ornatum lepide cond. tuum.* 468. *egerite.* Pal.: *age rite.* Mediol. a. 1500.: *non agite.* Vulgo: *nunc agite, ite.* 471. Numeri duriores. An *favea* pro *ancilla* Plautus scripserat? cf. Mil. 793, Poen. 831.

Maxumam maiorem feci atque auxi civi femina? t. t. c.
Sed ut ego hodie fui benignus! ut ego multis credidi,
Nec satis a quiquam homine accepi: ita prorsus credebam omnibus;
Nec metuo, quibus credidi hodie, ne quis mi in iure abiurassit. t. t.
Bonus volo iam ex hoc die esse; — quod neque fiet neque fuit. t. t. c.
To. Hunc ego hominem hodie in transennam doctis inducam dolis;
Itaque huic insidiae paratae sunt probe: adgrediar virum.
Quid agis? D. Credo. To. Unde agis te, Dordale? D. Credo tibi.
To. Di dent, quae velis! Eho, iam manu emisisti mulierem?
D. Credo pol, credo, inquam, tibi. To. Iam liberta auctus? D. Enicas.
Quin tibi dico credere. To. Dic bona fide: iam libera est?
D. I ad forum ad praetorem: exquire, siquidem credere mihi non vis. t. t.
Libera, inquam, est. Ecquid audis? To. At tibi di benefaciant omnes!
Nunquam enim posthac tibi nec tuorum, quod nolis, volam. t. t. c.
D. Abi, ne iura: satis credo. To. Ubi nunc tua liberta est? D. Apud ted. To. Aiin? t. t.
Apud me est? D. Aio, inquam; apud ted est, inquam. To. Ita me di ament, ut ob istanc rem
Multa tibi bona instant a me: nam est res quaedam, quam occultabam
Dicere tibi; nunc eam narrabo, unde tu pergrande lucrum as. t. d. i. d. c.
Facias. Faciam, uti memineris mei, dum vitam vivas.
D. Benedictis tuis benefacta aures meae expostulant auxilium.
To. Tuom promeritum est, merito ut faciam. Et facturum ut scias: tabellas
Has tene; perlege. D. Haec quid a me? To. Imo ad te attinent; tua refert.
Namque e Persia ad me adlatae modo sunt istae a meo domino.

482. V.: *Eho, an iam.* 483. V.: *auctus es?* et sequente versu: *Q. t. me d. cr.* 487. *nec*, non. Iocus παρὰ προσδοκίαν. 494. V.: *Et ut me sc. esse fact.*; deinde: *et tua refert.*

D. Quando? To. Haud dudum. D. Quid istaec narrant? To. Ex ipsis percontare:
Ipsae tibi narrabunt. D. Cedo sane mi. To. At recitato clare.
D. Tace, dum perlego. To. Verbum haud faciam. t. d.
D. „Salutem dicit Toxilo Timarchides i. s.
„Et familiae omni. Si valetis, gaudeo;
„Ego valeo recte et rem gero et facio lucrum,
„Neque isto redire his octo possum mensibus.
„Itaque hic est, quod me detinet, negotium:
„Chrysopolim Persae cepere urbem in Arabia,
„Plenum bonarum rerum atque antiquom oppidum;
„Ea comparatur praeda, ut fiat auctio
„Publicitus: ea res me domo expertem facit.
„Operam atque hospitium ego isti praehiberi volo,
„Qui tibi tabellas adfert. Cura, quae is volet:
„Nam is honores mihi suae domi habuit maxumos."
Quid id ad me aut ad meam rem refert, Persae quid rerum gerant, i. t.
Aut, quid herus tuos? To. Tace, stultiloque: nescis, quid te instet boni.
Nequidquam tibi Fortuna faculam lucrificam adlucere volt.
D. Quae istaec est Fortuna lucrifica? To. Istas, quae norunt, roga; t. t. c.
Ego tantundem scio, quantum tu, nisi quod perlegi prior.
Sed, ut occoepisti, ex tabellis nosce rem. D. Bene me mones.
Fac silentium. To. Nunc ad illud venies, quod refert tua.
D. „Iste, qui tabellas adfert, adduxit simul i. s.
„Forma expetenda liberalem mulierem,
„Furtive advectam ex Arabia penitissuma;
„Eam te volo adcurare, ut istic veneat;
„At suo periculo is emat, qui eam mercabitur:
„Mancupio neque promittet neque quisquam dabit.
„Probum et numeratum argentum ut accipiat, face.
„Haec cura, et hospes cura ut curetur. Vale."
To. Quid igitur? postquam recitasti, quod erat cerae creditum, t. t. c.
Iam mihi credis? D. Ubi nunc ille est hospes, hasce qu attulit?
To. Iam hic, credo, aderit: arcessivit illam a navi. D. Nil mi opust

505. *Chrysopolim* praeclare MS. Ambros. Libri vulgati *Eleusipolim*, ruente versu. Pal.: *cleusi polim.* 506. V.: *Plenam.* 513. Sic vet. MS. Camer., teste Pareo. V. *te* desideratur.

Litibus neque tricis. Quamobrem numerem ego argentum foras?
Nisi mancupio accipio, quid eo mihi opus mercimonio?
To. Tacen' an non taces? Nunquam ego te tam esse matulam credidi.
Quid metuis? D. Metuo hercle vero: sensi ego iam conpluriens,
Neque mi haud inperito eveniet, tali ut in luto haeream.
To. Nil periculi videtur. D. Scio istuc; sed metuo mihi.
To. Mea quidem nihil istuc refert; tua ego refero gratia:
Tibi uti recte conciliandi primo faciam copiam.
D. Gratiam habeo; sed te de aliis, quam alios de te, suaviust
Fieri doctos. To. Ne quis vero ex Barbaria penitissuma
Persequatur! Etiam tu illam destinas? D. Videam modo
Mercimonium. To. Aequa dicis. Sed optume, eccum, ipse advenit
Hospes ille, qui has tabellas attulit. D. Hiccine est? To. Hic est.
D. Haeccine illa est furtiva virgo? To. Iuxta tecum aeque scio,
Nisi quia adspexi. Equidem edepol liberalist, quisquis est.
D. Sat edepol concinna facie est. To. Ut contemtim carnufex! —
Taciti contemplemur formam. D. Laudo consilium tuom.

SAGARISTIO. VIRGO. TOXILUS. DORDALUS.

Sa. Satin' Athenae tibi **sunt** visae fortunatae atque opiparae? t. t. c. IV, 3.
V. Urbis speciem vidi, mores hominum perspexi parum.
To. Numquid in principio cessat verbum docte dicere?
D. Haud potui etiam in primo verbo perspicere sapientiam.
Sa. Quid id, quod vidisti? ut munitum muro tibi visum oppidum est? i. t.
V. Si incolae bene sunt morati: pulcre moenitum arbitror; t. t. c.
Perfidia et Peculatus ex urbe et Avaritia si exulant,
Quarta Invidia, quinta Ambitio, sexta Obtrectatio,

535. MSS.: *compluriens.* V.: *compluries.* 537. Libri soloece: *facerem.* 549. V.: *cessavit*, quae videtur esse interpretatio. 552. Pal.: *monitum.* V.: *munitum.*

Septumum Periurium.... To. Euge! V. Octava Indiligentia,
Nona Iniuria, decumum, quod pessumum adgressu, Scelus.
Haec ni aberunt: rebus servandis centuplex murus parum est.
To. Quid ais tu? D. Quid vis? To. Tu in illis es decem sodalibus:
Te in exilium ire hinc oportet. D. Quid iam? To. Quia periurus es.
D. Verba quidem haud indocte fecit. To. Ex tuo, inquam, usu est: eme hanc.
D. Edepol quin, quom hanc mage contemplo, mage placet. To. Si hanc emeris:
Di immortales! nullus leno te alter erit opulentior;
Evortes tuo arbitratu homines fundis, familiis;
Cum optumis viris rem habebis; gratiam cupient tuam;
Venient ad te comissatum. D. At ego intromitti v e t u e r o.
To. At enim illi noctu occentabunt ostium, exurent foris:
Proinde tu tibi iubeas concludi aedis foribus ferreis,
Ferreas aedis conmutes, limina indas ferrea,
Ferream seram atque anellum: ne, si ferro parseris,
Ferreas tibi tute inpingi iubeas crassas conpedis.
D. I in malum cruciatum! To. I sane! — Hanc eme. Ausculta mihi.
D. Modo uti sciam, quanti indicet. To. Vin' huc vocem? D. Ego illo accessero.
To. Quid agis, hospes? Sa. Venio; adduco hanc ut dudum dixeram.
Nam heri in portum noctu navis venit; venire hanc volo,
Si potest; si non potest: ire hinc volo, quantum potest.
D. Salvos sis, adulescens. Sa. Si quidem hanc pretio vendidero suo.
To. Atqui aut hoc emtore vendes pulcre, aut alio non potes.
Sa. Esne tu huic amicus? To. Tanquam di omnes, qui coelum colunt.
D. Tum tu mi es inimicus certus: nam generi lenonio
Nunquam ullus deus tam benignus fuit, quin fuerit propitius.

557. V.: *H. nisi inde ab.* Pal.: *Hec unde ab.* 561. V.: *Ed. qui.* 565. *vet.* additum a Camerario. 569. Libri *anulum.* 571. V.: *H. eme atque ausc. m.* 573. V.: *Q. ais?* Correxit Acid. 580. Sic vett. edd. V.: *qui f. prop.*

SA. Hoc age. Opusne est hac tibi emta? D. Si tibi venisse est opus,
Mihi quoque emta est; si tibi subiti nihil est, tantundem est mihi.
SA. Indica; fac pretium. D. Tua merx est: tua indicatio est.
TO. Aequom hic orat. SA. Vin' bene emere? D. Vin' tu pulcre vendere?
TO. Ego scio hercle, utrumque velle. D. Age, indica prognariter.
SA. Prius dico: hanc mancupio nemo tibi dabit. Iam scis? D. Scio.
Indica, minumo daturus qui sis, qui duci queat.
TO. Tace, tace: nimis tu quidem hercle homo stultus es pueriliter.
D. Quid ita? TO. Quia enim te ex puella prius percontari volo,
Quae ad rem referunt. D. Atquin hercle tu me monuisti haud male.
Vide, sis: ille ego doctus leno pene in foveam decidi,
Ni hic adesses. Quantum est adhibere hominem amicum, ubi quid geras!
TO. Quo genere aut qua in patria sit nata, aut quibus parentibus
(Ne temere hanc te emisse dicas suasu aut inpulsu meo),
Volo, te percontari. D. Quin laudo, inquam consilium tuom. —
TO. Nisi molestum est, percontari hanc paucis hic volt. SA. Maxume,
Suo arbitratu. TO. Quid stas? adi tute atque ipsus itidem roga,
Ut tibi percontari liceat, quae velis, etsi mihi
Dixit dare potestatem eius; sed ego te malo tamen
Ipsum cum adire: ut ne contemnat te ille. D. Satis recte mones.
Hospes, volo ego hanc percontari. SA. A terra ad coelum quidlubet.
D. Iubedum ea huc accedat ad me. SA. I sane ac morem illi gere. —
Percontare, exquire, quidvis. — Age, age nunc tu. — Impera. —

590. V.: *Et quidem.* MSS. et vett. edd.: *Et qui.* Iunt. Ald.: *Atqui.* 594. Cod. Ambros.: — *dicas me impulsore aut inlice.* 595. Hic versus ex eodem cod. accessit. 597. V.: *abi t. a. ipse.* Cf. 600. etc. 603. Sic libri vett. V. secundum Grut.: *A. a. nunc tu, i prae: vide* etc.

Vide, ut ingrediare auspicato. V. Liquidum est auspicium. To. Tace;
Concede, sis: iam ego illam adducam. D. Age, ut rem esse in nostram putas. i. t.
To. Sequere me. — Adduco hanc, si quid vis ex hac percontarier. t. t. c.
Do. Enim volo te adesso. To. Haud possum, quin huic operam dem hospiti,
Quoi herus iussit. Quid, si hic non volt me adesse una? Sa. Imo i modo.
To. Do ego tibi operam. D. Tibi ibidem das, ubi tu tuom amicum adiuvas.
To. Exquire. — Heus tu, advigila. V. Satis est dictum. Quamquam ego serva sum:
Scio ego officium meum: ut, quae rogitet, vera, ut accepi, eloquar.
To. Virgo, probus est hic homo. V. Credo. To. Non diu apud hunc servies.
V. Ita pol spero, si parentes facient officium suom.
D. Nolo ego te mirari, si nos ex te percontabimur
Aut patriam tuam, aut parentes. V. Cur ego id mirer, mi homo?
Servitus mea mi interdixit, ne quid mirer meum malum.
To. Divi istam perdant! ita cata est et callida i. s.
Habet cor. Quam dicit, quod opust! D. Quod nomen tibi est?
To. Nunc metuo ne peccet. V. Lucridi nomen in patria fuit. t. t. c.
To. Nomen atque omen quantivis est preti. Quin tu hanc emis? —
Nimis pavebam ne peccaret. Expedivit. D. Si te emam:
Mihi quoque Lucridem confido fore te. To. Tu si hanc emeris:
Nunquam hercle hunc mensem vortentem, credo, servibit tibi.
D. Ita velim quidem hercle. To. Optata ut evenant, operam addito. —
Nihil adhuc peccavit etiam. D. Ubi tu nata es? V. Ut mihi
Mater dixit, in culina, in angulo ad laevam manum.
To. Haec erit tibi fausta meretrix: nata est in calido loco,
Ubi rerum omnium bonarum copia est sapidissuma. —

617. V. *Dii.* Pal.: *di.* 618. V. *Quid.* 624. V.: *eveniant.* 628. *sapid.* Ita Taubm. V.: *saepissume.*

Tactust leno, qui rogarat, ubi nata esset, diceret.
Lepide lusit. D. At ego patriam te rogo quae sit tua.
V. Quae mihi sit, nisi haec, ubi nunc sum? D. At ego illam quaero, quae fuit.
V. Omne ego pro nihilo esse ducto, quod fuit: quando fuit.
Tamquam hominem, quando animam ecflavit, quid eum quaeras, qui fuit?
To. Ita me di bene ament, sapienter! atque equidem miseret tamen.
D. Sed tamen, virgo, quae patria est tua? age, mi actutum expedi.
Quid taces? V. Dico equidem. Quando hic servio: haec patria est mea.
To. Iam de istoc rogare omitte. Non vides, nolle eloqui,
Ne se suarum miseriarum in memoriam inducas? D. Quid est?
Captusne est pater? V. Non captus; sed, quod habuit, perdidit.
To. Haec erit bono genere nata: nil scit, nisi verum, loqui.
D. Quis fuit? dic nomen. V. Quid illunc miserum memorem, qui fuit?
Nunc et illunc Miserum et me Miseram aequom est nominarier.
D. Quoiusmodi is est in populo habitus? V. Nemo quisquam acceptior:
Servi liberique amabant. To. Hominem miserum praedicas.
Quom ipsus perditus probe est et benevolentis perdidit.
D. Emam, opinor. To. Etiam „Opinor?" D. Summo genere esse arbitror.
To. Divitias tu ex istac facies. D. Ita di faxint! To. Eme modo.
V. Iam hoc tibi dico: actutum ecastor meus pater, ubi me sciet
Hic venisse, huc aderit et me abs te redimet.... To. Quid nunc? D. Quid est?
To. Audin', quid ait? V. Nam etsi res sunt fractae, amici sunt tamen.
D. Ne, sis, plora: libera eris actutum, si crebro cades.
Vin' mea esse? V. Dum quidem ne nimis diu tua sim, volo.
To. Satin' ut meminit libertatis? Dabit haec tibi grandis bolos.

633. MSS.: *an. et flavit.* V.: *efflavit.* 636. V.: *D. e. patriam. quandoquidem hic* etc. 639. V.: *id perd.* 645. V.: *prope.* 648. V.: *iam act.* 649. V.: *Ven. huc, ad. hic, et me absentem red.*

Age, si quid agis! Ego ad hunc redeo. — Sequere. — Reduco hanc tibi,
D. Adulescens, vin' vendere istanc? Sa. Mage lubet, quam perdere.
D. Tum tu pauca in verba confer: qui datur, tanti indica.
Sa. Faciam ita, ut te velle video. Habe tibi centum minis.
D. Nimium est. Sa. Octoginta. D. Nimium est. Sa. Numus abesse hinc non potest,
Quod nunc dicam. D. Quid id est ergo? eloquere actutum atque indica.
Sa. Tuo periclo sexaginta haec datur argenti minis.
D. Toxile, quid ago? To. Di deaeque te agitant irati, scelus,
Qui hanc non properes destinare! D. Habebo. To. Eu, praedatus probe!
[Abi, argentum effer huc.] i. d. br.
Non edepol minis trecentis cara est. Fecisti lucri.
Sa. Heus tu, etiam pro vestimentis huc decem accedent minae.
D. Abscedent enim, non accedent. To. Tace, sis: non tu illunc vides
Quaerere ansam, infectum ut faciat? Abin' atque argentum petis?
D. Heus tu, serva istunc! To. Quin tu intro is? D. Abeo atque argentum adfero.
To. Edepol dedisti, virgo, operam adlaudabilem, i. s.
Probam et sapientem et sobriam. V. Si quid bonis
Boni fit, esse idem et grave et gratum solet.
To. Audin' tu, Persa, ubi argentum hoc acceperis,
Simulato, quasi eas prorsum in navem. Sa. Ne doce.
To. Per angiportum rursum te ad me recipito
Illac per hortum. Sa. Quod futurum est, praedicas.
To. At, ne cum argento protinam permutes domum,
Moneo te. Sa. Quod te dignum est, me dignum esse vis?
To. Tace; parce voci: praeda progreditur foras.
D. Probae hic argenti sunt sexaginta minae,
Duobus numis minus. Sa. Quid ei numi sciunt?
D. Crumenam hanc emere, aut facere uti remigret domum.
Sa. Ne non sat esses leno, id metuebas, miser,
Inpure, avare, ne crumenam amitteres?
To. Sine, quaeso: quando leno est, nil mirum facit.
D. Lucro faciundo ego auspicavi in hunc diem:

657. V.: — *video, ut emas, habe t. c. m.* 666. V.: *Abisne.*
679. V.: *minus est.*

Nil mihi tam parvi est, quin me id pigeat perdere.
Age, accipe hoc, sis. Sa. Hunc in collum, nisi piget,
Inpone. D. Vero fiat. Sa. Numquid ceterum
Me voltis? To. Quid tam properas? Sa. Ita negotium est:
Mandatae quae sunt, volo deferre epistolas;
Geminum autem fratrem servire audivi hic meum:
Eum ego ut requiram atque uti redimam, volo.
To. Atque edepol tu me conmonuisti haud male:
Videor vidisse hic forma persimilem tui,
Eadem statura. Sa. Quippe qui frater siet.
D. Sed scire velimus, quod tibi nomen siet.
To. Quid attinet, nos scire? Sa. Ausculta ergo, ut scias:
Vaniloquidorus Virginisvendonides,
Nugipalamloquides Argentiexterebronides,
Tedigniloquides, Numdesexpalponides,
Quodsemelarripides, Nunquameripides p o s t e a.
D. Heu hercle nomen multimodum scriptu est tuom.
Sa. Ita sunt Persarum mores: longa nomina
Contortiplicata habemus. Numquid ceterum
Voltis? D. Vale. Sa. Et vos: nam animus in navi est meus.
D. Cras ires potius, hodie hic coenares. Vale.
To. Postquam illic abiit: dicere hic quidvis licet.
Nae, hic tibi dies inluxit lucrificabilis:
Nam non emisti hanc, verum fecisti lucri.
D. Ille quidem iam scit, quid negoti gesserit.
Qui mihi furtivam meo periclo vendidit,
Argentum accepit, abiit; qui ego nunc scio,
An iam adseratur haec manu? quo illum sequar?
In Persas? Nugas. To. Credidi gratum fore
Beneficium meum apud te. D. Imo equidem gratiam
Tibi, Toxile, habeo: nam te sensi sedulo
Mihi dare bonam operam. To. Tibin' ego? — Numo servii.
D. Attat! oblitus sum intus dudum edicere,
Quae volui edicta. Adserva hanc. To. Salva est haec quidem.
V. Pater nunc cessat. To. Quid, si admoneam. V. Tempus est.

SATURIO. TOXILUS. VIRGO.

To. Heus, Saturio, exi! nunc est illa occcasio i. s. IV, 4.

692. Fort.: commonivisti. 698. V. *Nugipolyloqu.* Pal.: *nugi pilo quides.* 699. *Numd.* Sic idem cod. et edd. vett. V.: *Nummorumexp.* 700. Iidem libri: *Nunquam eripi.* V.: *Nunquamposteaeripides.* 701. V.: *H. h. n. multis modis scriptum est tuum.* 716. Libri vett.: *immo serui.* V.: To. *tibin' ego? imo servii.*

Inimicum ulcisci. Sat. Ecce me! numquid moror?
To. Age, illuc abscede procul e conspectu et tace.
Ubi cum lenone me videbis conloqui:
Tum turbam facito. Sat. Dictum sapienti sat est.

DORDALUS. TOXILUS.

D. Transcidi loris omnis adveniens domi, i. s. IV, 5.
Ita mihi supellex squalet atque aedes meae.
To. Redis tu tandem? D. Redeo. To. Nae ego hodie bonam
Tibi vitam feci. D. Fateor: habeo gratiam.
To. Num quidpiam aliud me vis? D. Ut bene sit tibi.
To. Pol istuc quidem omne iam ego usurpabo domi:
Nam iam inclinabo me cum liberta tua.
Tu, quando abiero..... D. Quin taces? Scio, quid velis.

SATURIO. DORDALUS. VIRGO.

Sat. Nisi ego illunc hominem perdo: perii! Atque optume i. s. IV, 6.
Eccum ipsum ante aedis! V. Salve multum, mi pater.
Sat. Salve, mea gnata. D. Hei, Persa me pessumdedit!
V. Pater hic meus est. D. Hem, quid? pater? Perii oppido!
Quid ego igitur cesso infelix lamentarier
Minas sexaginta? Sat. Ego pol te faciam, scelus,
Te quoque etiam ipsum ut lamenteris. D. Occidi!
Sat. Age, ambula in ius, leno. D. Quid me in ius vocas?
Sat. Illi apud praetorem dicam. D. Sed ego.... Sat. In ius voco.
D. Nonne antestaris? Sat. Tuan' ego causa, carnufex,
Quoiquam mortali libero auris atteram,
Qui hic conmercaris civis homines liberos?
D. Sine dicam. Sat. Nolo. D. Audi. Sat. Surdus sum. Ambula!
Sequere hac, scelesta feles virginaria!
Sequere hac, mea nata, me usque ad praetorem. V. Sequor.

722. Sic Acid. V.: — *consp.* Sat. *tace.* To. *Ubi* etc. 728. Sic vet. cod. Cam. V.: *habere.* 732. Versus erutus e codice Ambros., nisi quod ibi legitur: *Tunc, quando* etc. 741. *Sed ego.* V. haec Saturioni tribuuntur.

TOXILUS. SAGARISTIO. LEMNISELENE.

To. Hostibus victis, civibus salvis, re placida, pacibus perfectis, t. t. V, 1.
Bello extincto, re bene gesta, integro exercitu et praesidiis,
Cum bene, Iupiter, iuvisti, dique alii omnes coelipotentes,
Ea vobis gratis habeo atque ago: quia probe sum ultus meum inimicum.
Nunc ob eam rem inter participes dividam praedam et participabo.
Ite foras: hic volo ante ostium et ianuam c. t.
Meos participes bene accipere. c. tr. c.
Statuite hic lectulos! ponite hic, quae adsolent! c. t.
Hic statui volo primum aquolam mihi; inde ego omnis hilaros, lubentis, t. t.
Laetificantis faciam ut fiant, quorum opera haec mihi facilia factu
Facta sunt, quae volui ecfieri: nam improbus est homo, qui beneficium
Sumere scit et reddere nescit. Le. Toxile mi, ego cur sine te sum?
Cur tu autem sine me es? To. Agedum ergo, accede ad me et amplecteris.
Le. Ego vero. Oh, nihil hoc mage dulce est! t. d.
Sed amabo, oculus meus, quin lectis nos actutum conmendamus? t. t.
To. Omnia, quae tu vis, ea cupio. Le. Mutua fiunt a me. To. Age, age ergo
Tu, Sagaristio, accumbe in summo. Sa. Ego nil? Cedo parem, quem pepigi!
To. Temperi. Sa. Mi istuc temperi sero est. To. Hoc age: adcumbe! hunc diem suavem
Meum natalem agitemus amoenum! Date aquam manibus! ponite mensam!
Do hanc tibi florentem florenti: tu hic eris dictatrix nobis.
Age, puere, a summo septenis cyathis hos committe ludos!

750. V.: *C. b. nos, Iuppiter, iuv.* 756. Sic Acidal. V.: *unde ego.* 758. Fort.: *ecficere.* 759. *Sumere.* Vet. cod. Camerar.: *accipere.* 760. Sic libri vett. V.: *accede, mea, ad me.* V. quoque: *atque amplectere sis.* Nos, ut vet. cod. Cam. Amplectari e Prisciano probat Meurs. Exercc. crit. I. p. 261. 761. Sic Pal. Vulgo *hoc* non legitur. 763. V. ter ponitur *age.* 764. Sic Pal. et vett. edd. V.: *Ego nihil moror: cedo* etc. Fortasse *quam* scribendum est cum Acidalio. V. quoque: *pepegi.* 766. V.: *apponite.*

Move manus propere! tarde cyathos, Paegnium, mihi das. Cedo sane!
Bene mihi! bene vobis! bene amicae meae! bene omnibus nobis!
Hic optatus dies datus mi hodie est ab dis, quia te licet amplecti
Liberam me. Le. Tua factum opera. t. d.
Hoc mea manus poclum donat tuae, ut amantem decet amanti. t. t.
Accipe! To. Cedo! Bene ei, qui mi invidet, et ei, qui hoc gaudio gaudet!

DORDALUS. SAGARISTIO. LEMNISELENE. PAEGNIUM.

D. Qui sunt, qui erunt, quique fuerunt, quique sunt futuri posthac, t. t. V, 2.
Solus ego omnibus facile antideo, miserrumus hominum ut vivam.
Perii, interii! pessumus hic mihi dies hodie inluxit: conruptor
Ita me Toxilus perfabricavit, itaque meam rem divexavit.
Vehiclum argenti miser eieci, neque, quamobrem eieci, habeo. as. t. d. i. d. e.
Qui illum Persam atque omnis Persas atque etiam omnis personas
Male di omnes perdant: ita miser haec mihi Toxilus concivit.
Quia fidem ei non habui argenti; eo mi eas machinas molitust. t. t.
Quem pol ego ut non in cruciatum ac conpedis cogam, si vivam,
Siquidem huc unquam herus redierit, quod spero, eius.... Sed quid ego adspicio?
Hoc vide! quae haec fabula est? Pol hic quidem potant. Adgrediar.
O bone vir, salveto, et tu, bona liberta. as. 2 t. d. br.
To. Dordalus hic quidem est. Sa. Quin iube adire. t. d.

769. V.: *propera.* 770. *bene omnibus nobis.* Haec vulgo post 772. inculcata leguntur. 774. V.: — *decet.* To. *cedo.* Le. *accipe.* To. *bene* etc. Verbum *gaudio* non habetur in MSS. 779. V.: *mis. eieci, amisi, neque* etc. Glossema *ἄμετρον* exulare iussit Acidal. Divv. pag. 427. 781. *miser,* malus, ut Cas. 323. 783. V.: *atque in comp.*

To. Adi, si lubet. — Agite, adplaudamus. Dordale, homo lepidissume, salve. t. t.
Locus hic tuos est: huc adcumbe. — t. d.
Ferte aquam pedibus! praeben' tu, puere? as. 2. i. h.
D. Ne, sis, me uno digito attigeris: ne te ad terram, scelus, adfligam. t. t.
P. At tibi hoc ego continuo cyatho oculum excutiam tuom! t. t. c.
D. Quid ais, crux, stimulorum tritor? quomodo me hodie vorsavisti? t. t.
Ut me in tricas coniecisti? quomodo de Persa manus mi adita est?
To. Iurgium hinc auferas, si sapias. as. t. i. h.
D. At, bona liberta, haec scivisti et me celavisti. as. t. d. i. h.
Le. Stultitia est, quoi bene licet esse, eum praevorti litibus. t. t. c.
Posterius istaec te magis par agere est. as. 2 i. h.
D. Uritur cor mihi! To. Da illi cantharum; as. c. d. t. h.
Extinque ignem, si uritur cor: caput ne ardescat. as. t. d. i. h.
D. Ludos me facitis, intellego. c. tr.
To. Vin' cinaedum novom tibi dari, Paegnium,
Quin elude, ut soles: quando liber locust! —
Hui!
Babae, basilice te intulisti et facete! b. t.
P. Decet me facetum esse, et hunc inridere
Lenonem lubido est, quom dignus est. as. b. d. i.
To. Perge, ut coeperas. P. Hoc, leno, tibi!
D. Perii, perculit me prope! P. Hem, serva rursum! b. t.
D. Delude, ut lubet, herus dum hinc abest! t. d. h.
P. Viden', ut tuis dictis pareo? D. I! P. Sed as. 2 i. h.
Quin tu meis contra item dictis servis,
Atque hoc, quod tibi suadeo, facis? as. 2 t. h.
D. Quid est id? P. Restim tu tibi cape crassam, ac suspende te! i. t.
D. Cave, sis, me attigas, ne tibi hoc scipione malum dem magnum! as. t. d. i. d. c.
P. Utere: te condono. To. Iamiam, Paegnium, da pausam. t. t. br.
D. Ego pol vos eradicabo. P. At te ille, qui supra nos habitat, t. t.
Qui tibi male volt maleque faciet. Non hi dicunt; verum ego. t. t. c.

803. V.: *locust hic;* sed versus creticus tetram. nusquam, quod sciam, est ὑπέρμετρος. 814. Sic Pal. V.: *attingas.*

To. Age, circumfer mulsum bibered usque plenis cantharis!
Iamdiu factum est, postquam bibimus; nimis diu sicci sumus.
D. Di faciant, ut id bibatis, quod vos nunquam transeat!
P. Nequeo, leno, quin tibi saltem staticulum, olim quem Hegea
Faciebat. Vide vero, si tibi satis placet. Sa. Me quoque volo
Reddere, Diodorus quem olim faciebat in Ionia.
D. Malum ego vobis dabo, nisi abitis! Sa. Etiam muttis, inpudens?
Iam ego tibi, si me inritassis, Persam adducam denuo.
D. Iam taceo hercle. At tu Persa es, qui me usque admutilavisti ad cutem! i. t.
To. Tace, stulte: hic eius geminust frater. D. Hiccine? To. Ac geminissumus.
D. Di deaeque et te et geminum fratrem excrucient! Sa. Qui te perdidit: t. t. c.
Nam ego nil merui. D. At enim, quod ille meruit, tibi id obsit volo.
To. Age, sultis, ludificemus hunc, nisi non est dignus. Sa. Nunc opust. i. t.
Le. At me haud par est. To. Credo eo, quia non inconciliavit, quom te emo. as. t. d. i. d.
Le. At tamen.... To. Non „At tamen!" Cave, sis, malo ergo et sequere me. t. t. c.
Te mihi dicto audientem esse addecet: nam hercle absque me
Foret et meo praesidio, hic faceret te prostibilem propediem.
Sed ita pars libertinorum est, nisi patrono qui advorsatust, t. t.
Nec satis liber sibi videtur nec satis frugi nec sat honestus,
Ni ei obfecit, ni male dixit, ni grato ingrato repertust.
Le. Pol benefacta tua me hortantur, tuo ut imperio paream. i. t. c.
To. Ego sum tibi patronus plane, qui huic pro te argentum dedi:
Κολάφιζ' hunc. Volo ludificari. Le. Ego meo in loco curabo t. t.
Sedulo. D. Certo homines illi nescio quid mihi mali t. t. c.

818. Pal.: *biberet*, ut depravari solet d illud ἐφελκυστικόν. Iunt. Ald.: *bibite*. Vulgo, incerta fide: *bibere da u. p. c. Bibere*, ad bibendum. 821. V.: *stat. dem, olim* etc. Non sic libri vett. 826. *At*. V.: *Atque*. 827. V.: *Hiccine'st*. 830. V.: *Agite* — Sa. *Non opust*. Illud versus respuit, hoc ipsa sententia. 832. V.: *Non tamen: cave* etc. 836. *nec sat hon*. Sic Pal. et vett. edd. V.: *n. satis hon*. 837. V.: *Ni id efficit, ni ei male d*. Non uni placuit *officit*, sed *offecit* metro convenit. 840. Pal. post lacunam: *Hic est hunc volo lud*. V.: *Pro hisce hunc v. l.*

Consulunt, quod faciant. Sa. Heus vos! To. Quid ais? Sa. Hiccine Dordalus leno t.t.
Est, qui hic liberas mercatur virgines? hicne est, qui fuit t.t.c.
Quondam fortis? D. Quae haec rest? Heu, κολαφίζει! Malum vobis dabo. To. At
Tibi nos dedimus dabimusque etiam. D. Natis pervellit, heu! P. Licet. as. t. d. i. d.
Iamdiu saepe sunt expunctae. D. Loquere tu etiam, frustum pueri? t. t.
Le. Patrone, i intro, amabo, ad coenam. D. Ignaviam num meam tu inrides?
Le. Quiane te voco, bene tibi ut sit? D. Nolo mihi bene esse. Le. Ne sit.
To. Quid igitur? sexcenti numi quid agunt? quas turbas danunt? t. t. c.
D. Male disperii! sciunt referre probe inimico gratiam.
To. Satis sumsimus iam supplici? D. Fateor; manus do vobis. i. t. c.
To. Est post dabis sub furcis. Intro abi. Sa. In crucem! D. An parum hic facetum t. t.
Hice habent me? To. Convenisse Toxilum te memineris. t.t.c.
Spectatores, bene valete. Leno periit: plaudite.

843. Sic Pal., nisi quod habet *hiccinest*, ut vulgati libri, a quibus abest verbum *mercatur*. 844. Graeca vox agnita est a Taubmanno in vulgatis his: *colaphum icit*. 847. V.: — *coenam*. Do. *mea ignavia tu nunc me irrides?* 852. *facetum*. Pal.: *feci tum*. Vett. edd.: *feci*. Vulgo: *exercitum*. 853. Libri consueto errore: *Hisce*.

POENULUS.

ARGUMENTUM.

Puer septuennis surpitur Carthagine. i, s.
Osor mulierum adoptat hunc emtum senex
Et facit heredem. Eius cognatae duae
Nutrixque earum raptae. Mercatur Lycus
Vexatque amantem. At ille cum auro villicum
Lenoni obtrudit; inde eum furto adligat.
Venit Hanno Poenus, gnatum hunc fratris reperit
Suasque agnoscit, quas perdiderat, filias.

V. 1. Vulgo: *surripitur*, quod metro minus convenit. Cf. prol. 66, Parei lexic. Plaut. vv. *Surptus* et *Surpuit*, Lucret. 2, 314, Horat. Od. 4, 13, 20, Sat. 2, 3, 283 etc. 3. V. post *Eius* legitur *pueri*, quod non habent MSS. et vett. edd. 6. Ita Iunt. Ald. V.: *L. o.: ita eum f. a.*

DRAMATIS PERSONAE.

AGORASTOCLES.
MILPHIO.
ADELPHASIUM.
ANTERASTYLIS.
LYCUS.
ANTHEMONIDES.
ADVOCATI.
COLLYBISCUS.
SYNCERASTUS.
HANNO.
GIDDENEME.
PUER.
ANCILLA.

PROLOGUS.

Achilem Aristarchi mihi commentari lubet; i. s.
Inde mihi principium capiam ex ea tragoedia.
Sileteque et tacete atque animum advortite:
Audire iubet vos imperator histricus,
Bonoque ut animo sedeant in subselliis
Et qui esurientes et qui saturi venerint.
Qui edistis, multo fecistis sapientius;
Qui non edistis, saturi fite fabulis.
Nam quoi paratum est, quod edit, nostra gratia
Nimia est stultitia sessum inpransum incedere.
Exsurge, praeco: fac populo audientiam.
Iamdudum exspecto, si tuom officium scias.
Exerce vocem, quam per vivisque et colis!
Nam nisi clamabis: tacitum te obrepet fames.
Age, nunc reside: duplicem ut mercedem feras.
Bonum factum est, edicta ut servetis mea.
Scortum exoletum ne quis in proscenio
Sedeat, neu lictor verbum aut virgae muttiant,
Neu dissignator praeter os obambulet,
Neu sessum ducat, dum histrio in scena siet.
Diu qui domi otiosi dormierunt, decet
Animo aequo nunc stent vel dormire temperent.
Servi ne obsideant, liberis ut sit locus,
Vel aes pro capite dent; si id facere non queunt:
Domum abeant, vitent ancipiti infortunio:
Ne et hic varientur virgis et loris domi,
Si minus curassint, cum heri reveniant domum.
Nutrices pueros infantis minutulos
Domi ut procurent neu quae spectatum adferant:

V. 13. Ita MSS. et Iunt. Vulgo: *vivis.* 17. Pal.: *S. e. neque in pr.*, quasi scribere librarius voluisset *ne quae*, vel *ne qua.* 27. V. pravis numeris: *cum veniant heri d.* MSS. et vett. edd.: *cum heri ven. d.* Syllaba *re-* rapta procul dubio a praecedente. Producendum autem *re-* hoc loco, sicut passim.

Ne et ipsae sitiant et pueri pereant fame,
Neve esurientes hic, quasi hoedi, obvagiant.
Matronae tacitae spectent, tacitae rideant;
Canora hic voce sua tinnire temperent;
Domum sermones fabulandi conferant:
Ne et hic viris sint et domi molestiae.
Quodque ad ludorum curatores attinet,
Ne palma detur quoiquam artifici iniuria,
Neve ambitionis causa extrudantur foras,
Quo deteriores anteponantur bonis.
Et hoc quoque etiam, quod pene oblitus fui:
Dum ludi fiunt, in popinam, pedisequi,
Inruptionem facite! nunc, dum occasio est,
Nunc, scribilitae dum aestuant, accurrite.
Haec imperata quae sunt pro imperio histrico,
Bonum hercle factum pro se quisque ut meminerit.
   Ad argumentum nunc vicissatim volo
Remigrare: ut aeque mecum sitis gnarures.
Eius nunc regiones, limites, confinia
Determinabo: ei re ego finitor factus sum.
Sed, nisi molestum est, nomen dare vobis volo
Comoediai; sin odio est: dicam tamen,
Si quidem licebit per eos, quibus est in manu.
Carchedonius vocatur haec comoedia;
Latine Plautus: Patruos pultiphagonides.
Nomen iam habetis; nunc rationes ceteras
Accipite: nam argumentum hoc hic censebitur.
Locus argumento est suom sibi proscenium;
Vos iuratores estis: quaeso, operam date.
Carthaginienses fratres patrueles duo
Fuere summo genere et summis divitiis.
Eorum alter vivit, alter est ecmortuos.
Propterea apud vos dico confidentius,
Quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.
Sed illi seni, qui mortuos est, ei filius
Unicus qui fuerat, abditivos a patre,
Puer septuennis surpitur Carthagine
Sexennio prius quidem, quam moritur pater.
Quoniam perisse sibi videt gnatum unicum:

43. V. *occurrite*. Correxit Acid. Divinatt. Plaut. p. 370. 47. Libri inepte et *ἀμέτρως*: *ignarures*. Cf. Most. 95 sequ. etc. 49. Libri invecto scazonte: — *ei rei ego sum* (hoc omissum in vet. cod. Camerar.) *factus finitor*. Emendavit Muret. Varr. Lect. 17, 15. 52. V.: *per illos*. 64. V. abest *ei*. Hianti versui succurrit Acid. 66. V. *surripitur*. Cf. argum. 1. 68. Ita Pal. V.: *periisse*.

Coniicitur ipse in morbum ex aegritudine;
Facit illum heredem fratrem patruelem suom;
Ipse abiit ad Acheruntem sine viatico.
Ille, qui subripuit puerum, Calydonem avehit;
Vendit eum domino hic diviti quoidam seni,
Cupienti liberorum, osori mulierum.
Emit hospitalem is filium inprudens senex
Puerum illum, eumque adoptat sibi pro filio,
Eumque heredem fecit, quom ipse obiit diem.
Is illi adulescens habet in illisce aedibus.
Revortor rursus denuo Carthaginem.
Si quid mandare voltis aut curarier:
Argentum nisi qui dederit, nugas egerit;
Verum qui dederit, mage maiores egerit.
Sed illi patruo huius, qui vivit senex,
Carthaginiensi duae fuere filiae.
Altera quinquennis, altera quadrimula,
Cum nutrice una periere. A Magaribus
Eas qui subripuit, in Anactorium devehit
Venditque has omnis, et nutricem et virgines,
Praesenti argento homini (si leno est homo),
Quantum hominum terra sustinet, sacerrumo,
Vosmet nunc facite coniecturam ceterum,
Quid id sit hominis, quoi Lyco nomen siet.
Is ex Anactorio, ubi prius habitaverat,
Huc in Calydonem conmigravit haud diu
Sui quaesti causa. Is in illis habitat aedibus.
Earum hic adulescens alteram ecflictim perit
Suam sibi cognatam, inprudens, neque scit, quae siet,
Neque eam unquam tetigit (ita eum leno macerat),
Neque quidquam cum ea fecit etiamnum stupri,
Neque duxit unquam, neque ille voluit mittere:
Quia amare cernit, tangere hominem volt bolo.
Illanc minorem in concubinatum sibi
Volt emere miles quidam; qui illam deperit.
Sed pater illarum Poenus, postquam perdidit,
Marique terraque usquequaque quaeritat.
Ubi quamque in urbem est ingressus: eloco
Omnis meretrices, ubi quisque habitant, invenit;
Dat aurum, ducit noctem; rogitat postibi.
Unde sit, quoiatis, captane an subrepta sit,
Quo genere gnata, qui parentes fuverint,

78. Libri numeris durissimis: *Is illic ad. habitat in ill. aed.*
97. V. *scit, quae ea sit.* *Ea* non legitur in MSS. et vett. edd.
110. V. *fuerint.*

Ita docte atque astu filias quaerit suas.
Et is omnis linguas scit; sed dissimulat sciens
Se scire: Poenus plane est; quid verbis opust?
Is heri huc in portum navi venit vespere.
Pater harunc idem huic patruos adulescentulo est.
Iamne hoc tenetis? Si tenetis: ducite.
Cave dirumpatis: quaeso, sinite transigi.
Is hodie huc veniet reperietque hic filias
Et hunc sui fratris filium, ut didici quidem.
Ehem, pene oblitus sum reliqüom dicere!
Ille, qui adoptavit hunc sibi pro filio,
Is illi Poeno huiusce patri hospes fuit.
Ego ibo: ornabor; vos aequo animo noscite.
Hic, qui hodie veniet, reperiet suas filias
Et hunc sui fratris filium. Dehinc ceterum
Valete! adeste! Ibo: alius nunc fieri volo.
Quod restat, restant alii qui faciant palam.
Valete atque adiuvate: ut vos servet Salus.

AGORASTOCLES. MILPHIO.

Ag. Saepe ego res multas tibi mandavi, Milphio, i. s. I, 1.
Dubias, egenas, inopiosas consili,
Quas tu sapienter docte et cordate et cate
Mihi reddidisti opiparas opera tua;
Quibus pro benefactis fateor deberi tibi
Et libertatem et multas gratas gratias.
Mi. Scitum est, per tempus si obviam est, verbum vetus:
Nam tuae blanditiae mihi sunt, quod dici solet,
Gerrae germanae atque edepol ἄλροι λύραι.
Nunc mihi blandidicus es; heri in tergo meo
Tris facile corios contrivisti bubulos.
Ag. At amans per amorem si quid feci, Milphio:
Ignoscere id te mi aequom est. Mi. Haud vidi magis.
Et nunc ego amore pereo: sine te verberem,
Item ut tu mihi fecisti, ob nullam noxiam;
Post id locorum tu mihi amanti ignoscito.

118, 119. Vulgo inculcantur post 122. 119. V.: *ut quidem did. ego. Ego ibo* etc.

6. Ita Iunt. Ald. Vulgo: *grates gratias.* 7. *est.* V.: *it.* Sequor vett. edd., a quibus non multum abludit Pal., qui sic: *Scit. si p. t. si o. si v. v.* Cf. 448. 9. V.: G. g. a. e. *liroe liroe.* Pal.: *G. g. he de col lirae lire* Vett. edd.: *G. germ. ed. lirae lirae.* Iunt.: λῆροι λύρων. Ald.: λῆροι λήρων.

Ag. Si tibi lubido est aut voluptati: sino.
Suspende, vinci, verbera! Auctor sum; sino.
Mi. Si auctoritatem postea defugeris:
Ubi dissolutus tu sies, ego pendeam.
Ag. Egone istuc ausim facere, praesertim tibi?
Quin si feriri video te: extemplo dolet.
Mi. Mihi quidem hercle. Ag. Imo mihi. Mi. Istuc mavelim.
Sed quid nunc tibi vis? Ag. Cur ego apud te mentiar?
Amo inmodeste. Mi. Meae istuc scapulae sentiunt.
Ag. At ego hanc vicinam dico, Adelphasium, meam,
Lenonis huius meretricem maiusculam.
Mi. Iampridem equidem istuc ex te audivi. Ag. Differor
Cupidine eius. Sed lenone istoc Lyco,
Illius domino, non lutum est lutulentius.
Mi. Vin' tu illi nequam dare nunc? Ao. Cupio. Mi. En, me dato.
Ao. Abi dierectus! Mi. Dic mihi vero serio:
Vin' dare malum illi? Ao. Cupio. Mi. Hem, eundem me dato:
Utrumque faxo habebit, et nequam et malum.
Ag. Iocare. Mi. Vin' tu illam hodie sine damno tuo
Tuam libertam facere? Ao. Cupio, Milphio.
Mi. Ego faciam ut facias. Sunt tibi intus aurei
Trecenti numi Philippei? Ag. Sexcenti quoque.
Mi. Satis sunt trecenti. Ao. Quid iis facturus? Mi. Tace.
Totum lenonem tibi cum tota familia
Dabo hodie dono. Ag. Quid facturus? Mi. Iam scies.
Tuos Collybiscus nunc in urbe est villicus.
Eum hic non novit leno. Satin' intellegis?
Ag. Intellego hercle; sed, quo evadas, nescio.
Mi. Non scis? Ag. Non hercule. Mi. At ego iam faxo scies.
Ei dabitur aurum, ut ad lenonem deferat
Dicatque: se peregrinum esse ex alio oppido;
Amare velle atque obsequi se animo suo:
Locum sibi velle liberum praeberier,
Ubi nequam faciat clam, ne quis sit arbiter.
Leno ad se accipiet, auri cupidus, eloco:
Celabit hominem et aurum. Ag. Consilium placet.
Mi. Rogato, servos veneritne ad eum tuos.
Ille me censebit quaeri: continuo tibi

19. MSS. *postera.* 32. Pal.: *dic nunc v. s.* 35. Libri immisso glossemate, quod versus respuit: — *sine d. et dispendio Tuo tuam* etc.

Negabit. Quid tum dubitas, quin extemplo
Dupli tibi, auri et hominis, fur leno siet?
Neque, id unde efficiat, habet: ubi in ius venerit:
Addicet praetor familiam totam tibi.
Ita decipiemus fovea lenonem Lycum.
Ag. Placet consilium. Mi. Imo etiam ubi expolivero
Magis: hoc tum demum dices; nunc etiam rude est.
Ag. Ego in aedem Veneris eo, nisi quid vis, Milphio.
Aphrodisia hodie sunt. Mi. Scio. Ag. Oculos volo
Meos delectare munditiis meretriciis.
Mi. Hoc primum agamus, quod consilium cepimus.
Abeamus intro: ut Collybiscum villicum
Hanc perdoceamus ut serat fallaciam.
Ag. Quamquam Cupido in corde vorsatur: tamen
Tibi auscultabo. Mi. Faciam, ut facto gaudeas. —
Inest amoris macula huic homini in pectore.
Sine damno magno quae elui ne utiquam potest;
Itaque hic scelestus est homo leno Lycus,
Quoi iam infortunii intenta ballista est probe,
Quam ego haud multo post mittam e ballistario.
Sed Adelphasium eccam exit et Anterastylis.
Haec est prior, quae meum herum dementem facit.
Sed evocabo. Heus, i foras, Agorastocles,
Si vis videre ludos iucundissumos!
Ag. Quid istuc tumulti est, Milphio? Mi. Hem amores tuos,
Si vis spectare. Ag. O multa tibi di dent bona,
Quom mi obtulisti tam lepidum hoc spectaculum!

ADELPHASIUM. ANTERASTYLIS. MILPHIO. AGORASTOCLES. ANCILLA.

Ad. Negoti sibi qui volet vim parare, b. t. I, 2.
Is navem et mulierem haec duo conparato:
Nam nullae magis res duae plus negoti
Habent, forte si occeperis exornare;
Neque unquam sat istae duae res ornantur,
Neque eis ulla ornandi satis satietas est.
Atque haec ut loquor, nunc modo docta dico:
Nam nos usque ab aurora ad hoc quod diei est

67. Libri *ferat*, ut Pseud. 766. Correxit Guil. Verisimil. 1, 6. 71. V. *neutiquam*. Vid. Bentl. ad Terent. Hec. 1, 2, 50. 75. Libri metro difficillimo, vel potius nullo: *atque Anterastylis*. 86. Libri *satis hae*, quod in versum non quadrare viderunt alii, et sane cuiusvis erat hoc videre.

Ex industria ambae concessamus nunquam
Lavari aut fricari aut tergeri aut ornari,
Poliri, expoliri, pingi, fingi; et una
Binae singulis quae datae ancillae nobis,
Eae nos lavando, eluendo, operam dederunt;
Adgerundaque aqua sunt viri duo defessi.
Apagesis, negoti quantum in muliere una est!
Sed vero duae, sat scio, maxumo uni
Poplo quoilubet plus satis dare potissunt,
Quae noctis diesque omni in aetate semper
Ornantur, lavantur, tergentur, poliuntur.
Postremo modus muliebris nullust, neque unquam
Lavando et fricando sumus saturae. b. tr.
Nam quae lauta est, nisi perculta est, meo quidem animo
quasi inlauta est. t. t.
An. Miror quidem, soror, te istaec sic fabulari, b. t.
Quae tam callida et docta sis et faceta:
Nam quom sedulo munditer nos habemus,
Vix aegreque amatorculos invenimus.
Ad. Ita est; verum hoc unum tamen cogitato:
Modus omnibus in rebus, soror, optumum habitu est;
Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex
se i. t. c.
An. Soror, cogita, amabo, item nos perhiberi, b. t.
Quasi salsa muriatica esse autumantur
Sine omni lepore et sine süavitate,
Nisi multa aqua usque et diu macerantur.
Olent, salsa sunt, tangere ut non velis. Nos
Item sumus eius seminis mulieres, insulsae ad-
modum atque invenustae sine munditia et sumtu.
Mi. Coqua est haec quidem, Agorastocles, ut ego opinor:
Scit, muriatica ut macerent. Ag. Quid molestus?
Ad. Soror, parce, amabo. Sat est, dicere alios
Istuc nobis, ne nosmet nostra etiam vitia
Loquamur. An. Quiesco ergo. Ad. Amo te. b. tr.
Sed hoc nunc responde mihi: sunt hic omnia, b. t.
Quae ad deum pacem oportet adesse. An. Omnia adcuravi.
Ag. Diem pulcrum et celebrem et venustatis plenum,
Dignum Veneri pol, quoi sunt Aphrodisia hodie!
Mi. Ecquid gratiae, quom huc foras te evocavi?

98. V. *Populo.* 102. V.: *L. et f. scimus facere. Sumus* debetur Meursio Exercitt. critt. part. 1. p. 198, *saturae* editionibus Iunt. et Ald. Cf. Pseud. 1316 etc. 103. *lauta.* V. *lauata.* Pal. *clauata.* 104. V. *equidem.* 116. Libri putide et *ἀμέτρως*: — *mul. sunt insulsae* etc.

Iam non me donari cado vini veteris
Decet? Dic dari! — Nil respondes? — b. tr.
Lingua huic excidit, ut ego opinor. — Quid hic, malum, adstans obstipuisti? t. t.
Ag. Sine amem! Ne obturba ac tace! t. d. c.
Mi. Taceo. Ag. Si tacuisses: iam istuc „Taceo" non natum foret. t. t. c.
An. Eamus, mea soror. Ad. Eho, amabo, quid illo nunc properas? An. Rogas?
Quia herus nos apud aedem Veneris mantat. Ad. Maneat pol. Mane:
Turba est nunc apud aram. An te ibi vis inter istas vorsarier
Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias,
Miseras, scoeno delibutas, servolicolas sordidas,
Quae tibi olant stabulum statumque sellam et sessibulum merum,
Quas adeo haud quisquam unquam liber tetigit neque duxit domum,
Servolorum sordidulorum scorta diobolaria?
Mi. I in malam crucem! tun' audes etiam servos spernere,
Propudium? Quasi bella sit, quasi eampse reges ductitent!
Hem monstrum mulieris! tantilla tanta verba funditat, i. t.
Quoius ego nebulai cyatho septem noctis non emam. t. t. c.
Ag. Di inmortales omnipotentes, quid est apud vos pulcrius?
Quid habetis, mage qui inmortalis vos credam esse, quam ego siem,
Qui haec tanta oculis bona concipio? nam Venus non est Venus;
Hanc equidem Venerem venerabor: me ut amet posthac propitia.
Heus, Milphio, ubi es? Mi. Assum apud te, eccum. Ag. At ego elixus sis volo. i. t.
Mi. Enimvero, here, facis delicias. Ag. De te quidem haec didici omnia. t. t. c.
Mi. Etiamne, ut ames eam, quam nunquam tetigeris? Nihil id quidem est.
Ag. Deos quoque edepol et amo et metuo, quis tamen abstineo manus.

132. Pal.: *gnatum.* 137. V.: *schoeno*, et defensum id eunt Turneb. et Scalig. Cam.: *coeno*, et pro eo Meursius *scoeno* accipit per Sabinismum. Cf. Truc. 815, fragm. Astrabae 7, 2. etc. 143. V. *En monstr.* Pal.: *Et monstr.* 151. V.: *Nih. illic q. est.* 152. V.: *quibus ego tamen.*

An. Ecastor, quom ornatum adspicio nostrum ambarum: poenitet.
Exornatae ut simus. Ad. Imo vero sane commode:
Nam pro herili et nostro quaestu satis bene ornatae sumus.
Non enim quaestus consistet, sumtus si im superat, soror:
Eo illud satius est, quod satis est, habitu, quam, quod plus sat est.
Ag. Ita me di ament, illa ut me amet, malim quam di, Milphio:
Nam illa mulier lapidem silicem subigere, ut se amet, potest.
Mi. Pol id quidem haud mentire: nam tu es lapide silice stultior, i. t.
Qui hanc ames. Ag. Ac vide, sis: cum illac nunquam limavi caput, t. t. c.
Mi. Curram igitur aliquo ad piscinam aut lacum: limum petam.
Ag. Quid eo opust? Mi. Ego dicam: ut illi et tibi limem caput.
Ag. I in malam rem! Mi. Ibi sum equidem. Ag. Pergis? Mi. Taceo. Ag. At perpetuo volo.
Mi. Enimvero, here, meo me lacessis ludo et delicias facis.
An. Satis nunc lepide ornatam credo, soror, te tibi viderier;
Sed ubi exempla conferentur meretricum aliarum: ibi tibi
Cordolium erit, si quam ornatam melius forte adspexeris.
Ad. Invidia in me nunquam innata est neque malitia, mea soror;
Bono med ingenio esse ornatam quam auro, multo mavolo. i. t.
Aurum fortuna invenitur, natura ingenium bonum: t. t. c.
Bonam ego, quam beatam, me esse nimio dici mavolo.
Meretricem pudorem gerere mage decet quam purpuram.
Magisque meretricem pudorem, quam aurum, gerere condecet:
Pulcrum ornatum turpes mores peius coeno conlinunt;
Lepidi mores turpem ornatum facile factis conprobant.
Ag. Eho tu, vin' tu facinus facere lepidum et festivom? Mi. Volo.
Ag. Potesne mihi auscultare? Mi. Possum. Ag. Abi domum ac suspende te. i. t.

153. V.: *Heu ecast.* Pal.: *euecastor.* 156. V.: *N. e. potest qu. consistere, si eum s. s., s.* MSS.: *N. e. pot. qu. non consistet, si* etc. 157. Incpte libri: *E. i. satiust satis, quod satis est, habitus plus quam sat est.* *Habitu* est a Douza fil. 161. V.: *At vid. s.* 171. Male libri: *A. in fort.*

Mi. Quamobrem? Ag. Quia iam nunquam audibis verba tot tam suavia. t. t. c.
Quid tibi opust vixisse? Ausculta mihi modo ac suspende te.
Mi. Si quidem tu es mecum futurus pro uva passa pensilis.
Ag. At ego amo hanc. Mi. At ego esse et bibere. Ad. Eho tu, quid ais? An. Quid rogas?
Ad. Viden' tu? pleni sordium oculi qui erant, iam splendent mihi? i. t.
An. Imo etiam in medio oculo paulum sordet. Ad. Cedo, sis, dexteram. t. t. c.
Ag. Ut tu quidem huius oculos inlutis manibus tractes aut teras? i. t.
An. Nimia nos socordia hodie tenuit. Ad. Qua de re, obsecro? t. t. c.
An. Quia iam non dudum ante lucem ad aedem Veneris venimus:
Primulum ut inferremus ignem in aram. Ad. Ah, non facto est opus:
Quae habent nocturna ora, noctu sacrificatum ire occupant;
Priusquam Venus expergiscatur, prius deproperant sedulo
Sacruficare: nam vigilante Venere si veniant eae:
Ita sunt turpes, credo ecastor, Venerem ipsam e fano fugent.
Ag. Milphio! Mi. Edepol Milphionem miserum! quid nunc vis tibi?
Ag. Obsecro hercle, ut mulsa loquitur! Mi. Nil nisi laterculos
Sesamum papaveremque triticum et frictas nuces.
Ag. Ecquid amare videor? Mi. Damnum, quod Mercurius minume amat.
Ag. Nam quidem edepol lucrum amare nullum amatorem addecet.
An. Eamus, mea germana. Ad. Age, sis, ut lubet. Sequere hac. An. Sequor. i. t.
Ag. Eunt hae. Quid, si adeamus? Mi. Adeas. Ag. Primum prima salva sis;
Et secunda tu secundo salve in pretio; tertia t. t. c.
Salve extra pretium. Anc. Tum pol ego et oleum et operam perdidi.
Ag. Quo te agis? Ad. Egone? In aedem Veneris. Ag. Quid eo? Ad. Ut Venerem propitiem.

185. Ita Pal. et vett. edd. V.: *ac teras.* 188. V.: *Primae ut inferr.* MSS.: *Prima cum inf.* 197. V. ἀμέτρως: *Namque ed.*

Ag. Eho, an irata est? Propitia hercle est. Vel ego pro illa spondeo.
Ad. Quid tu agis? quid mihi molestus, obsecro? Ag. Ah, tam saeviter?
Ad. Mitte, amabo! Ag. Quid festinas? Turba nunc illi est. Ad. Scio.
Sunt illi aliae, quas spectare ego et me spectari volo.
Ag. Qui lubet spectare turpis, pulcram spectandam dare?
Ad. Quia mercatus hodie apud aedem Veneris est meretricius;
Eo conveniunt mercatores: ibi ego me ostendi volo.
Ag. Invendibili merci oportet ultro emtorem adducere:
Proba merx facile emtorem reperit, tametsi in abstruso sita est.
Quid ais tu? quando illi mecum caput et corpus copulas?
Ad. Quo die Orcus ab Acherunte mortuos amiserit.
Ag. Sunt mihi intus nescio quot nummi aurei lymphatici.
Ad. Deferto ad me: faxo actutum constiterit lymphaticum.
Mi. Bellula hercle est! Ag. I dierecte in maxumam malam crucem!
Mi. Quam magis adspecto, tam magis est nimbata et nugae meiae.
Ag. Segrega sermonem: taedet. — Age, sustolle hoc amiculum.
Ad. Pura sum: conperce, amabo, me adtrectare, Agorastocles.
Ag. Quid agam nunc? Ad. Si sapias: curam hanc facere conpendi potes.
Ag. Quid? ego non te curem? — Quid ais, Milphio? Mi. Ecce odium meum! —
Quid me vis? Ag. Cur mi haec irata est? Mi. Cur haec irata est tibi?
Cur ego id curem nam? qui istaec mage mea est curatio?
Ag. Iam hercle tu peristi, ni illam mihi tam tranquillam facis,
Quam mare olim est, quom ibi alcedo pullos educit suos.
Mi. Quid faciam? Ag. Exora, blandire, expalpa! Mi. Faciam sedulo;
Sed vide, sis, ne tu oratorem hunc pugnis pectas postea.

212. V.: *Q. a. tu? q. illi apud me mecum c. et c. cop.?* Iunt. et Ald. non habent verba *illi ap. me.* 221. *non.* V.: *nunc.* 223. V.; *C. e. id c.? namque istaec m. tua est cur.* MSS. *mea* pro *tua.* 224. V.: *nisi.*

Ag. Non faciam, non! Mi. Aequius in me sit. Ag. Morare. Ad. I! male facis:
Bene promittis multa ex multis; omnia incassum cadunt.
Liberare iuravisti me haud semel, sed centies.
Dum te exspecto: neque aliam usquam mihi paravi copiam,
Neque istuc usquam adparet. Ita nunc servio nihilo minus. i. t.
I, soror. — Abscede tu a me. Ag. Perii! Ecquid agis, Milphiō? t. t. c.
Mi. Mēa voluptas, mea delicia, mea vita, mea amoenitas,
Meus ocellus, meum labellum, mea salus, meum savium,
Meum mel, meum cor, mea colostra, meus molliculus caseus . . . .
Ag. Mene ego illaec patiar praesente dici? Discrucior miser,
Nisi ego illum iubeo quadrigis cursim ad carnuficem rapi!
Mi. Noli, amabo, suscensere hero meo causa mea!
Ego faxo, si non irata es, — numulum pro te dabit
Ac te faciet ut sis civis Attica atque libera.
Ad. Quin abire sinis? quid vis tibi? Qui bene volt, bene visitem.
Mi. Si ante quidem mentitust: nunc iam dehinc erit verax tibi.
Ad. Abige te hinc, sis, sycophanta. Mi. Pareo. Ag. At scin', quomodo?
Mi. Sine te exorem, sine te prendam auriculis, sine dem savium!
Iam hercle ego faciam plorantem illum, nisi te facio propitiam;
Atque hic me ne verbered hillum faciat, nisi te propitio,
Male formido: novi ego huius mores moros et malos.
Quamobrem, amabo, mea voluptas, sine ted exorarier.
Ag. Non ego homo trioboli sum, nisi ego illi mastigiae
Exturbo oculos atque dentis! Hem voluptatem tibi!

228. V.: Ag. *Non fac.* Ad. *nos eamus nunc. etiam mor.? m. f.* MSS. *N. f. non ac cuius in me esset mor. et m. f.* In vett. edd. *nos* haud habetur. 233. V.: *Perii, eho! q. a.*, M.? Vet. cod. Camerar.: *P., quid ag.* Pal.: *P., Eo quid ag.* 239. *suscensere* Pal. et fere omnes ubique libri vett. Vulgo tamen *succensere.* 240. *numulum* pro vulgato *nimium* legendum esse intellexit Turneb. Adverss. 15, 6. 242. Libri: *Q. b. volunt, b. vis item.* Pal.: *b. uisitem*, h. e. libenter videam. Alii libri vett.: *visitent. Volunt* abhorret a versu. 244. V.: *Abscede h. sis, syc.* Pal.: *Aspice dehine sis si coph.* Vett. edd. *Abiice te deh. s. s.* 247. V.: *A. h. m. n. verberet (illud faciet,* etc.) Pal. et MSS.: *verb. illum faciat.* 248. V.: *mores morosi malos.* Vet. cod. Camer. secundum Pareum quidem: *m. moros i malos;* sed sec. Sciopp.: *m. moros et malos.* Pal.: *mores mores malos.*

Hem mel! hem cor! hem colostram! hem salutem! hem savium!
Mi. Inpias, here, te: oratorem verberas. Ag. Iam istoc magis!
Etiam ocellum addam et labellum et linguam! Mi. Ecquid facies modi?
Ag. Siccine ego te orares iussi? Mi. Quomodo ergo orem. Ag. Rogas?
Sic enim diceres, sceleste: Huius voluptas, te obsecro,
Huius mel, huius cor, huius labellum, huius lingua, huius savium,
Huius colostra, huius salus amoena, huius festivitas,
Huius cura, huius studium, huius dulciculus caseus, mastigia;
Omnia illa, quae dicebas tua esse, ea memorares mea.
Mi. Obsecro hercle te, voluptas huius atque odium meum,
Huius amica mammeata, mea inimica et malevola,
Oculus huius, lippitudo mea, mel huius, fel meum,
Ut tu huic irata ne sis; aut, si id fieri non potest,
Capias restim ac te suspendas cum hero et vostra familia:
Nam mihi iam video propter te victitandum sorbilo,
Itaque iam quasi ostreatum tergum ulcoribus gestito
Propter amorem vostrum. Ad. Amabo, men' prohibere postulas,
Ne te verberet, mage quam ne mendax me advorsum siet?
An. Aliquid huic responde, amabo, commode: ne incommodus
Nobis sit: nam detinet nos nostro de negotio.
Ad. Verum. — Etiam tibi hanc amittam noxiam unam, Agorastocles.
Non sum irata. Ag. Non es? Ad. Non sum. Ag. Da ergo, ut credam, savium.
Ad. Mox dabo, quom ab re divina rediero. Ag. I ergo strenue.
Ad. Sequere me, soror. Ag. Atque (audin'?) etiam Veneri dicito
Multam meis verbis salutem. Ad. Dicam. Ag. Atque hoc audi? Ad. Quid est?

252. *colostram.* Libri: *labellum.* Sed cf. 254. 255. Ita MSS. V.: *orare.* 258. Vitiose libri: *H. col., h. dulciculus caseus, mastigia, Huius cor, h. studium, h. savium, mastigia.* Posterior horum versuum non legitur in Colon. Iunt. Ald. 266. *sorbilo*, sorbitione lacrimarum, quia semper vapulo. Similis iocus est Mil. 814 seqq.

Ag. Paucis verbis rem divinam facito. Atque (audin'?) respice. —
Respexit. Itidem pol Venerem credo facturam tibi.

AGORASTOCLES. MILPHIO.

Ag. Quid nunc mi es auctor, Milphio? Mi. Ut me verberes i. s. I, 3.
Atque auctionem facias: nam inpunissume
Tibi quidem hercle vendere hasce aedis licet.
Ag. Quid iam? Mi. Maiorem partem in ore habitas meo.
Ag. Supersede istis verbis. Mi. Quid nunc vis tibi?
Ag. Trecentos Philippos Collybisco villico
Dedi, priusquam evocasti me dudum foras.
Nunc obsecro te, Milphio, hanc per dexteram,
Perque hanc sororem laevam, perque oculos tuos,
Per meos amores perque Adelphasium meam,
Perque tuam libertatem. Mi. Hem, nunc nihil obsecras.
Ag. Mi Milphidisce, mea commoditas, mea salus,
Fac, quod facturum te esse promisti mihi,
Ut ego hunc lenonem perdam. Mi. Perfacile id quidem est.
I, adduce testis tecum; ego intus interim
Iam et ornamentis meis et sycophantiis
Tuom exornabo villicum. Propera atque abi!
Ag. Fugio. Mi. Meum est istuc magis officium, quam tuom.
Ag. Egone, si istuc lepide exfexis .... Mi. I modo.
Ag. Ut non ego te hodie .... Mi. Abi modo! Ag. Emittam manu ....
Mi. I modo! Ag. Non hercle meream — oh! Mi. Vah, abi modo!
Ag. Quantum Acherunte est mortuorum .... Mi. Etiamne abis?
Ag. Neque quantum aquai est in mari .... Mi. Ne abiturus es?
Ag. Neque nubis omnis quantum est .... Mi. Pergin' pergere?
Ag. Neque stellae in coelo .... Mi. Pergin' auris tundere?
Ag. Neque hoc, neque illuc, neque — enimvero serio —
Neque hercle vero — quid opust verbis? — quippini? —

278. *Itidem*. Libri ἀμέτρως: *idem*. 288. V.: *Perque meos am.* 297. V.: *Egone, egone*. Alterum *egone* abest ab edd. vett. 299. Ita MSS. et vett. edd. V.: *ah*. 301. V.: *aquae*. Pal.: *N. q. est aqua in m.* V. quoque, corruptis numeris: *abiturusne es?* 302. V. abest *omnis*. Vet. cod. Camerar., teste Par., *N. nubes omnes*.

Quod uno verbo — dicere hic quidvis licet —
Neque hercle vero serio — scin', quomodo?
Ita me di amabunt — vin', bona dicam fide?
Quod hic inter nos liceat — ita me Iupiter —
Scin', quam? — vide tu — credin', quod ego fabuler?
Mi. Si nequeo facere, ut abeas: egomet abiero:
Nam isti quidem hercle orationi est Oedipo
Opus coniectore, sphingi qui interpres fuit,
Ag. Ille hinc iratus abiit: nunc mihi cautio est,
Ne meamet culpa meo amori obiexim moram.
Ibo atque arcessam testis: quando amor iubet
Obedientem esse servo liberum.

LYCUS. ANTHEMONIDES.

Ly. Di illum infelicent omnes, qui post hunc diem I. s. II.
Leno ullam Veneri unquam inmolarit hostiam,
Quive ullum thuris granum sacruficaverit!
Nam ego hodie infelix dis meis iratissumis
Sex inmolavi agonas nec potui tamen
Propitiam Venerem facere utid esset mihi,
Quoniam litare nequeo: abii illinc eloco
Iratus; exta vetui prosicarier,
Neque illa adspicere volui. Quoniam non bona
Haruspex dixit: deam esse indignam credidi.
Eo pacto avarae Veneri pulcre adii manum.
Quando id, quod sat erat, satis habere noluit:
Ego pausam feci. Sic ago: sic me decet.
Ego faxo posthac di deaeque ceteri
Contentiores mage erunt atque avidi minus,
Quom scibunt, Veneri ut adierit leno manum.
Condigne haruspex, non homo trioboli,
Omnibus in extis aibat portendi mihi
Malum damnumque et deos esse iratos mihi.
Quid ei divini aut humani aequom est credere?
Mina mihi argenti dono postilla est data.
Sed, quaeso, ubinam illic restitit miles modo,
Qui hanc mihi donavit, quem ego vocavi ad prandium?
Sed eccum incedit. A. Ita, ut occepi dicere.

---

317. Ita MSS. et vett. edd. V.: *O. me esse s. l.* 322. *agonas*, h. e. victimas. V.: *agnos*. Sed Colon. Ald. Basil.: *Sexagenos*. Correxit Meurs. Vidd. Festus, Isidorus. 323. V. *uti*, penitus ruente versu, qui et sic valde debilis est et ieiunus. Fort.: *Pr. V. facered ut adesset m.* 326. V. *ea*.

Lenulle, de illac pugna pentethronica,
Qua sexaginta millia hominum uno die
Volaticorum manibus occidi meis ....
Ly. Heu,
Volaticorum hominum? A. Ita dico quidem.
Ly. An, obsecro, usquam homines sunt volatici?
A. Fuere; verum ego interfeci. Ly. Quomodo
Potuisti? A. Dicam. Viscum legioni dedi
Fundasque; eo praesternebant folia farferi.
Ly. Quoi reii? A. Ad fundas viscus ne adhaeresceret.
Ly. Perge: optume hercle peieras. Quid postea?
A. In fundas visci indebant grandiculos globos;
Eo illos volantes iussi funditarier.
Quid multa verba? quemquem visco obfenderant,
Tam crebri ad terram accidebant quam pira.
Ut quisque acciderat, eum necabam eloco
Per cerebrum pinna sua sibi, quasi turturem.
Ly. Si hercle istuc unquam factum est: tum me Iupiter
Faciat, ut semper sacrufìcem, nunquam litem.
A. An mi haec non credis? Ly. Credo, ut mi aequom est credier.
Age, eamus intro, dum exta referuntur. A. Volo
Narrare tibi etiam unam pugnam. Ly. Nil moror.
A. Ausculta. Ly. Non, mehercle! A. Iam elidam caput
Tuom, ni auscultas aut is in malam crucem!
Ly. Malam crucem ibo potius. A. Certumne est tibi?
Ly. Certum. A. Tum tu igitur die bono, Aphrodisiis,
Meretricem addice tuam mihi minusculam.
Ly. Ita res divina mihi fuit: res serias
Omnis extollo ex hoc die in alium diem.
A. Profestos festos habeam decretum est mihi.
Ly. Nunc hinc eamus intro. Sequere hac me. A. Sequor.
In hunc diem iam tuus sum mercenarius.

AGORASTOCLES. ADVOCATI.

Ag. Ita me di ament, tardo amico nihil est quidquam inaequius, t. t. c. III, 1.

350. V. ἀμέτρως: *Q. rei? An. ne ad f. v. adh.* 351. Itidem pravo numero libri: *periuras.* 359. V.: *nec unquam l.* 364. V.: *nisi.* 365. Iunt. Ald.: *In mal. cr. i. p.* 370. V. *Profecto*, ut c et s litterae nonnunquam confunduntur in libris. MSS. *Profectos.* Sequor Pareum et Gronovium. 373. Ita MSS. et vett. edd. V.: *iniquius.*

Praesertim homini amanti, qui, quidquid agit, properat omnia:
Sicut ego hos duco advocatos, homines spissigradissumos,
Tardiores quam corbitae sunt in tranquillo mari.
Atque equidem hercle dedita opera amicos fugitavi senes:
Scibam aetate tardiores: metui meo amori moram.
Nequidquam hos procos mi elegi loripedes, tardissumos.
Quin, si ituri hodie estis, ite aut ite hinc in malam crucem!
Siccine oportet ire amicos homini amanti operam datum?
Nam iste quidem gradus subcretust cribro pollinario,
Nisi cum pedicis condidicistis sic hoc grassari gradu.
Adv. Heus tu, quamquam nos videmur tibi plebeii et pauperes,
Si nec recte dicis nobis, dives de summo loco:
Divitem audacter solemus mactare infortunio;
Nec tibi nos obnoxii istuc, quod tu ames aut oderis.
Quom pro capite argentum dedimus, nostrum dedimus, non tuom:
Liberos nos esse oportet. Nos te nihili pendimus:
Ne tuo nos amori servos tu esse addictos censeas.
Liberos homines per urbem modico mage par est gradu
Ire; servile esse duco festinantem currere.
Praesertim in re populi placida atque interfectis hostibus
Non decet tumultuari. Sed si properabas magis:
Pridie nos te advocatos huc duxisse oportuit.
Ne tu opinere, haud quisquam hodie nostrum curret per vias,
Neque nos populus pro cerritis insectabit lapidibus.
Ag. At si ad prandium me in aedem vos dixissem ducere:
Vinceretis cervom cursu vel clavatorem gradu.
Nunc vos quia mihi advocatos dixi et testis ducere:
Podagrosi estis ac vicistis cochleam tarditudine.
Adv. An vero non iusta causa est, quo curratur celeriter,
Ubi bibas, edas de alieno, quam velis, usque adfatim,
Quod tu invitus nunquam reddas domino, de quo id ederis?
Sed tam quomodocunque, inquam, quamquam sumus pauperculi.
Est domi, quod edimus: ne nos tam contemtim conteras.
Quidquid est pauxillulum illuc: nostrum omne id intus est.

378. V. *Sciebam.* 387. V.: *N. t. n. obn. sumus, istuc quid tu a. a. o.* 390. V.: *N. tuo n. a. s. tuos e. a. c.* 392. Ita Iunt. Ald. Vett. edd. *servilem, servili.* Vet. cod. Camerar.: *servire.* 403. V. numeris durioribus: *quantum velis.* 404. V.: *de quo ed.* Vet. cod. Camerar.: *de qui oederis.* 405. Minus ἐμμέτρως libri: *S. tamen* etc. 407. *id* MSS. et vett. edd. V.: *illud.*

Neque nos quemquam flagitamus neque nos quisquam flagitat.
Tua causa nostrorum nemo est suos rupturus ramices.
Ag. Nimis iracundi estis: equidem haec vobis dixi per iocum.
Adv. Per iocum itidem dictum habeto, quae nos tibi respondimus.
Ag. Obsecro hercle, operam celocem hanc mihi, ne corbitam date!
Adtrepidate saltem: nam vos adproperare haud postulo.
Adv. Si quid tu placide otioseque agere vis: operam damus;
Si properas: cursores meliust te advocatos ducere.
Ag. Scitis (rem narravi vobis), quod vostra opera mi opus siet
De lenone hoc, qui me amantem ludificatur tam diu:
Ei paratae ut sint insidiae de auro et de servo meo.
Adv. Omnia istaec scimus iam nos, si hi spectatores sciant.
Horunc hic nunc causa haec agitur spectatorum fabula:
Hos te satius est docere: ut, quando agas, quid agas, sciant;
Nos tu ne curassis: scimus rem omnem: quippe omnes simul
Didicimus tecum una: ut respondere possimus tibi.
Ag. Ita profecto est; sed agite, igitur ut sciam vos scire, rem
Expedite et mihi, quae vobis dudum dixi, dicite.
Adv. Itane tentas, an sciamus? non meminisse nos ratus,
Quomodo trecentos Philippos Collybisco villico
Dederis, quos deferret huc ad lenonem, inimicum tuom,
Isque se ut adsimularet peregrinum aliunde ex alio oppido?
Is ubi tetulerit: tu eo servom quaesitum advenies tuom
Cum pecunia. Ag. Meministis memoriter: servasti' me.
Adv. Ille negabit: Milphionem quaeri censebit tuom.
Id duplicabit homini furtum: leno addicetur tibi,
Ad eam rem nos esse testis vis tibi. Ag. Teneti' rem.
Adv. Vix quidem hercule (ita pauxilla est) digitulis primoribus.
Ag. Hoc cito et cursim est agendum. Propera iam, quantum potest!
Adv. Bene vale igitur. Te advocatos melius celeris ducere:
Tardi sumus nos. Ag. Optume itis, pessume hercle dicitis.
Quin etiam deciderint vobis femina in talos velim.
Adv. At edepol tibi nos in lumbos linguam atque oculos in solum.
Ag. Heia, haud vostrum est, iracundos esse, quod dixi ioco,

421. Male libri: *quid agant.* Correxit Acidal. 429. V. *peregr. esse.* 430. V.: *adventes.*

Adv. Nec tuom quidem est, amicis per iocum iniuste loqui.
Ag. Mittite istaec. Quid velim vos, scitis. Adv. Callemus probe:
Lenonem ut periurum perdas, id studes. Ag. Teneti' rem.
Ecce opportune egrediuntur Milphio una et villicus.
Basilice exornatus cedit et fabre ad fallaciam.

MILPHIO. COLLYBISCUS. AGORASTOCLES. ADVOCATI.

Mi. Iam tenes praecepta in corde? Co. Pulcre. Mi. Vide, sis, calleas. t. t. c. III, 2.
Co. Quid opust verbis? callum aprugnum callere aeque non sinam.
Mi. Fac modo, ut condocta tibi sint dicta ad hanc fallaciam.
Co. Quin edepol condoctior sum, quam Tragoedi aut Comici.
Mi. Probus homo es. Ag. Adeamus propius. — Adsunt testes. Mi. Tot quidem
Non potuisti adducere homines magis ad hanc rem idoneos:
Nam istorum est nefastus nullus; comitiales sunt meri;
Ibi habitant; ibi eos conspicias, quam praetorem, saepius.
Hodie iuris coctiores non sunt, qui litis creant,
Quam de sunt hi, qui, si nihil est litium, litis emunt.
Adv. Di te perdant! Mi. Vos quidem hercule aequom est quemque, qui tamen
Et bene et benigne facitis, quom hero amanti operam datis.
Sed isti iam sciunt, negoti quid sit? Ag. Omnem rem ordine. i. t.
Mi. Tum vos animum advortite igitur. Hunc vos lenonem Lycum t. t. c.
Novistis? Adv. Facile. Co. At ego pol eum, qua sit facie, nescio:
Enim volo mihi demonstretis hominem. Adv. Nos curabimus.
Satis praeceptum. Ag. Hic trecentos numos numeratos habet.

446. Libri in ordinem recepta interpretatione *ἀμέτρῳ*: *incedis.* 448. Pal.: *Q. opus si verb.* ut passim *si* pro *st* legitur in MSS. Cf. 7. 456. V.: *lites serunt.* MSS.: *lites semunt*, h. e. *l. emunt.* Notum id genus hominum. 457. V.: *Vos quidem hercle commendo, quom quiqui tamen, Et bene* etc. Pal.: *V. q. h. quo meo quom qui qui tamen* etc. Gron. legendum suspicabatur: *V. q.* hercule *aequum, quom quiqui tamen*, sed *quom* legitur sequente versu. Non deos tantum, sed quemque, eos perdere, aequum dicit servulus.

Adv. Ergo nos inspicere oportet istuc aurum, Agorastocles:
Ut sciamus, quid dicamus mox pro testimonio.
Ag. Agite, inspicite. Co. Aurum est profecto, spectatores, Comicum:
Macerato hoc pingues fiunt auro in Barbaria boves;
Verum ad hanc rem agundam Philippum est. Adv. Ita nos adsimulabimus.
Co. Sed ita adsimulatote, quasi ego sim peregrinus. Adv. Scilicet;
Et quidem, quasi tu nobiscum adveniens hodie oraveris,
Liberum ut conmonstraremus tibi locum et voluptarium,
Ubi ames, potes, pergraecere. Mi. Heu edepol mortalis malos!
Ag. Ego enim docui. Mi. Quis te porro? Co. Agite, intro abite, Agorastocles:
Ne hic vos mecum conspicetur leno, neu fallaciae
Praepedimentum obiciatur. Mi. Hic homo sapienter sapit:
Facite, quod iubet. Ag. Abeamus. Sed vos, satis dictum est? Co. Abi.
Ag. Abeo. Quaeso.... Co. Di inmortales, quin abis? Ag. Abeo. Co. Sapis.
St, tace! Adv. Quid est? Co. Fores hae fecerunt magnum flagitium modo. i. t.
Adv. Quid id est flagiti? Co. Crepuerunt clare. Adv. Di te perduint! t. t. c.
Pone nos recede. Co. Fiat. Adv. Nos priores ibimus.
Co. Faciunt, scurrae quod consuerunt: pone sese homines locant.
Ag. Illic homo est, qui egreditur, leno. Co. Bonus est: nam similis malo est.
Iam ego nunc illi egredienti sanguinem exsugam procul.

LYCUS. ADVOCATI. COLLYBISCUS.

Ly. Iam istuc revortar, miles: convivas volo i. s. III, 3.
Reperire nobis commodos, qui una sient.
Interibi attulerint exta atque eadem mulieres
Iam ab re divina, credo, adparebunt domi.
Sed quid huc tantum hominum incedunt? ecquidnam adferunt?

475. Ita MSS. V.: *obiiciatur.* 484. V., frustra asperato versu: *I. ego istuc.*

Et illic chlamydatus quisnam est, qui sequitur procul?
Adv. Aetoli cives te salutamus, Lyce,
Quamquam salutem ferimus inviti tibi.
Ly. Fortunati omnes sitis, quod certe scio
Nec fore nec Fortunam id situram fieri.
Adv. Iste est thesaurus stultis in lingua situs,
Ut quaestui habeant male loqui melioribus.
Ly. Viam qui nescit, qua deveniat ad mare,
Eum oportet amnem quaerere comitem sibi;
Ego male loquendi vobis nescivi viam:
Nunc vos mihi amnes estis: vos certum est sequi.
Si benedicetis: vostra vos ripa sequar;
Si maledicetis: vostro gradiar limite.
Adv. Malo benefacere tantumdem est periculum,
Quantum bono malefacere. Ly. Qui vero? Adv. Scies.
Malo si quid benefacias: beneficium interit;
Bono si quid malefacias: aetatem expetit.
Ly. Facete dictum! Sed quid istuc ad me attinet?
Adv. Quia nos honoris tui causa ad te venimus,
Quamquam bene volumus leniter lenonibus.
Ly. Si quid boni adportatis: habeo gratiam.
Adv. Bonum de nostro tibi nec ferimus nec damus,
Neque pollicemur neque adeo volumus datum.
Ly. Credo hercle vobis: ita vostra est benignitas.
Sed quid nunc voltis? Adv. Hunc chlamidatum quem vides,
Ei Mars iratust. Co. Capiti vostro istuc quidem!
Adv. Hunc nunc, Lyce, ad te diripiendum adducimus.
Co. Cum praeda hic hodie incedet venator domum:
Canes conpellunt in plagas lepide λύκον.
Ly. Quis hic est? Adv. Nescimus nos istunc quidem, qui siet;
Nisi dudum a mane ad portum uti processimus:
Atque istunc e navi exeuntem oneraria
Videmus. Adiit ad nos extemplo exiens,
Salutat; respondemus. Co. Mortalis malos!
Ut ingrediuntur docte in sycophantiam!
Ly. Quid deinde? Adv. Sermonem ibi nobiscum copulat:

491. Libri extincto ioco: *Qu. hanc sal.* Male post hunc versum legitur 508, quem tamen et ibi ostendunt codd. tam scripti quam excusi. Legitur autem hic: *Et quanquam*, metro etiam pessumdato. 504. V.: *id benef.* 507. V.: — *causa huc ad te v.* 508. *leniter* utroque loco MSS., non *leviter*, ut vulgo. 510. V. *Boni*, quod soloecum. 517. V.: *Lycum;* sed luditur in nomine, quod et animalis est, et proprium lenonis; qui lusus quo fieret manifestior, dedimus vocem graecam.

Ait, se peregrinum esse, huius ignarum oppidi;
Locum sibi velle liberum praeberier,
Ubi nequam faciat. Nos hominem ad te adduximus.
Tu, si te di amant, agere tuam rem occasio est.
Ly. Itane ille est cupiens? Adv. Aurum habet. Ly. Praeda haec mea est!
Adv. Potare, amare, volt. Ly. Locum lepidum dabo.
Adv. At enim hic clam, furtim, esse volt: ne qui sciant
Neve arbiter sit; nam hic latro in Sparta fuit,
Ut quidem ipse nobis dixit, apud regem Attalum;
Inde nunc aufugit, quoniam capitur oppidum.
Co. Nimis lepide de latrone, de Sparta optume!
Ly. Di deaeque vobis multa bona dent, quom mihi
Et bene praecipitis et bonam praedam datis!
Adv. Imo, ipse ut nobis dixit, quo adcures magis,
Trecentos numos Philippos portat praesidi.
Ly. Rex sum, si ego illunc hodie ad me hominem adlexero!
Adv. Quin hic quidem tuos est. Ly. Obsecro hercle, hortamini,
Ut devortatur ad me in hospitium optumum.
Adv. Neque nos hortari neque dehortari decet
Hominem peregrinum: tuam rem tu ages, si sapis.
Nos tibi palumbem ad aream usque adduximus:
Nunc te illum melius capere, si captum esse vis.
Ly. Iamne itis? Co. Quid, quod vobis mandavi, hospites?
Adv. Cum illoc te melius rem tuam, adulescens, loqui:
Ille est ad istas res probus, quas quaeritas.
Co. Videre equidem vos vellem, quom huic aurum darem.
Adv. Illinc procul nos istuc inspectabimus.
Co. Bonam dedistis operam mihi. Ly. It ad me lucrum.
Co. Illuc quidem, quorsum asinus caedit calcibus.
Ly. Blande hominem conpellabo. — Hospes hospitem
Salutat. Salvom te advenire gaudeo.
Co. Multa tibi di dent bona, quom me salvom esse vis.
Ly. Hospitium te aiunt quaeritare. Co. Quaerito.
Ly. Ita dixere illi, qui hinc a me abierunt modo,
Te quaeritare a muscis. Co. Minume gentium.
Ly. Quid ita? Co. Quia, a muscis si mi hospitium quaererem, huc
Adveniens, irem in carcerem recta via.
Ego id quaero ostium, ubi ego curer mollius,

549. V.: *Illic.* 558. V.: *Ita illi dixerunt.* 562. V.: *E. id q. hospitium.* Sed MSS.: *hostium*, h. e. ostium. Pars dicta pro toto. Cf. Curc. 15.

Quam regi Antiocho Oculi curari solent.
Ly. Edepol nae tibi possum illud festivom dare,
Siquidem pati potes esse in lepido loco,
In lecto lepide strato lepidam mulierem
Conplexum contractare.... Co. Is, leno, viam.
Ly. Ubi tu Leucadio, Coo, Thasio, Lesbio,
Vetustate vino edentulo aetatem inriges.
Ibi te replebo usque unguentum eccheumatis.
Quid multa verba? Faciam, ubi tu laveris,
Ibi balneator faciat unguentariam.
Sed haec latrocinantur, quae ego dixi, omnia.
Co. Quid ita? Ly. Quia aurum poscunt praesentarium.
Co. Quin hercle accipere tu non mavis, quam ego dare.
Adv. Quid, si evocemus huc foras Agorastoclem:
Ut ipse testis sit sibi certissumus? —
Heus tu, qui furem captas, egredere ocius:
Ut tute inspectes aurum lenoni dare.

AGORASTOCLES. ADVOCATI. COLLYBISCUS. LYCUS.

Ag. Quid est? quid voltis, testes? Adv. Specta ad dexteram. i. s. III, 4.
Tuos servos aurum ipsi lenoni datat.
Co. Age, accipe hoc, sis. Hic sunt numerati aurei
Trecenti numi, qui vocantur Philippei.
Hinc me procura. Propere hosce absumi volo.
Ly. Edepol fecisti prodigum promum tibi.
Age, eamus intro. Co. Te sequor. Ly. Age, age, ambula;
Ibi, quae reliqüa, alia fabulabimur.
Co. Eadem narrabo tibi res Spartiaticas.
Ly. Quin sequere me ergo. Co. Abduc intro: addictum tenes.
Ag. Quid nunc mi auctores estis? Adv. Ut frugi sies.
Ag. Quid, si animus esse non sinit? Adv. Esto, ut sinit.
Ag. Vidistis, leno quom aurum accepit? Adv. Vidimus.
Ag. Eum vos meum esse servom scitis? Adv. Scimu'.
Ag. Rem

564. Soloece libri: *illum.* 565. Vulgo, invitis MSS.: *S. potes esse pati te, in l. l.* etc. 567. Ita Pal. et vett. edd. V.: *contrectare.* 570. *eccheumatis, ἐκχεύμασιν,* effusionibus. V. *echeumatis.* 575. Male post hunc versum legitur. 589 Monuit Acid. 589. Male libri supra post 575.: Ly. *Q. s. me intro.* Co. *duc ergo me intro, add. t.* 593. Ita Pal. et vett. edd. V.: *Scivimus*, quod petitum videtur ex sequente versu.

Advorsus populi leges.... Adv. Saepe scivimus.
Ag. Hem, istaec volo ergo vos commeminisse omnia
Mox, quom ad praetorem usus veniet. Adv. Meminimus.
Ag. Quid, si recenti re aedis pultem? Adv. Censeo.
Ag. Si pultem, non recludet. Adv. Panem frangito.
Ag. Si exierit leno: censen' hominem interrogem,
Meus servos si ad eum venerit nunc.... Adv. Quippini?
Ag. Cum auri ducentis numis Philippis? Adv. Quippini?
Ag. Ibi leno extemplo errabit Adv. Qua de re? Ag. Rogas?
Quia centum numis minus dicetur. Adv. Bene putas.
Ag. Alium censebit quaeritari Adv. Scilicet.
Ag. Extemplo denegabit. Adv. Iuratus quidem.
Ag. Homo furti sese adstringet.... Adv. Haud dubium id quidem.
Ag. Quantumquantum ad eum erit delatum. Adv. Quippini?
Ag. Diespiter vos perduit! Adv. Te. Quippini?
Ag. Ibo et pultabo ianuam. Adv. Ita. Quippini?
Ag. Tacendi tempus est: nam crepuerunt fores.
Foras egreditur. — Video lenonem Lycum:
Adeste, quaeso! Adv. Quippini? Sed, si voles,
Operire capita: ne nos leno noverit.
Qui illi malae rei tantae fuimus inlices.

LYCUS. AGORASTOCLES. ADVOCATI.

Ly. Suspendant omnes nunc iam se haruspices, i. s. III, 5.
Quam ego illis posthac, quod loquantur, creduam:
Qui in re divina dudum dicebant mihi
Malum damnumque maxumum portendier;
Is explicavi meam rem postilla lucro.
Ag. Salvos sis, leno. Ly. Di te ament, Agorastocles.
Ag. Magis me benigne nunc salutas, quam antidhac.
Ly. Tranquillitas evenit, quasi navi in mari.
Utcunque est ventus, exin velum vortitur,

594. Inepte legitur: *Adv. populi saèpe leges?* Ad. *Scivimus.* Egregie locum emendavit Acid. *Scivimus* a sciscendo, unde plebiscitum. 599. V.: *censetis*, refragante quidem versu. Pal. a prima manu: *censeo*, a secunda: *censent*, h. e. *censen'*, vel *censen' tu.* 600. Itidem ἀμέτρως libri: *venerit, nec ne.* Pal.: *veneritne Quippini*, h. e. *venerit nunc.* Eius verbi compendium saepe librarios fefellit. 609. Ita Pal. et vett. edd. V.: *ianuam hanc*, ad versum, ni fallor, sarciendum, qui non eget tibicine. 611. Sic libri vett., vel *egredietur*, ut Pal. 612. V., sine auctoritate quidem idonea: *Quipp.? quin si vol.* 615, 16. V.: *haruspices. Quid ego — creduam?* Sequor Palatinum. *Quam*, potius quam.

Ag. Valeant apud te, quos volo, atque haud te volo.
Ly. Valent, ut postulatum est; verum non tibi.
Ag. Mitte ad me, si audes, hodie Adelphasium tuam
Die festo celebri nobilique, Aphrodisiis.
Ly. Calidum prandisti prandium hodie? dic mihi.
Ag. Quid iam? Ly. Quia os nunc frigefactas, quom rogas.
Ag. Hoc age, sis, leno: servom esse audivi meum
Apud te. Ly. Apud me? Nunquam factum reperies.
Ag. Mentire: nam ad te venit aurumque attulit.
Ita mihi renuntiatum est, quibus credo satis.
Ly. Malus es: captatum me advenis cum testibus.
Tuorum apud me nemo est nec quidquam tui.
Ag. Mementote illuc, Advocati. Adv. Meminimus.
Ly. Ha ha he, iam teneo, quid sit; perspexi modo.
Hi, qui illunc dudum conciliaverunt mihi
Peregrinum Spartanum, id nunc his cerebrum uritur,
Me esse hos trecentos Philippos facturum lucri:
Nunc hunc inimicum quia esse sciverunt mihi,
Eum adlegarunt, suom qui servom diceret
Cum auro esse apud me. Conposita est fallacia:
Ut eo me privent atque inter se dividant.
Lupo agnum eripere postulant. Nugas agunt.
Ag. Negasne, apud te esse aurum nec servom meum?
Ly. Nego et negando, si quid refert, ravio.
Adv. Peristi, leno: nam iste est huius villicus,
Quem tibi nos esse Spartiatem diximus,
Qui ad te trecentos modo Philippos detulit;
Idque adeo in istoc aurum inest marsupio.
Ly. Vae vostrae aetati! Adv. Id quidem in mundo est tuae.
Ag. Age, omitte actutum, furcifer, marsupium!
Manufesto fur es mihi. — Quaeso hercle, operam date,
Dum me videatis servom ab hoc abducere.
Ly. Nunc pol ego perii certo, haud arbitrario!
Consulto hoc factum est: mihi ut insidiae fierent.
Sed quid ego dubito fugere hinc in malam crucem,
Priusquam obtorto collo ad praetorem trahor?
Eheu! quamde ego habui hariolos haruspices,
Qui si quid bene promittunt, pro spisso evenit;
Id quod mali promittunt, praesentarium est.
Nunc ibo: amicos consulam, quo me modo —
Suspendere aequom censeant potissumum.

625. Pal.: *Valeant, ut p. e.* etc. 642. V.: *allegaverunt.* 661. Sic MSS. Vulgo: *Q. si q. boni prom.*

AGORASTOCLES. COLLYBISCUS. ADVOCATI.

Ag. Age tu, progredire: ut testes videant te ire istinc foras. t. t. c. III. 6.
Estne servos hic meus? Co. Sum mehercle vero, Agorastocles.
Ag. Quid nunc, sceleste leno? Adv. Quicum litigas, i. s.
Abscessit. Ag. Utinam hinc abierit malam crucem!
Adv. Ita nos velle aequom est. Ag. Cras subscribam homini dicam.
Co. Numquid me....? Ag. Abscedas; sumas ornatum tuom.
Co. Non sum nequidquam miles factus: paululum
Praedae intus feci, dum lenonis familia
Dormitat: extis sum satur factus probe.
Abscedam hinc intro. Ag. Factum a vobis comiter.
Bonam dedistis, Advocati, operam mihi.
Cras mane, quaeso, in comitio estote obviam.
Tu sequere me intro. Vos valete. Adv. Et tu vale.
Iniuriam illic insignite postulat:
Nostro servire nos sibi censet cibo.
Verum ita sunt omnes isti nostri divites:
Si quid bene facias, levior pluma est gratia;
Si quid peccatum est, plumbeas iras gerunt.
Domos abeamus nostras, sultis, nunc iam:
Quando id, quoi re operam dedimus, inpetravimus,
Ut perderemus conruptorem civium.

MILPHIO.

Expecto, quo pacto meae technae processurae sient. i. t. IV, 1.
Studeo hunc lenonem perdere: vel meum herum miserum macerat;
Is me autem porro verberat, incursat pugnis, calcibus.
Servire amanti miseria est, praesertim qui, quod amat, caret.
Attat, e fano recipere video se Syncerastum, i. t. c.
Lenonis servom. Quid habeat sermonis, auscultabo.

665. Libri ἀμέτρως: *progredere*. 680. Ita Iunt. Ald. Basil., et tale quid requirit versus. Vulgo tamen *omnes* non legitur. 683. Sic plane Decurt. V. minus ἐμμέτρως: *rei*. 687. Pro *vel* ex interpretatione legitur *velut*. quod metro minus congruit. Vetus cod. Camer. *uit*, Decurt.: *ut*.

SYNCERASTUS. MILPHIO.

Syn. Satis spectatum est, deos atque homines eius neglegere gratiam, t. t. c. IV, 2.
Quoi homini est herus consimilis, velut ego habeo hunc huiusmodi.
Neque periurior neque peior alter usquam est gentium,
Quam herus meus est, neque tam luteus neque tam coeno conlitus.
Ita me di ament, vel in lautumiis vel in pistrino mavelim
Agere aetatem, praepeditus latera forti ferreo,
Quam apud lenonem servitutem colere. Quod illuc est genus!
Quae illic hominum conruptelae fiunt! Di, vostram fidem,
Quodvis genus ibi hominum videas, quasi Acheruntem veneris,
Equitem, peditem, libertinum, furem an fugitivom velis,
Verberatum, vinctum, addictum. Qui habet, quod det, utut homo est,
Omnia genera recipiuntur: itaque in totis aedibus
Tenebrae, latebrae; bibitur, estur, quasi in popina, haud secus.
Ibi tu videas literatas fictilis epistolas,
Pice signatas; nomina insunt cubitum longis literis:
Ita vinariorum habemus nostrae delectum domi.
Mi. Omnia edepol mira sunt, nisi herus hunc heredem facit:
Nam is quidem illi, uti meditatur, verba facit emortuo.
Et lubet hominem adire, et autem nimis eum auscultp lubens.
Syn. Haec quom hic video fieri, crucior: pretiis emtos maxumis
Apud nos expeculiatos servos fieri suis heris.
Sed ad postremum nihil adparet: male partum male disperit. i. t.
Mi. Proinde orationem habet, quasi ipse sit frugi bonae, t. t. c.
Qui ipsus hercle ignaviorem potis est facere ignaviam.
Syn. Nunc domum haec ab aede Veneris refero vasa, ubi hostiis

697. Vulgo: *ferro meam.* Sed *meam* non legitur in libris vetustis, neque *ferro* convenit versui. In *ferreo* intelligendum *annulo*, quod verbum gestu Comico servus significat. 698. V.: *len. hunc*, sed de lenonibus in genere agitur h. l. 701. V.: *furem ac fug.* MSS. *adfugitivum.* Corr. Acid. 702. V.: *ut homo* est. Corr. Guil. Quaest. in Poen. c. 2.

Herus nequivit propitiare Venerem suo festo die.
Mi. Lepidam Venerem! Syn. Nam meretrices nostrae primis hostiis
Venerem placavere extemplo. Mi. O lepidam Venerem denuo!
Syn. Nunc domum ibo. Mi. Heus, Synceraste! Syn. Syncerastum qui vocat?
Mi. Tuos amicus. Syn. Haud amice facis, qui cum onere obfers moram.
Mi. At ob hanc rem tibi reddam operam, ubi voles, ubi iusseris.
Habe rem pactam. Syn. Si futurum est, do tibi operam hanc. Mi. Quo modo?
Syn. Ut enim, ubi mihi vapulandum est, tut e corium subferas.
Mi. Apage. Syn. Nescio, quid viri sis. Mi. Malus sum. Syn. Tibi sis. Mi. Te volo.
Syn. At onus urget. Mi. At tu adpone et respice ad me. Syn. Fecero,
Quamquam haud otium est. Mi. Salvos sis, Synceraste. b. t.
Syn. O Milphio, di omnes deaeque ament.... Mi. Quemnam hominem? Syn. Nec te, i. t. c.
Milphio, nec me, neque herum meum adeo. Mi. Quem ament igitur? Syn. Aliquem:
Nam nostrorum nemo dignust. Mi. Lepide loquere. Syn. Me decet. t. t. c.
Mi. Quid agis? Syn. Facio, quod manufesto moechi hic haud ferme solent.
Mi. Quid id est? Syn. Refero vasa salva. Mi. Di te et tuom herum perduint!
Syn. Me quidem hercle nullum ut perdant, facere possim, si velim,
Meum herum ut perdant, ni mihi metuam, Milphio. Mi. Quid id est? cedo.
Syn. Malus es? Mi. Malus sum. Syn. Male mihi est. Mi. Memoradum: esse aliter decet.

724. *tute* laudat Acid. Vulgo: *tu*. 728, 729. Sic plane libri vett., nisi quod *me* forte omissum est in Pal., veteresque edd. habent: *nec te, Milphio,* verbis *nec me* oblitteratis. V. tamen: — *igitur?* Syn. *alium quemlibet*, secundum medias fidei minus certae edd. 731. V. abest *hic*, sed Pal. et vett. edd.: *manuf. hi moechi*, vel *mechi*, ut MS. 733. Putide edd.: *Me non perdant. illum ut perdant f. p., si v. Meum* etc. Pal.: *Me non p. hercle nullum ut perdant, fac. p.* etc. *Non* videtur esse interpretatio verbi *nullum*. 735. V.: *Malus es.* Iunt. Ald.: *Memoradum*. V.: *Memorandum*. Verbum non eliditur.

Quid id est, quod male sit, quoi domi sit, quod edis, quod ames, adfatim?
Neque triobolum ullum amicae das, sed ductas gratiis.
Syn. Diespiter me sic amabit.... Mi. Ut quidem edepol dignus es. i. t.
Syn. Ut ego hanc familiam interire cupio! Mi. Adde operam, si cupis. t. t. c.
Syn. Sine pennis volare haud facile est: meae alae pennas non habent.
Mi. Nolito edepol devellisse: iam his duobus mensibus
Volucres tibi erunt hircinae. Syn. I in malam rem! Mi. I tu atque herus!
Syn. Verum enim qui modo eum norit, cito homo pervorti potest.
Mi. Quid iam? Syn. Quasi tu tacere quidquam potis sis. Mi. Rectius
Tacitas tibi res sistam, quam, quod dictum est mutae mulieri.
Syn. Animum inducam facile, ut credam istuc tibi, ni te noverim.
Mi. Crede audacter meo periclo. Syn. Male credam et credam tamen.
Mi. Scin', tu, herum tuom meo hero esse inimicum capitalem .... Syn. Scio.
Mi. Propter amorem? Syn. Omnem operam perdis. Mi. Quid iam? Syn. Quia doctum doces.
Mi. Quid ergo dubitas, quin lubenter tuo hero meus, quod possiet i. t.
Facere, faciat male, eius merito? Tum autem, si quid tu adiuvas,
Eo facilius facere poterit. Syn. At ego hoc metuo, Milphio .....
Mi. Quid est, quod metuas? Syn. Dum hero insidias paritem, ne ante perduar.
Si herus meus med esse locutum quoiquam mortali sciat: t.t.c.
Continuo is me ex Syncerasto Crurifragium fecerit.
Mi. Nunquam edepol mortalis quisquam fiet e me certior,
Nisi hero meo unid indicasso; atque ei quoque, ut ne enuntiet,

742. Ita Pal. et vett. edd. V.: *Vol. tibi er. tuae hirquinae. Tibi non liquescit.* 745. V.: *qui homo eum norit.* Corr. Gruter. Iunt. Ald., incertum qua fide: *qui bene e. n.* 745. V. *Tacitus tibi resistam q. q. d. e. malae mul.*, nulla sententia, nullo metro. Iunt. Ald.: T. t. *rem sistam.* Vet. cod. Camerar.: *mutae mul.* 753. V.: *insid. parem, ne a te perdeam.* Correxere Par. et Gron. secundum MSS. et vett. edd.

Esse id facinus ex ted ortum. SYN. Male credam et credam tamen.
Sed tu tecum hoc tacitum habeto. MI. Fide non melius creditur.
Loquere (locus occasioque est) libere: hic soli sumus.
SYN. Herus si tuos volet facere frugi: meum herum perdet. MI. Qui id potest?
SYN. Facile. MI. Fac ergo id facile noscam: ut ille poscit noscere.
SYN. Quia Adelphasium, quam herus deamat tuos, ingenua est. MI. Quo modo.
SYN. Eodem, quo soror illius altera Anterastylis.
MI. Sed qui id credam? SYN. Quia illas emit in Anactorio parvolas
De praedone Siculo. MI. Quanti? SYN. Duodeviginti minis.
MI. Duas illas duodeviginti? SYN. Et nutricem earum tertiam. i. t.
Et ille, qui eas vendebat, dixit, se furtivas vendere:
Ingenuas Carthagine aibat esse. MI. Di, vostram fidem, t. t. c.
Nimium lepidum memoras facinus: nam herus meus Agorastocles
Ibidem gnatust; inde subreptus fere sexennis; postibi
Qui eum subripuit, huc devexit meoque hero hic eum vendidit;
Is in divitias homo adoptavit hunc, diem quom obiit suom. i. t.
SYN. Omnia memoras, quo id facilius fiat: manu eas adserat, t. t. c.
Suas popularis, liberali causa. MI. Tacitus tace modo.
SYN. Profecto ad incitas lenonem rediget, si eas abduxerit. i. t.
MI. Quin prius disperibit faxo, quam unam calcem civerit: t. t. c.
Ita paratum est. SYN. Ita di faxint. ne apud lenonem hunc serviam!
MI. Quin meus hercle conlibertus faxo eris, si di volent.
SYN. Ita di faxint! Numquid aliud me morare, Milphio?
MI. Valeas beneque ut sit tibi. SYN. Istuc pol tibi et hero tuo est in manu.
Vale et haec cura clanculum ut sint dicta. MI. Non dictum est. Vale.

759. Ita MSS. V.: *Fidei.* 761. V. *frugem.* Cf. 817, Palmer. Spicileg. Lamp. Gruter. 4. pag. 880. 765. V.: — *parv. duod. minis, De praed. Sic.* MI. *quanti?* SYN. *duod. minis.* MI. *Duas illas?* SYN. *nutr. ear. t.* Pal.: *parv. Quanti duo deuig. min. de predone sic. quanti Duo deuig. min. duas* etc. 771. Sic Pal., vel potius *gnatus st*, quod eodem redit. V.: *gnatus.*

Syn. At enim nihil est, nisi, dum calet, hoc agitur. Mi. Lepidus, quom mones,
Et ita hoc fiet. Syn. Proba materiest data, si probum adhibes fabrum.
Mi. Potin', ut taceas? Syn. Taceo atque abeo. Mi. Mihi commoditatem creas.
Ille hinc abiit. Di inmortales meum herum servatum volunt
Et disperditum hunc lenonem: tantum eum instat exiti.
Satine, priusquam unum est iniectum telum, iam instat alterum?
Ibo intro: haec ut meo hero memorem: nam huc si ante aedis evocem,
Quaeque audivistis modo, nunc eadem hic iterem, inscitia est.
Uni potius intus ero odio, quam hic sim vobis omnibus.
Di inmortales, quanta, q u a n t a, q u a n t a advenit calamitas.
Hodie ad hunc lenonem! Sed ego nunc est, quom memet moror.
Id negotium institutum est: non datur cessatio:
Nam et hoc docte consulendum, quod modo concreditum est,
Et illud autem inserviendum consilium est vernaculum. i. t.
Remora si sit: qui malam rem mihi det, merito fecerit. t.t.c.
Nunc intro ibo; dum herus adveniat a foro, opperiar domi.

H A N N O.

Yth elonim velonoth siccorathi, isemecon soth, V, 1.
Chi mlachai jithamu maslyah midabariim ischi,
Lapho canoth yth byn achi iadaedi ubynothai
Byruah rob syl elonim ubymisyrthohom.

H A N N O.

Memor ero deorum dearumque, urbem hanc tutantium,
Si negotia mea conficiuntur ex eorum edictis,
Ut filium mei fratris dilectissimum et meas gnatas redimam
Numine ipsorum providentiae.

788. *iam.* MSS.: *tam.* V.: *tum.* 790. Frustra libri: *si eadem.* 791. V., recepto glossemate *ἀμέτρῳ: Hero uni* etc. 792. Semel *quanta* legitur, versu *μειὕρῳ*. Secutus sum Taubmannum. Novimus similia Aristophanis. 794. *Id.* Malim *Ita.* 795. *docte.* ita Guil. V.: *nocte.* 799. Punica interpretatus est in programmatis hac de re scriptis clariss. Bellermannus.

Byterym mothou hanoth othi helech Antidamarchon,
Is seda li; brim tüfel yth chyl schichnatham liphah.
Yth byn amys dibru tham nocuth nu Agorastocles.
Hytham hanethi hy chir saelau hok; sith nose.
Banni ed chy lo' ili gebulin lasibit tham.
Bo dy aly therayn hynná, uysal ym manchid li sem.
Yth elonim velonoth siccorathi, motsim atticym meese.
Cancu biti mabel locutim beanut li, lacam tchona énus is.
Hoi chsi, lec po! anasse athar mas, conu elonim deberi tefelo na beth imi.

[Deos deasque veneror, qui hanc urbem colunt, i. s.
Ut, quod de mea re huc veni, rite venerim,
Measque hic ut gnatas et mei fratris filium
Reperire me siritis, di, vostram fidem!
Quae mihi subreptae sunt et fratris filius.
Sed hic mihi antehac hospes Antidamas fuit.
Eum fecisse aiunt, sibi quod faciundum fuit.
Eius filium esse hic praedicant Agorastoclem.
Deum hospitalem hanc tesseram mecum fero.
In hisce habitare monstratum est regionibus.
Hos percontabor, qui huc egrediuntur foras.]

Ante obitum suum hospitii ius mecum exercere solebat ille bonus Antidamarchon,
Vir, qui noverat me; sed nunc in alto congregatus est cum iis, quorum habitatio in splendore.
Filium illius viri probi huc habitatum iisse dicunt, Agorastoclem.
Tessera mea hospitalis rotunda est cum signo; eam mecum fero.
Dixit mihi quidam, in hac regione illum habitare.
Utinam aliquis hisce ex foribus exeat, quem rogem, an de eo certiorem facere me possit.
Memor ero deorum dearumque, utpote potentissimorum hac de re consiliariorum.
Liberate meos a luctu! eripite ex miseria me mea, siquidem propitii vos estis aegro!
O Spes, huc venias! Haud invitus ego perferam molestias, modo vos, dii, negotium meum adiuvetis curetisque, id quod precor, maternalem domum.

V.: *Measque ut gnatas.* MSS.: *M. hic ut* (Pal. *et*) *gn.*
Q. m. s. s. et fr. filius. V.: *filium.*
V.: *D. hosp. ac. tess.* Pal.: *D. h. arcesseram.*

Col tam com uero, lu anu et eni meab hoso ubere ben haac bagorastocles.
Hatte leanech oni soth, eli iaeli, cosalim dubar termicom: psu spatai.
Ha od aanec lictor bedes assam limno mkilus!

Quisque probus exsurgat et precetur: Utinam dii exaudiant lamentationem patris innocentiae, dignoscantque nepotem ope Agorastoclis.
Inclinamini ad querelam miseriae huius, dii mei auxilii, cumulantes beneficium vestrum! Tunc a lamentando abstinebunt labra mea.
Euge, larga tunc afferam sacrificia de frumento horrei in laudem!

AGORASTOCLES. MILPHIO. HANNO.

Ag. Ain' tu, tibi dixe Syncerastum, Milphio, i. s. V, 2.
Has esse ingenuas ambas subreptitias
Carthaginiensis? Mi. Aio et, si frugi esse vis,
Eas liberali iam adseres causa manu.
Nam tuom flagitium est, tuas te popularis pati
Servire ante oculos, domi quae fuerint liberae.
Ha. Proh di inmortales, obsecro vostram fidem,
Quam orationem hanc aures dulcem devorant?
Creta est profecto horunc hominum oratio,
Ut mi absterserunt omnem sorditudinem!
Ag. Si ad eam rem testis habeam: faciam, quod iubes.
Mi. Quid tu mihi testis? quin tu insistis fortiter?
Aliqua Fortuna fuerit adiutrix tibi.
Ag. Incipere multo est, quam inpetrare, facilius.
Mi. Sed quaenam illa avis est, quae huc cum tunicis advenit?
Numnam a balineis, circumductus pallio?
Ag. Facies quidem edepol Punica est. Gugga est homo.

822. Ita haec ordinat Gruter. Suspicc. 2, 5, merito probante Acidalio Divv. pag. 392. V. hic versus post sequentem inculcatus legitur. 829. Libri *ἀμέτρως*: *illaec.* 831. *Punica est. Gugga est homo.* Haec neque Pal. habet, neque antiquus liber ullus, qui quidem innotuerit. In pervetustis membranis se invenisse dicunt Lamb. et Turneb. Adverss. 10, 24. Quas membranas quia non accuratius describunt, dubitare licet, an non ipsi decepti ab aliquo nugatore fuerint. Certe simile huius et sequentis versus initium movet suspicionem, fuitque cum legendum putarem, excluso priore: — *pallio? Faveos quidem edepol veteres antiquosque habet.* Glossae, monente Ios. Scaligero ad Tibull. 4, 7: *Favea, παιδίσκη. Faveus, παῖς. Favea* dudum positum, eodem suadente viro docto, Mil. 793. Rara vox hic, ut illic, depravata fuerit, ut fieri solet in hoc genere. Satis autem similia inter se *Faveos* et *Facies.* Ceterum Gugga Afrum sonare volunt.

Mɪ. Servos quidem edepol veteres antiquosque habet.
Aɢ. Qui scis? Mɪ. Viden' homines sarcinatos consequi?
Atque digitos, ut opino, in manibus non habent.
Aɢ. Quid iam? Mɪ. Quia incedunt cum anulatis auribus.
Adibo atque hosce adpellabo Punice.
Si respondebunt: Punice pergam loqui;
Si non: tum ad horum mores linguam vortero.
Quid ais tu? ecquid adhuc conmeministi Punice?
Aɢ. Nil edepol: nam qui scire potui (dic mihi),
Qui illim sexennis perierim Carthagine?
Hᴀ. Proh di inmortales, plurimi ad hunc modum
Periere pueri libri Carthagine!
Mɪ. Quid ais tu? Aɢ. Quid vis? Mɪ. Vin' adpellem hunc Punice?
Aɢ. An scis? Mɪ. Est nullus me hodie Poenus Poenior.
Aɢ. Adi atque adpella, quid velit, quid venerit,
Qui sit, quoiatis, unde sit. Ne parseris.
Mɪ. Avo. Quoiates estis aut quo ex oppido?
Hᴀ. Hanno muthim balle. Bechaedreanech:
Aɢ. Quid ait? Mɪ. Hannonem sese ait Carthagine,
Carthaginiensis Muthumballis filium.
Hᴀ. Avo.... Mɪ. Salutat. Hᴀ. Donni. Mɪ. Doni volt tibi
Dare hic nescio quid. Audin' pollicerier?
Aɢ. Saluta hunc rursus Punice verbis meis.
Mɪ. Avo donni hicce item inquit tibi verbis suis.
Hᴀ. Me bar bocca! Mɪ. Istuc tibi sit potius, quam mihi!
Aɢ. Quid ait? Mɪ. Miseram esse praedicat buccam sibi.
Fortasse medicos nos esse arbitrarier.
Aɢ. Si ita est, nega esse: nolo ego errare hospitem.

Mɪ. Salvete. 848
Hᴀ. Sitis gratiosi, viri domini mei. In intimo meo est angor. 849
Salve .... — Domine mi. 852
Mɪ. Salve, mi domine — 855
Hᴀ. Misellum hominem! 856

834. Libri *ἀμέτρως: A., ut opinor, dig. in m. n. h. Opino* veteribus in usu fuisse docet Priscian. lib. 8 pagg. 797, 800. Putsch. 836. Sic plane Pal. (nisi quod habet *Audibo*) et vett. mediaeque edd. *Hosce* non eliditur. 841. *illim.* Sic vet. cod. Camerar. Par. Pal. et vett. edd.: *illum.* V.: *illinc.* Vide Mureti Varr. Lect. 12, 11, Sciopp. Susp. Lect. 1, 21, nos ad Bacchid. 285. 842. *plurimi* non liquescit. 851. Sic Pal., nisi quod scriptum ibi est *carthaginensis.* V.: *Carthaginiensem*, quod putidum. 855. V.: *A. d., hic mihi tibi inqu. v. s.*

Mi. Audi tu. Rufen nuco istam. Ag. Sic volo
Profecto vera cuncta huic expedirier.
Roga, numquid opus sit? Mi. Tu, qui zonam non habes,
Quid in hanc venistis urbem aut quid quaeritis?
Ha. Muphursa. Ag. Quid ait? Ha. Mure lech ianna.
Ag. Quid venit?
Mi. Non audis? muris Africanos praedicat
In pompam ludis dare se velle aedilibus.
Ha. Lech lachananim! liminichot! Ag. Quid nunc ait?
Mi. Ligulas, canalis, ait se advexisse et nuces:
Nunc orat, operam ut des sibi, ut ea veneant.
Ag. Mercator, credo, est. Ha. Is amar binam. Ag. Quid est?
Ha. Palu, mer, gad ectha! Ag. Milphio, quid nunc ait?
Mi. Palas vendundas sibi ait et mergas datas:
Ut hortum fodiat atque ut frumentum metat.
Ag. Quid istuc ad me? Mi. Certiorem te esse volt:
Ne quid clam furtive accepisse censeas.
Ad messim, credo, missus hic quidem tuam.
Ha. Muphone um sucorahim. Mi. Hem, cave, sis, feceris.
Quod hic orat. Ag. Quid ait aut quid orat? expedi.
Mi. Sub cratim ut iubeas sese supponi atque eo
Lapides inponi multos: ut sese neces.
Ha. Gun nebel balsamen ierasan! Ag. Narra, quid est,
Quod ait. Mi. Non hercle nunc quidem quidquam scio.
Ha. At ut scias: nunc dehinc Latine iam loquar.
Servom hercle te esse oportet et nequam et malum,
Hominem peregrinum atque advenam qui irrideas.
Mi. At hercle te hominem et sycophantam et subdolum,
Qui huc advenisti nos captatum, migdolibs,
Bisulcilingua, quasi proserpens bestia.
Ag. Maledicta hinc aufer! linguam conpescas face!
Maledicere huic tu temperabis, si sapis:
Meis consanguineis nolo te iniuste loqui.

Mi. — Medici nuco istam. 860
Ha. Hospitium. — Socius tibi explicabit. 864
Abi ad daemones! quiesce! 867
Vir dixit prudenter. 870
Ha. Ridete, cives, rem mirificam! 871
Involvitur insanus mendaciis. 877
Petulantiam stolidi dominus coelorum frenet! 881

878. Libri difficili numero: *Q. h. te orat.* 887. *migdolibs.* V: *migdylibs.* Libri vett.: *micdilia*, ut Pal., *migdilia*, *magdalia.*

Carthagini ego sum gnatus: ut tu sis sciens.
Ha. O mi popularis, salve! Ag. Et tu edepol, quisquis es;
Et si quid opus est, quaeso, dic atque impera,
Popularitatis causa. Ha. Habeo gratiam;
Verum hic hospitium ego habeo. Antidamae filium,
Quaeso, conmonstra, si novisti, Agorastoclem.
Ecquem adulescentem tu hic novisti Agorastoclem?
Ag. Si quidem Antidamai quaeris adoptatitium:
Ego sum ipsus, quem tu quaeris. Ha. Hem, quid ego audio?
Ag. Antidamae gnatum me esse. Ha. Si ita est: tesseram
Conferre si vis hospitalem, eccam attuli.
Ag. Agedum, huc ostende. — Est par probe: nam habeo domi.
Ha. O mi hospes, salve multum! nam mihi tuos pater
Patritus ergo hospes Antidamas fuit.
Fuit hospitalis tessera haec cum illo mihi.
Ag. Ergo hic apud me hospitium tibi praebebitur:
Namque haud repudio hospitium neque Carthaginem,
Unde sum oriundus. Ha. Di dent tibi omnes, quae velis.
Quid ais? qui potuit fieri, ut Carthagini
Gnatus sis, si hic autem Aetolum habuisti patrem?
Ag. Subreptus sum illim; hic hospes Antidamas tuos
Emit me, et is me sibi adoptavit filium.
Ha. Demarcho item ipse fuit adoptatitius.
Sed mitto de illo et ad te redeo. Dic mihi:
Ecquid meministi tuum parentum nomina?
Ag. Patris atque matris memini. Ha. Memoradum mihi,
Si novi forte aut si sunt cognati mihi.
Ag. Ampsigura mater mihi fuit, Iachon pater.
Ha. Patrem atque matrem viverent vellem tibi!
Ag. An mortui sunt? Ha. Factum, quod ego aegre tuli:
Nam mihi sobrina Ampsigura tua mater fuit,
Pater tuos erat frater patruelis meus,
Et is me heredem fecit, quom suom obiit diem,
Quo me privatum aegre patior mortuo.
Sed si ita est, ut tu sis Iachonis filius:
Signum esse oportet in manu laeva tibi,

892. Ita libri vetusti. V.: *natus.* 897. Sic Innt. Ald. V.: *Quaero.* 899. V. *Antidamarchi.* Vid. Acid. 905. Insulse libri vulgati: *nam mihi tuus pater*, *Pater tuus ergo hosp.* A. f. Pal.: — *pater Patruus ergo*, h. e. *Patritus.* Habet hanc vocem Plautus etiam alibi, legiturque apud Cic. etc. *Ergo*, certe, re vera. Non liquescit vox. 912. V.: *illinc.* Sequor Lambinum. 925. Inepte atque ἀμέτρως libri: *Pater t. is erat.*

Ludenti puero quod momordit simia.
Ostende: inspiciam. Ag. Ut perii: audivi. Ha. Atque adest.
Ag. Mi patrue, salve! Ha. Et tu salve, Agorastocles!
Iterum mihi gnatus videor, quod te reperi!
Mi. Pol istanc rem vobis bene evenisse gaudeo,
Et te moneri num nevis? Ha. Sane volo.
Mi. Paterna oportet filio reddi bona:
Aequom est, habere hunc bona, quae possedit pater.
Ha. Haud postulo aliter: restituentur omnia.
Suam rem sibi salvam sistam, si illo advenerit.
Mi. Facito, sis, reddas, etsi hic habitabit, tamen.
Ha. Quin mea quoque iste habebit, si quid me fuat.
Mi. Festivom facinus venit mi in mentem modo.
Ha. Quid id est? Mi. Tua opus est opera. Ha. Dic mihi, quid lubet.
Profecto uteris, ut voles, operam meam.
Quid est negoti? Mi. Potin' tu fieri subdolus?
Ha. Inimico possum; amico est insipientia.
Mi. Inimicus hercle est huius. Ha. Male faxim lubens.
Mi. Amat a lenone hic. Ha. Facere sapienter puto.
Mi. Leno hic habitat vicinus. Ha. Male faxim lubens.
Mi. Ei duae puellae sunt meretrices servolae
Sorores; earum hic alteram ecflictim perit,
Neque eam incestavit unquam. Ha. Acerba amatio est.
Mi. Nunc leno ludificatur. Ha. Suom quaestum colit.
Mi. Hic illi malam rem dare volt. Ha. Frugi, si id facit.
Mi. Nunc hoc consilium capio et hanc fabricam adparo,
Ut te adlegemus: filias dicas tuas
Subreptasque esse parvolas Carthagine,
Manuque liberali causa ambo adseras,
Quasi filiae tuae sint ambae. Intelllegis?
Ha. Intellego hercle: nam mihi item gnatae duae
Cum nutrice una sunt subreptae parvolae.
Mi. Lepide hercle adsimulas. Iam principium id mihi placet.
Ha. Pol mage, quam vellem! Mi. Heu, hercle mortalem catum

928. MSS.: *memordit.* 929. Vulgo: *O.*, ut *insp. aperi.* Ag. *vide, eccum adest.* Pal.: *O. inspice iam aperi. audi atque ades. Perii* est a Grutero, sed alia atque ea, quae novis placuit, sententia. *Ut perii*, postquam vel quando perii e patria, cum surreptus sum. Cf. scen. ult. v. 5, Rud. prol. 39, Rud. 649, Capt. 463 etc. *Peri* fere Pal. *pro perii.* 938. *habitabit.* MSS. et olim cusi: *habit, habet.* 947. Pal. non habet *Leno.* 956. Sic vett. edd. Vulgo ruente versu: *ambas.* 960. Libri: *Iam in principio id m. p.*

Malum crudumque et callidum atque subdolum!
Ut adflet, quo illud gestu faciat facilius!
Me quoque dolis iam superat architectonem.
Ha. Sed earum nutrix qua sit facie, mi expedi.
Mi. Statura haud magna, corpore aquilo, ... Ha. Ipsa ea est.
Mi. Specie venusta, os parva atque oculis pernigris.
Ha. Formam quidem hercle verbis depinxti probe.
Mi. Vin' eam videre? Ha. Filias malo meas.
Sed i atque illam evoca. Si eae meae sunt filiae,
Si illarum est nutrix: me continuo noverit.
Mi. Heus, ecquis hic est? Nuntiate, ut prodeat
Foras Giddeneme: est, qui illam conventam esse volt.

GIDDENEME. MILPHIO. HANNO. AGORASTOCLES. PUER.

Gi. Quis pultat? Mi. Qui te proxumus est. Gi. Quid vis? Mi. Eho, i. s. V, 3.
Novistin' tu illunc tunicatum hominem, qui siet?
Gi. Nam quem ego adspicio? Proh supreme Iupiter,
Herus hic quidem meus est, mearum alumnarum pater,
Hanno Carthaginiensis! Mi. Ecce autem mala!
Praestigiator hic quidem Poenus probust:
Perduxit omnis ad suam sententiam.
Gi. O mi here, salve, Hanno, insperatissume,
Mihi tuisque filiis, salve! atque eho!
Mirari noli neque me contemplarier.
Cognoscin' Giddenemen, ancillam tuam?
Ha. Novi. Sed ubi sunt gnatae meae? id scire expeto.
Gi. Apud aedem Veneris. Ha. Quid ibi faciunt? dic mihi.
Gi. Aphrodisia hodie Veneris est festus dies:
Oratum ierunt deam, ut sibi esset propitia.
Mi. Pol satis, scio, inpetrarunt: quando hic hic adest.
Ag. Eho, an huius sunt illaec filiae? Gi. Ita, ut praedicas.
Tua pietas plane nobis auxilio fuit:
Quom huc advenisti hodie in ipso tempore:
Namque hodie earum mutarentur nomina,
Facerentque indignum genere quaestum corpore.

967. Libri vett.: *Sp. v., ore a. o. p.* *Parvo* accessit ex Gellio N. A. 13, 28, uti et *probe* pro vulgato *mihi* sequente versu. 984. Ita libri vett. Vulgo: *Cognostin'*.

Pu. Han done, silli hanon benes illi, in mus tine.
Gi. Me ipsi et? enes tedum; et alam naces timim.
Ag. Quid illi locuti sunt inter se? dic mihi.
Mi. Matrem salutat suam hic, haec autem hunc filium.
Ha. Tace atque parce muliebri supellectili.
Mi. Quae ea est supellex? Ha. Clarus clamor sine modo.
Tu abduci hos intro et una nutricem simul
Iube ad ted hanc abire. Ag. Fac, quod imperat.
Gi. Sed qui illas tibi monstrabit? Ag. Ego doctissume.
Gi. Abeo igitur. Ag. Facias modo, quam memores, mavelim.
Mi Opino hercle hodie, quod ego dixi per iocum,
Id eventurum esse et severum et serium: ut
Haec inveniantur hodie esse huius filiae.
Ag. Pol istuc quidem iam certum est. Tu istos, Milphio,
Abduce intro; hasce nos hic praestolabimur.
Patruo advenienti coena curetur volo.
Mi. Lachanam vos, quos ego iam detrudam ad molas,
Inde porro ad puteum atque ad robustum codicem!
Ego faxo hospitium hoc leniter laudabitis.
Ag. Audin' tu, patrue? Dico, ne dictum neges:
Tuam mihi maiorem filiam despondeas.
Ha. Pactam rem habeto. Ag. Spondesne igitur? Ha. Spondeo.
Ag. Mi patrue, salve: nam nunc es plane meus!
Nunc demum ego cum illa fabulabor libere!
Nunc, patrue, si vis tuas videre filias,
Me sequere! Ha. Iamdudum equidem cupio et te sequor.
Ag. Quid, si eamus illis obviam? Ha. At, ne inter vias
Praeterbitamus, metuo. Magne Iupiter,
Restitue certas mi ex incertis nunc opes!
Ag. Ego quidem Amores mecum confido fore.
Sed eccas video ipsas. Ha. Haecine meae sunt filiae?

Pu. Laetatus est dominus meus, quod deus benigne reddidit has filias, non morti tradidit.
Gi. Quis me beatior? Dolor silebit! in aeternum gaudebimus beatissimi! 995
Mi. Ab daemones — 1011

1001. V.: *abduc.* Correxit Acid. Versus 1004 — 1027 vulgo hoc ordine leguntur: 1004, 1010 — 1027, 1005 — 1009, quasi Milphio adstare tam diu in scena cogitandus sit, quem Poenos intus abducere iussit herus 1002. 1008. Acidal. Divv. pagg. 396. sequ. ita ordinat: 1004, 1014 — 1027, 1010 — 1013. Ceterum ἀμέτρως legitur *Opinor* 1005, 1013 autem *leviter*, frequente lapsu librariorum. Pal. et vett. edd.: *leniter.* 1024. Insulse libri et ἀμέτρως: *E. q. amores meos meo. c. f.*

Quantae e quantillis iam sunt factae! AG. Scin', quid est
Tricarum? Sunt columnae: sustolli solent.

ADELPHASIUM. ANTERASTYLIS. AGORASTOCLES. HANNO.

AD. Fuit hodie operae pretium eius, qui amabilitati animum adiiceret, t. t. V, 4.
Oculis epulas dare, delubrum qui hodie ornatum invisere venit.
Deamavi ecastor illi ego lepidissuma munera meretricum,
Digna dea Venere venustissuma, neque contemsi eius opus hodie:
Tanta ibi copia venustatum aderat, in suo quaeque loco sita munde.
Arabus murrhinusque omnia odor conplebat. Haud sordere visust
Festus dies, Venus, nec tuom fanum: tantus clientarum ibi erat numerus,
Quae Calydoniam venerant Venerem. t. d.
AN. Certo enim, quod quidem ad nos duas attinuit, praepotentes, pulcrae. t. t.
Pacisque fuimus, soror, potentes, neque ab iuventute inridiculo
Habitae ibi, quod ceteris pol omnibus, soror, factum est. AD. Malim
Istuc aliis ita videatur, quam ut tu te, soror, conlaudes.
AN. Spero equidem. AD. Et pol ego, quom, ingeniis quibus sumus atque aliae, cognosco. t. t.
Eo sumus gnatae genere, ut esse deceat nos a culpa castas.
HA. Iupiter, t. c.
Qui genus colis alisque hominum, per quem vivimus vitalem aevom, t. t.
Quem penes spes vitae, da sospitem hunc diem, quaeso, rebus agundis

1027. *Tricarum.* MS. Scalig.: *Trecae*, Pal. *threce*, vet. cod. Camerar.: *thraece*, unde fecerunt *Graecae*, quod v. legitur. Sed omnes nimirum columnae sustolluntur. 1029. V.: *orn. eo vis. c.* 1030. V.: *D. e. illic ego hod. lep. m. m.*, et sequ. v.: *D. diva venust. Ven.* 1033. V.: *Arabius*, sed Charis.: *Arabus*, quemadmodum Propert. dixit *Arabo odore.* Cf. Guil. Quaest. in Poen. c. 3. Male itidem libri: *A. m. omnis od.* Sequor Camerarium. 1035. *venerant, venerantur*, ut Hic etiam alibi. V.: *Q. ad Cal. venerant Ven.* 1044. V.: *Q. p. spes vitae sunt hominum omnium, da* etc., quae vel ipsius indicio metri falsa agnoscantur.

Meis! Quibus annos multos carui, quasque e patria perdidi parvas,
Redde his libertatem: invictae praemium ut esse sciam pietati.
AG. Omnia faciet Iupiter faxo: nam est mi obnoxius et me metuit.
HA. Tace, quaeso. AG. Ne lacruma, patrue.' t. d.
AN. Ut volupe est homini, mea soror, si, quod agit, cluet victoria, i. t.
Sicut hodie nos inter alias praestitimus pulcritudine.
AD. Stulta, soror, es mage, quam volo. AN. Ain' vero? AD. Pulcran', obsecro,
Videre, si tibi illi non os oblitum est fuligine?
AG. O patrue, o mi patrue patruissume! i. s.
HA. Quid est, mei fratris gnate? quid vis, expedi.
AG. At enim volo hoc agas. HA. At enim ago istuc. AG. Patrue mi patruissume! i. t.
HA. Quid est? AG. Est lepida et lauta! Ut sapit! HA. Ingenium habet patris, quod sapit.
AG. Quae res? Iam diu edepol tuam sapientiam haec quidem abusa est; i. t. c.
Nunc hinc sapit, quidquid sapit; hinc sentit, e meo amore.
AD. Non eo sumus prognatae genere, tametsi sumus servae, soror, t. t. c.
Ut deceat nos facere quidquam, quod homo quisquam inrideat.
Multa mulierum sunt vitia; sed hoc e multis maxumum est,
Quom sibi nimis placent, minusque operant uti placeant viris.
AN. Nimiae voluptati est, quod in extis nostris portentum est, soror,
Quod haruspex de ambabus dixit.... AG. Velim de me aliquid dixerit!
AN. Nos fore domino invito nostro diebus paucis liberas.
Id ego, nisi quid di aut parentes faxint, qui sperem, haud scio.
AG. Mea fiducia hercle haruspex, patrue, his promisit, scio,

1051. V.: — *volo. an vero pulchra vid.*, *obs.*, etc. 1054. Inepte legitur: *Q. e.*, *f. mei g.? mi gnate*, *quid vis? exp.* Pal.: *quidem fr. mei gnate gnate q. exp.* Ab ed. Mediol. a. 1500 aliisque vett. verba *mi gnate* absunt. 1058. V.: *amore meo sapit.* Sed tertium istud *sapit* non habetur in libris vett. Vet. MS. Camerar.: *e meo amore.* 1062. V.: *Q. s. n. p.*, *nimisque operam dant ut pl. v.* Verbum *dant* non legitur in MSS. et edd. vett. Pal. et Mediol. 1500: *minusque operam* (h. e. *operant*) *ut pl. v.* 1064. Libri: *Quodque*, ἀμέτρως quidem.

Libertatem: quia me amare hanc scit. **Ad.** Soror, sequere hac. **An.** Sequor.
Ha. Priusquam abitis, vos volo ambas. Nisi piget, consistite.
Ad. Quis revocat? **Ag.** Qui bene volt vobis facere. **Ad.** Facere occasio est.
Sed quis homo est? **Ag.** Amicus vobis. **Ad.** Qui quidem non inimicus est.
Ag. Bonus est hic homo, mea voluptas. **Ad.** Pol istunc malim, quam malum.
Ag. Si quidem amicitia est habenda: cum hoc habenda est. **Ad.** At precor.
Ag. Multa volt bona vobis facere. **Ad.** Bonus bonis beneFeceris.
Ha. Gaudio ero vobis .... **Ad.** At edepol nos voluptati tibi.
Ha. Libertatique. **Ad.** Isto pretio tuas nos facile feceris.
Ag. Patrue mi, ita me di amabunt, ut ego, si sim Iupiter,
Iam hercle illanc uxorem ducam et Iunonem extrudam foras!
Ut pudice verba fecit cogitate et commode!
Ut modeste orationem praebuit! Certo haec mea est!
Ha. Sed ut astu sum adgressus ad eas! **Ag.** Lepide hercle atque commode.
Ha. Pergo etiam tentare? **Ag.** In pauca confer: sitiunt, qui sedent.
Ha. Quid? istuc, quod faciundum est, cur non agimus? In ius vos voco. i. t.
Ag. Nunc tene tu, patrue, si bonae es frugi! Vin' hanc adprendam? i. t. c.
Ad. An patruos est, Agorastocles, tuos hic? **Ag.** Iam faxo scibis.
Nunc pol ego te ulciscar probe: nam faxo mea eris sponsa.
Ha. Ite in ius! ne moramini! **An.** Antestare me atque duce.
Ag. Ego te antestabor; postea hanc amabo atque amplexabo.
Sed illuc, quod volui.... **Ad.** Dice. **Ag.** Imo hercle dixi, quod volebam.
Ha. Moramini. In ius vos voco, nisi honestiust prehendi.
Ad. Quid in ius vocas nos? quid tibi debemus? **Ag.** Dicet illi.

1073. Inurbane libri: *Haud precor.* 1078. V.: *I. h. ego ill.* 1084. V.: **Ag.** *N. tene, patrue.* **Ha.** *tu, frugi si bonae es.* **Ag.** *vin' ego hanc apprehendam* (MSS.: *ad praedam*, h. e. *adprendam*)? **Ha.** *tene.* Sed posterius *tene* abest a libris vett., neque sub alia quam Agorastoclis persona haec omnia leguntur in Palatino. 1089. V.: *S. i. quidem vol. dicere, imo dixi hercle q. v.* Vet. cod. Camerar.: *S. i. quid volui dece*, h. e. *dice*.

AD. Etiam me meae latrant canes? AG. At tu hercle adludiato;
Dato mihi pro offa savium, pro osse linguam obicito:
Ita hanc canem faciam tibi oleo tranquilliorem.
HA. Ite, si itis. AD. Quid nos fecimus tibi? HA. Fures estis ambae. t. t.
AD. Nosne tibi? HA. Vos, inquam. AG. Atque ego scio. AD. Quid id est furti? AG. Hunc rogato.
HA. Quia annos multos filias meas celavistis clam me, i. t. c.
Atque equidem ingenuas liberas summoque genere gnatas.
AD. Nunquam mecastor reperies tu istuc probrum penes nos.
AG. Da pignus, ni nunc peieres, in savium; uter utri det.
AD. Nil tecum ago: abscede, obsecro. AG. Atque hercle mecum agendum est:
Nam hic patruos meus est: pro hoc mihi patronus sim necesse est,
Et praedicabo, quomodo vos furta facitis multa,
Quoque modo huiusce filias apud vos habetis servas,
Quas vos ex patria liberas subreptas esse scitis.
AD. Ubi sunt eae aut quae, obsecro? AG. Satis sunt maceratae.
HA. Quin eloquar. AG. Ego censeo hercle, patrue. AD. Misera timeo,
Quid hoc sit negoti, mea soror: ita stupida sine animo adsto.
HA. Advortite animum, mulieres. Primum, si id fieri posset,
Ne indigna indignis di darent, id ego evenire vellem;
Nunc quod boni mihi di danunt vobis vostraeque matri,
Eo dis est aequom gratias nos agere sempiternas,
Quom nostram pietatem adprobant decorantque di inmortales.
Vos meae estis ambae filiae et hic est cognatus voster,
Huiusce fratris filius, Agorastocles. AD. Amabo,
Num hic falso oblectat gaudio nos? AG. At me ita di servent,
Ut pater est voster! Date manus. AD. Salve, insperate nobis
Pater, et conplecti nos sine! AN. Cupite atque exspectate
Pater, salve! Ambae filiae sumus: amplectamur ambae.
AG. Quis me amplectetur postea? HA. Nunc ego sum fortunatus!

1093. Sic libri vett. V.: *obiicito*. 1103. Libri ἀμέτρως: *faciatis*. 1104. Ita vet. cod. Camerar. V.: *habeatis*. 1106. V.: *aut quae sunt, obs.?* MSS.: *a. quas o.* 1107. V. abest *Ego*. Sed Pal. et vett. edd.: *censeo ergo patr.* 1111. Edd. ἀμέτρως: *dant*. Pal.: *danint*. 1116. Libri: *N. hi f. oblectant* etc. 1117. V. corrupto metro: *Ut hic pat. est voster.* 1118. V.: *P.: te compl. nos s.* Pal.: *pater ecomplecti nosse ne cup. a. e.* Neque aliter vet. cod. Camerar.

Multorum annorum miserias nunc hac voluptate sedo!
Ad. Vix hoc videmur credere. Ha. Mage qui credatis, dicam:
Nam nutrix primum vostra me cognovit. Ad. Ubi ea, amabo, est?
Ha. Apud hunc est. Ag. Quaeso, qui lubet tam diu tenere collum,
Priusquam te mihi desponderit? Ad. Mitto. Ag. Sperata, salve . . . .
Ad. Omitte salutem. Ag. Et tu altera. An. Nolo istuc: enicas me!
Ha. Condamus alter alterum ergo in nervom brachialem!
Quibus nunc in terra melius est? Ag Eveniunt digna dignis.
Tandem huic cupitum contigit! O Apella, o Zeuxis pictor,
Cur numerod estis mortui? hinc exemplum ut pingeretis!
Nam alios pictores nil moror huiusmodi tractare exempla.
Ha. Di deaeque omnes, vobis habeo merito magnas gratias, t. t. c.
Quom hac laetitia tanta et tantis me adfecistis gaudiis,
Ut meae gnatae ad me redirent in potestatem meam!
Ad. Mi pater, tua pietas plane nobis auxilio fuit.
Ag. Patrue, facito in memoriam habeas, tuam maiorem filiam
Mihi te despondisse.... Ha. Memini. Ag. Et dotis quid promiseris.

ANTHEMONIDES. ADELPHASIUM. ANTERASTYLIS. HANNO. AGORASTOCLES.

A. Si ego minam non ultus fuero probe, quam lenoni dedi: t. t. c. V, 5.
Tum profecto me sibi habento scurrae ludificatui!
Is etiam me ad prandium ad se abduxit ignavissumus,
Ipse abiit foras, me reliquit pro atriensi in aedibus.
Ubi nec leno neque illae redeunt, nec, quod edim, quidquam datur:
Pro minore parte prandi pignus cepi, abii foras.
Sic dedero! aere militari tetigero lenunculum!
Nactus est hominem, mina quem argenti circumduceret!
Sed mea amica nunc mihi irato obviam veniat velim.

1122. Ita vett. edd. V.: *videamur.* 1125. Libri impingente versu: *Omitto.* 1126. V.: *Nolo ego istuc.*

Iam pol ego illam pugnis totam faciam uti sit merulea
Ita replebod atritatis, atrior multo ut siet
Quamde Aegyptii aut, qui cortinam ludis per circum ferunt!
Ad. Tene, sis, me arte, mea voluptas: male ego metuo miliüos:
Mala illaec bestia est: ne forte me auferat, pullum tuom. i. t.
An. Ut nequeo te satis conplecti, mi pater! A. Ego me moror. t. t. c.
Propemodum istoc obsonare prandium potero mihi.
Sed quid hoc est? quid hoc? quid hoc est? quid ego video? quomodo?
Quid hoc est conduplicationis? quae haec est congeminatio?
Quis hic homo est cum tunicis longis, quasi puer cauponius?
Satin' ego oculis cerno? estne illaec mea amica Anterastylis?
Et ea certo est! Iampridem ego me sensi nihili pendier.
Non pudet puellam amplexari alliolum in media via?
Iam hercle ego illunc excruciandum totum carnufici dabo!
Sane genus hoc muliebrosum est tunicis demissitiis.
Sed adire certum est hanc ad amatricem Africam. i. s.
Heus tu, tibi dico, mulier, ecquid te pudet?
Quid tibi negoti autem est cum istac? dic mihi.
Ha. Adulescens, salve. A. Nolo: nihil ad te attinet.
Quid hanc tibi digito tactio est? **Ha.** Quia mihi lubet.
An. Lubet? **Ha.** Ita dico. A. Ligula, i in malam crucem!
Tune hic amator audes esse, hallex viri,
Aut contrectare, quod mares homines amant,
Deglupta maena, sarapis, semicinctium,
Mastruga, halagoras, hama, tum autem plenior
Alli ulpicique quam Romani remiges?
Ad. Num tibi, adulescens, malae aut dentes pruriunt,
Qui huic es molestus, an malam rem quaeritas?
A. Cur ne adhibuisti, dum istaec loquere, tympanum?
Nam te cinaedum esse arbitror mage, quam virum.
Ag. Scin', quam cinaedus sum? Ite istinc, servi, foras!
Ecferte fustis! A. Heus tu, si quid per iocum
Dixi: nolito in serium convortere.

1147. Sic libri vett. V.: *morula.* 1148. V.: *atritate*, et v. sequ.: *Quam*, quod non sufficit metro. 1151. Libri molestiore ὁμοιοτελεύτῳ: *Mala illa bestia est.* 1155. V. hiante versu: *P. hoc obs.* 1159. Libri: *baliolum*, pro *haliolum*, puto, h. e. *alliolum.* 1170. Ita Meurs. Edd. vett.: *senicinctium.* V.: *Sarrapis sementium.* 1175. Ita Camerarii vetus cod. V.: *loquereris*, quod versus non fert. 1178. Sic MSS. V.: *Efferte.*

An. Quid tibi lubido est, obsecro, Anthemonides,
Loqui inclementer nostro cognato et patri?
Nam hic noster pater est; hic nos cognovit modo
Et hunc sui fratris filium. A. Ita me Iupiter
Bene amet, bene factum! gaudeo et volupe est mihi,
Si quid lenoni obtigit magni mali,
Quomque e virtute vobis fortuna obtigit!
An. Credibile ecastor dicit: crede huic, mi pater.
Ha. Credo. Ag. Et ego credo. Sed eccum lenonem Lycum!
Bonum virum, eccum, video; se recipit domum.
Ha. Quis hic est? Ag. Utrumvis est, et leno et Lycus.
In servitute hic filias habuit tuas,
Et mi auri hic fur est. Ha. Bellum hominem, quem noveris!
Ag. Rapiamus in ius. Ha. Minume. Ag. Quapropter?
Ha. Quia
Iniuriarum multam indici satius est.

LYCUS. AGORASTOCLES. HANNO. ANTHEMONIDES.

Ly. Decipitur nemo mea quidem sententia, i. s. V, 6.
Qui suis amicis narrat recte res suas:
Nam omnibus amicis meis idem unum convenit,
Ut me suspendam, ne addicar Agorastocli.
Ag. Leno, eamus in ius. Ly. Obsecro te, Agorastocles,
Suspendere ut me liceat. Ha. In ius te voco.
Ly. Quid tibi mecum autem? Ha. Quia hasce modo aio liberas
Ingenuasque esse filias ambas meas.
Eae sunt subreptae cum nutrice parvolae.
Ly. Iampridem equidem istuc scivi et miratus fui,
Venire neminem, istas qui adsereret manu.
Meae quidem profecto non sunt. A. Leno, in ius eas.
Ly. De prandio tu dicis: debetur, dabo.
Ag. Duplum pro furto mihi opus est. Ly. Sume hinc quidem.
Ha. Et mihi suppliciis multis. Ly. Sume hinc quidlubet.
A. Et mihi quidem mna argenti. Ly. Sume hinc quidlubet.
Collo rem solvam iam omnibus, quasi baiolus.

1185. Ita vett. edd. MSS.: *Siquidem.* V.: *Siquidem quid len.* 1186. Fort.: *accidit.* 1194. V.: *dici.* Libri vett.: *induci,* εἰράγεσθαι. Vid. Muret. V. L. 11, 19. Sciopp. S. L. pag. 74. 1200. Libri ἀμέτρως: *Leno, in te v.* 1201. V.: *Q. h. aio lib.* Pal.: *Q. h. modo lib.* Fort.: *Q. h. domi a lib.* etc.

Ag. Numquid recusas contra me? Ly. Advorsum quidem.
Ag. Ite igitur intro, mulieres. Sed, patrue mi,
Tuam, ut dixisti, mihi desponde filiam.
Ha. Haud aliter ausim. A. Bene vale. Ag. Et tu bene vale.
A. Leno, arrhabonem hoc pro mina mecum fero.
Ly. Perii hercle! Ag. Imo haud multo post, quom in ius veneris.
Ly. Quin egomet tibi me addico: quid praetore opust?
Verum obsecro te, ut liceat simplum solvere,
Trecentos Philippos. Credo, conradi potest.
Cras auctionem faciam. Ag. Tantisper quidem
Ut sis apud me lignea in custodia.
Ly. Fiat. Ag. Sequere intro, patrue mi: ut festum hunc diem
Habeamus hilare, huius malo et nostro bono.
Multum valete. Multa verba fecimus;
Malum postremo hoc omne ad lenonem redit.
Nunc, quod postremum est condimentum fabulae,
Si placuit, plausum postulat comoedia.

AGORASTOCLES. LYCUS. HANNO. ADELPHASIUM. ANTERASTYLIS. ANTHEMONIDES.

Ag. Quam rem agis, miles? qui lubet patruo meo 1. 2.
Loqui inclementer? Ne mirere, mulieres
Quod eum sequuntur: modo cognovit filias
Suas esse hasce ambas. Ly. Hem, quod verbum auris meas
Tetigit? Nunc perii! Unde haece perierunt domo?
Ag. Carthaginienses sunt. Ly. At ego sum perditus!
Illud ego metui semper, ne cognosceret
Eas aliquis; quod nunc factum est. Vae misero mihi!
Periere, opinor, duodeviginti minae,
Qui hasce emi. Ag. Et tute ipse periisti, Lyce.
Ha. Quis hic est? Ag. Utrumvis, vel leno, vel Lycus.
In servitute hic filias habuit tuas,

1224. Ita Palmer., probante Bentleio ad Terent. Ad. 2, 4, ult. Cf. Epid. 150 sequ.

1. *Q. rem agis, miles?* Ita codex Ambros. Vulgo: *Q. r. agit is miles.* 5. Vulgo *hae*, hiante versu. Ambros.: *haec*, h. e. haece. 10. Sic idem codex. Ceteri minus ἐμμέτρως: *tu.* Post hunc vers. frustra repetitur 6. 11. Mirifice libri: Ha. *quis hic est? Utrum is* (Pal.: *utrumvis*) *est novelle novellicus.* Vide, quem fucum librariis faciat nonnunquam scriptura continua! Nam haec secundum versum 1190. corrigenda vidi. 12. V.: *duas.*

Et mi auri fur est. Ha. Bellum hominem, quem noveris!
Ag. Leno, rapacem te esse semper credidi;
Verum et furacem n o r u n t, qui norunt magis.
Ly. Accedam. Per ego te tua genua obsecro
Et hunc, cognatum quem tuum esse intelligo:
Quando boni estis, ut bonos facere addecet,
Facitote et vostro subveniatis supplici!
Iampridem equidem istas esse scivi liberas
Et exspectabam, si quis adsereret manu
Eas: nam meae prorsus non sunt. Tum autem aurum tuum
Reddam, quod apud me est, et iusiurandum dabo,
Me malitiose nil fecisse, Agorastocles,
Ag. Quod mihi par facere est, tamen egomet consulam.
Omitte genua. Ly. Mitto, si ita sententia est.
Ag. Heus tu, leno. Ly. Quid lenonem vis inter negotium? t. t. c.
Ag. Ut nunc argentum mihi reddas, priusquam in nervom abducere.
Ly. Di meliora faxint! Ag. Sic est: video, coenabis foris.
Aurum, argentum, collum, leno, tris res nunc debes simul.
Ha. Quid med hac re facere deceat, egomet mecum cogito.
Si volo hunc ulcisci: lites sequar in alieno oppido.
Quantum audivi, ingenium et mores eius quo pacto sient....
Ad. Mi pater, ne quid tibi cum istoc re siet. Ha. At mas sum. An. Obsecro,
Ausculta sorori! Abi, disiunge inimicitias cum improbo.
Ha. Hoc age, sis, leno. Quamquam ego te meruisse, ut pereas, scio:
Non experiar tecum. Ag. Neque ego, si aurum mihi reddes meum,
Leno, quando, ex nervo emissus, — compingare in carcerem.
Ly. Iam autem, ut soles? — Ego, Poene, me tibi purgatum volo.
Si quid dixi iratus advorsum animi tui sententiam:
Id ut ignoscas, quaeso; et quom istas invenisti filias,
Ita me di ament, mihi voluptast. Ha. Ignosco et credo tibi.
A. Leno, tu aut amicam reddas facito aut auri mihi minam.

15. V.: *V. etiam fur., qui n. m.* 19. Libri ἀμέτρως: *Facite.* 25. V.: *Q. m. p. fac., tamen* etc. Pal.: Q. m. p. facere sit cum e. c. 28. V.: *Utinam mihi arg. r., pr. hinc* (hoc verbum abest a Palatino) *in n. a.* 30. V.: *A., a., c., Lenostris, te* n. d. s. Pal. *re* pro *te.* Fort.: *leno, has tris res.* Cf. Truc. 895. 34. V.: — *ist. rei s., te maxume obs.* Pal.: *i. r. s. ac massum obs.* 37. Sic plane Pal. V.: abest *ego.* Idem et vett. edd.: *reddes*, cum vulgo legatur *reddas.* 39. Sic iidem libri. V.: *solet.* 43. V., versu nimio: *L., tu a. a. mihi des f. a. a. reddas mihi m.*

Ly. Vin' tibicinam meam habere? A. Nil moror tibicinam:
Nescias, utrae ei maiores, buccaene an mammae, sient.
Ly. Dabo, quae placeat. A. Cura. Ly. Aurum cras ad te referam tuum.
Ag. Facito in memoria habeas. Miles, sequere me. A. Ego vero sequor.
Ag. Quid ais, patrue? quando hinc ire cogitas Carthaginem?
Nam tecum una me ire certum est. Ha. Ubi primum potero, illico.
Ag. Dum auctionem facio, hic opus est aliquot ut maneas dies.
Ha. Faciam ita, ut vis. Ag. Age, sis, eamus; nos curemus. Plaudite.

46. Sic Pal., vel potius *que*. V.: *quod*.

PSEUDOLUS.

ARGUMENTUM.

Praesentis numerat quindecim miles minas; i. s.
Simul consignat symbolum: ut Phoenicium
Ei det leno, qui eum cum reliquo adferat.
Venientem caculam intervortit symbolo,
Dicens Syrum se Ballionis, Pseudolus,
Opemque herili ita tulit: nam Simmiae
Leno mulierem, quem is supposuit, tradidit.
Venit Harpax verus: res palam cognoscitur
Senexque argentum, quod erat pactus, reddidit.

V. 6. Vulgo, refragantibus libris vett.: *tetulit*. Vocabulum *herili* non liquescit. V. quoque: *Simiae*, sed Pal.: *si nimię*, h. e., ni fallor, *Simmiae*.

DRAMATIS PERSONAE.

PSEUDOLUS.
CALLIDORUS.
BALLIO.
LORARIUS.
SIMO.
CALLIPHO.
HARPAX.
CHARINUS.
PUER.
COCUS.
SIMMIA.
PHOENICIUM, muta persona.

P R O L O G U S.

Studete hodie mihi: bona in scenam affero:
Nam bona bonis ferri reor aequum maxume,
Ut mala malis: ut, qui mali sunt, habeant mala,
Qui boni, bona. Bonos quod oderint mali,
Sunt mali; malos quod oderint boni, bonos
Esse oportet; vosque ideo estis boni, quandoquidem
Semper odistis malos et lege et legionibus
Hos fugitastis, Quirites, successis bonis.
Huic vos nunc pariter bonam operam date gregi,
Qui bonus est et hodie ad bonos affert bona.
Aures, oculi, animus ampliter fient saturi.
In scenam qui ieiunus venerit aut sitiens,
Is risu et ventre raso vigilabit sedulo:
Dum ridebunt saturi, mordebunt famelici.
Nunc, si sapitis, cedite ieiuni atque discedite.
Vos saturi, state, imo sedete atque attendite.
Non argumentum neque huius nomen fabulae
Nunc proloquar ego: satis id faciet Pseudolus:
Satis id dictum vobis puto iam atque deputo.
Ubi lepos, ioci, risus, vinum, ebrietas decens,
Gratiae, decor, hilaritas atque delectatio,
Qui quaerit alia, is malum videtur quaerere.
Curas malas abiicite iam, ut otiosi, hodie.
Exporgi meliust lumbos atque exsurgere: i. s.
Plautina longa fabula in scenam venit.

PSEUDOLUS. CALLIDORUS.

Ps. Si ex te tacente fieri possem certior, i. s. I, 1.
Here, quae miseriae te tam misere macerant:
Duorum labori ego hominum parsissem lubens,
Mei te rogandi et tui respondendi mihi;

24. V. *exsurgier.* Pal. *exurger.* Sequor Pareum.

Nunc quoniam id fieri non potest: necessitas
Me subigit, ut te rogitem. Responde mihi:
Quid est, quod tu exanimatus iam hos multos dies
Gestas tabellas tecum, eas lacrumis lavis,
Neque tui participem consili quemquam facis?
Eloquere: ut, quod ego nescio, id tecum sciam.
Ca. Misere miser sum, Pseudole! Ps. Id te Iupiter
Prohibessit! Ca. Nihil hoc Iovis ad iudicium attinet;
Sub Veneris regno vapulo, non sub Iovis.
Ps. Licet me id scire quid sit? nam tu me antidhac
Supremum habnisti comitem consiliis tuis.
Ca. Idem animus nunc est. Ps. Fac me certum, quid tibi est.
Aut re iuvabo aut opera aut consilio bono.
Ca. Cape has tabellas: tute hinc narrato tibi,
Quae me miseria et cura contabefacit.
Ps. Mos tibi geretur. Sed quid hoc, quaeso? Ca. Quid est?
Ps. Ut opinor, quaerunt literae haec sibi liberos:
Alia aliam scandit. Ca. Ludis me ludo tuo.
Ps. Has quidem pol credo, nisi Sibylla legerit,
Interpretari alium posse neminem.
Ca. Cur inclementer dicis lepidis literis,
Lepidis tabellis, lepida conscriptis manu?
Ps. An, obsecro hercle, habentque gallinae manus?
Nam has quidem gallina scripsit. Ca. Odiosus mihi es.
Lege, vel tabellas redde. Ps. Imo enim perlegam.
Advortito animum. Ca. Non adest. Ps. At tu cita.
Ca. Imo ego tacebo; tu istinc ex cera cita:
Nam istic meus animus nunc est, non in pectore.
Ps. Tuam amicam video, Callidore. Ca. Ubi ea, obsecro, est?
Ps. Eccam in tabellis porrectam; in cera cubat.
Ca. At te di deaeque, quantum est.... Ps. Servassint quidem!
Ca. Quasi solstitialis herba paulisper fui:
Repente exortus sum, repentino occidi.
Ps. Tace, dum tabellas perlego. Ca. Ergo quin legis?
Ps. „Phoenicium Callidoro, amatori suo,
„Per ceram et linum literasque interpretes
„Salutem mittit et salutem abs te expetit,
„Lacrumans, titubanti animo corde et pectore."
Ca. Perii, salutem nusquam invenio, Pseudole,

21. V. *hae*, ὁμοιοτελεύτῳ parum suavi. 24. V.: *potesse*, sed sine suffragio antiquitatis. 27. Sic libri vett. V. ex interpretatione: *habent quoque*. 31. *istinc*, ut statim *istic*. V.: *hic*.

Quam illi remittam! Ps. Quam salutem? Ca. Argenteam,
Ps. Pro lignean' salute vis argenteam
Remittere illi? Vide sis, quam tu rem geras.
Ca. Recita modo: ex tabellis iam faxo scies,
Quam subito argento mi usus invento siet.
Ps. „Leno me peregre militi Macedonico
„Minis viginti vendidit, voluptas mea;
„Et priusquam hinc abiit, quindecim miles minas
„Dederat: nunc unae quinque remorantur minae:
„Ea causa miles hic reliquit symbolum
„Expressam in cera ex anulo suam imaginem:
„Ut, qui huc adferret eius similem symbolum,
„Cum eo simul me mitteret. Ei rei dies
„Haec praestituta est, proxuma Dionysia."
Ca. Cras ea quidem sunt: prope adest exitium mihi,
Nisi quid mihi in te est auxili. Ps. Sine perlegam.
Ca. Sino: nam mihi videor cum ea fabularier.
Lege! dulce amarumque una nunc misces mihi.
Ps. „Nunc nostri amores, mores, consuetudines,
„Iocus, ludus, sermo, suavis saviatio,
„Conpressiones artae amantum conparum,
„Teneris labellis molles morsiunculae,
„Papillarum horridularum oppressiunculae,
„Harunc voluptatum mi omnium atque itidem tibi
„Distractio, discidium, vasticies venit,
„Nisi quae mihi in te est aut tibi est in me salus.
„Haec, quae ego scivi, ut scires, curavi, omnia;
„Nunc ego te experiar, quid ames, quid simules. Vale."
Ca. Est misere scriptum, Pseudole! Ps. O miserrume!
Ca. Quin fles? Ps. Pumiceos oculos habeo: non queo
Lacrumam exorare ut exspuant unam modo.
Ca. Quid ita? Ps. Genus nostrum semper siccoculum fuit.
Ca. Nilne adiuvare me audes? Ps. Quid faciam tibi? Ca. Heu!
Ps. Heu? Id quidem tibi hercle, ne parsis, dabo.
Ca. Miser sum: argentum nusquam invenio mutuom . . .
Ps. Eheu! Ca. Neque intus numus ullus est. Ps. Eheu!
Ca. Ille abducturus mulierem cras est. Ps. Eheu!
Ca. Istoccine pacto me adiuvas? Ps. Do id, quod mihi est:
Nam is mihi thesaurus iugis in nostra est domo.
Ca. Actum hodie de me est! Sed potes nunc mutuam
Drachmam mihi unam dare, quam cras reddam tibi?
Ps. Vix hercle opinor, si me opponam pignori.

79. V.: — *mutuom, Pseudole.* Ps. *heu!* Ca. *neque* etc. *ἀμέτρως* quidem. MSS.: *eheu.* 81. V. rudi numero: *adiutas.* MSS. *adtuas*

Sed quidnam drachma facere vis? Ca. Restim volo
Mihi emere. Ps. Quamobrem? Ca. Qui me faciam pensilem:
Certum est mihi ante tenebras tenebras persequi.
Ps. Quis mi igitur drachmam reddet? Non dederim tibi?
An ea te causa vis sciens suspendere,
Ut me defrudes drachma, si dederim tibi?
Ca. Profecto nullo pacto possum vivere,
Si illa a me abalienatur atque abducitur.
Ps. Quid fles, cucule? Vives. Ca. Quid ego ni fleam,
Quoi nec paratus numus argenti siet,
Neque libellai spes sit usquam gentium?
Ps. Ut literarum ego harunc sermonem audio,
Nisi tu illi lacrumis fleveris argenteis,
Quod tu istis lacrumis te probare postulas,
Non pluris refert, quam si imbrem in cribrum geras.
Verum ego te amantem (ne pave) non deseram.
Spero, alicunde hodie me bona operad hac mea
Tibi inventurum esse auxilium argentarium.
Ca. At qui id futurum? unde? Ps. Unde dicam, nescio;
Nisi quia futurum est: ita supercilium salit.
Ca. Utinam, quae dicis, dictis facta suppetant!
Ps. Scis tu quidem hercle, mea si conmovi sacra,
Quo pacto quantas soleam turbelas dare.
Ca. In te nunc spes sunt omnes aetati meae.
Ps. Satin' est, si hanc hodie mulierem ecficio tibi,
Tua ut sit, aut si tibi do viginti minas?
Ca. Satis, si futurum est. Ps. Roga me viginti minas:
Ut me ecfecturum tibi, quod promisi, scias.
Roga, obsecro hercle: gestio promittere.
Ca. Dabisne argenti mi hodie viginti minas?
Ps. Dabo. Molestus nunc iam ne sis mihi.
Atque hoc, ne dictum tibi neges, dico prius:
Si neminem alium potero, tuom tangam patrem.
Ca. Di te mihi omnes servent! Verum, si potes,
Pietatis causa vel etiam matrem quoque.

86. V.: *S. quid d. dr.* Pal.: *S. quidem A drachuma f. v.* 89. Ita Pal. V.: *reddet, si d. t.?* Sed hoc sequitur. 90. Scabris numeris: *An tu ea* etc. 91. Sic vet. cod. Camer. V.: *defraudes.* 96. V.: *Neque cui libellae.* Sed pronomen non habetur in vetustis libris. 97. V. *harum,* m littera saepius illata, quod molestum. 97. *lacrumis.* Libri extincto ioco *drachmis* vel *dracmis.* 102. Inepte libri: *opera aut hac m.* 104. V.: *argentarium. Atque id f. unde, unde d. n. Nisi* etc. Argent. Brix. Iunt. Ald.: Ca. *At id f. u.?* Ps. *Unde* etc. Libri vix recte: *Q. p. et quantas.* V. quoque: *turbellas.*

Ps. De istac re in oculum utrumvis conquiescito.
Ca. Oculum utrum, an in aurem? Ps. At hoc pervolgatum est nimis.
Nunc, ne quis dictum sibi neget, edico omnibus,
Pube praesenti in concione, omni poplo,
Omnibus amicis notisque edico meis,
In hunc diem a me ut caveant, ne credant mihi.
Ca. St!
Tace, obsecro hercle! Ps. Quid negoti est? Ca. Ostium
Lenonis crepuit . . . . Ps. Crura mavellem modo.
Ca. Atque ipse egreditur, penitus periurum caput.

BALLIO. LORARII IV. PSEUDOLUS. CALLIDORUS.

Ba. Exite! agite, ite, ignavi male habiti et male conciliati. t. t. I, 2,
Quorum nunquam quidquam quoiquam venit in mentem ut recte faciant,
Quibus nisi ad hoc exemplum experior, non pote usurpari usura!
Neque ego homines magis asinos unquam vidi: ita plagis costae callent,
Quos dum ferias, tibi plus noceas: eo enim ingenio hi sunt flagritribae.
Qui haec habent consilia: ubi data occasio est: c. t.
Rape, clepe, tene, harpaga, es, bibe fuge! Hoc eorum opust:
Ut lupos apud ovis mavelis linquere,
Quam hos custodes domi. c. d.
At faciem quom adspicias: haud mali videntur; opera fallunt.
Nunc adeo hanc edictionem nisi animum advortetis omnes,
Nisi somnum socordiamque ex pectore oculisque amovetis:
Ita ego vostra latera loris faciam ut valide varia sint: t. t. c.
Ut ne peristromata quidem aeque picta sint Campanica, i. t.
Neque Alexandrina beluata conchyliata tapetia.
Atque heri antedixeram omnibus dederamque eas provincias; t. t. c.

122. V. *ἀμέτρως*: *anne;* deinde *minus* pro *nimis*, quae vocabula saepe confunduntur. Vid. interpp. ad Horat. Sat. 1, 5, 6. 123. V.: *dico.* 132. V. *non potest*, difficiliore quidem numero. 139. V., in ordinem receptis glossematis: *At fac. cum aspic eorum, haud* etc.

Verum ita vos perditi estis neglegentes ingenio inprobo: i. t.
Officium vostrum ut vos malo cogatis conmonerier.
Nempe ita vos animati estis, vincere hoc duritiae ergo atque me.
Hoc vide, sis: alias res agunt. Huc agite, hoc animum advortite,
Huc adhibete auris, quae ego loquar, plagigera genera hominum! i. t. c.
Nunquam edepol durius vostrum erit tergum, quam terginum hoc meum. i. t.
Qui nunc? doletne? Hem, sic datur, si quis herum servos spernit! i. t. c.
Adsistite omnes contra me et, quae loquor, advortite animum.
Tu, qui urnam habes, aquam ingere. Face plenum aënum sit cito. — i. t.
Te cum securi caudicali praeficio provinciae.
Lo. At haec retunsa est. Ba. Sine sit. Itidem vos quoque estis plagis omnes. i. t. h.
Num qui minus ea gratia tamen omnium utor opera? i. t. c.
Tibi hoc praecipio, ut niteat aedis. Habes, quod facias: propere abi intro. — t. t.
Tu esto lectisterniator. — Tu argentum eluito; idem exstruito.
Haec, quom ego a foro revortor, facite ut obfendam parata:
Vorsa, sparsa, tersa, strata lautaque coctaque omnia uti sint:
Nam mi hodie natalis dies est: decet eum omnes vos concelebrare.
Pernam, callum, glandium, sumen, facito in aqua iaceant. Satin' audis?
Magnifice volo me viros summos accipere: ut mihi rem esse reantur.
Intro abite atque haec celebrate: ne mora quae sit, cocus quom veniat,
Mihi. Ego eo in macellum: ut, piscium quidquid est, pretio praestinem. t. t. c.

148. Ita MS. Meurs. et vett. edd. V.: *vincite.* 149. V. numero durissimo: *H. v. sis, ut al. r. a.* 150. Fort. *plagigerula.* Cf. Most. 876. 158. V. metro depravato: *niteant aedes.* Legitur etiam *propera.* 161. V.: *V., praesterga, strata* etc. Pal.: *Vorsas praster gastrata laut. c. o. uti sunt.* Cf. Diomed. p. 375. Putsch., Acidal. Divinatt. in Plaut. p. 344. 165. V. et ταυτολογικῶς et ἀμέτρως: *haec cito celebr.*

I, puere, prae: ne quisquam pertundat crumenam cautio est. i. t.
Vel opperire: est, quod domi dicere fui pene oblitus. i. t. c
Auditin'? Vobis, mulieres, hanc habeo edictionem,
Vos, quae in mundiciis mollitiis deliciisque aetatulam agitis t. t.
Viris cum summis, inclutae amicae: nunc ego scibo atque hodie experiar,
Quae capiti, quae ventri operam det, quae suae rei, quae somno studeat.
Quam libertam fore mihi credam, et quam venalem, hodie experiar.
Facite hodie, ut mihi munera multa huc ab amatoribus conveniant:
Nam ni hodie penus annuos convenit, cras populo prostituam vos.
Diem natalem hunc mi esse scitis: ubi isti sunt, quibus vos oculi estis,
Quibus vitae, quibus deliciae, quibus savia, mammillae mellitae?
Manipulatim munerigeruli facite ante aedis iam hic mihi adsint!
Cur ego vestem aurum atque ea, quibus vobis usus est, praehibeo?
Quid domi, nisi malum, vostra opera est, inprobae, vino modo cupidae?
Eo vos vostros panticesque adeo madefacitis, quom ego sim siccus.
Nunc adeo hoc factu est optumum, ut nomine quamque adpellem suo: i. t.
Ne dictum esse actutum sibi quaepiam vostrarum mihi neget.
Advortite animum cunctae! i. d. c.
Principio, Hedylium, tecum ago, quae amica es frumentariis, i. t.
Quibus cunctis montes maxumi acervati frumenti sunt domi:
Fac, sis, sit delatum huc mihi frumentum, hunc annum quod satis
Mi et familiae omni sit meae, atque adeo ut frumento adfluam:
Ut civitas nomen mihi conmutet meque ut praedicet

172. Libri vix salvo metro: *quaeque suae.* 177. V.: *del. estis* 179. Soloece libri: *usui.* 180. Libri, glossematis oppleto loco ἀμέτροις: *Q. mihi domi, n. m. v. op. est hodie* (hoc omissum in Iunt. Ald.). *improbae? v. m. cup. estis.* 181. Libri: *sim hic siccus.* 186. V.: *acervi.* 188. Ita Iunt. Ald. V.: *Mihi, etiam fam.*

Lenone ex Ballione regem Iasonem. i. s.
CA. Audin', furcifer quae loquitur? satin' magnificus tibi videtur? t. t.
PS. Pol istic, atque etiam malificus. Sed tace atque hanc rem gerere. i. t.
BA. Aeschrodora, tu, quae amicos tibi habes lenonum aemulos t. t. c.
Lanios, qui item ut nos iurando iure malo rem quaerunt, audi! t. t.
Nisi carnaria tria gravida tergoribus onere uberi hodie
Mihi erunt: cras te, quasi Dircam olim, ut memorant, duo gnati Iovis t. t. c.
Devinxere ad taurum, item hodie stringam ad carnarium. Id
Tibi profecto taurus fiet. PS. Nimis sermone huius ira incendor! t. t.
Hunccine hic hemonem colere pati iuventutem Atticam? t. t. c.
Ubi sunt, ubi latent, quibus aetas integra, qui amant a lenone? t. t.
Quin conveniunt? quin una omnes peste hac populum liberant? t. t. c.
Sed nimis sum stultus, nimium indoctus fui, ne id audeant
Illi facere, quibus ut serviant, amor cogit suus,
Simul prohibet faciant advorsum eos, quod volunt. CA. Vah, tace. PS. Quid est?
CA. Male morigerus male facis mihi, quom sermone huic obsonas.
PS. Taceo. CA. At taceàs malo multo, quam tacere dicas. BA. Tu autem, t. t.
Xystylis, fac ut animum advortas, quoius amatores olivi
Dynamin domi habent maxumam. t. d.
Si mihi non iam culleis huc oleum deportatum erit: t. t. c.
Te ipsam culleo ego cras faciam ut deportere in pergulam.
Ibi tibi adeo lectus dabitur, ubi tu haud somnum capias; as. ex t. d. et i. d. c.
Sed ubi usque ad languorem.... Tenes, quorsum haec tendant, quae loquor, an non?
Excetra tu, quae tibi amicos tot habes tam probe oleo onustos, t. t.
Num hodie tua tuorum est quoipiam opera conservorum

199. Libri, metro intolerabili, *H. h. hom. pati col. iuv. Att.* 200. V.: *integra est.* 201. V.: *populum hunc.* 208. Ita MS. Ambros. Vulgo: *deportatur*, metro alieno. 212. Idem liber: *loquor ain excetra* etc. Vulgo: *loquor? En exer.* Sed *En* non facit ad sententiam.

Nitidiusculum caput, aut num ipse ego pulmento utor magis t. t. c.
Unctiusculo! Sed scio: tu oleum haud magni pendis; vino as. ex t. d. et i. d. c.
Te devincis. Sine modo: reprendam ego cuncta hercle una opera,
Nisi quidem hodie tu facis omnia haec, ut loquor, scelesta!
Tu autem, quae pro capite argentum mihi iam iamque saepe numeras, t. t.
Ea pacisci modo scis, sed, quae pacta es, non scis solvere t. t. c.
(Tibi, Phoenicium, ego haec loquor, deliciae summatum virum),
Nisi hodie mi ex fundis tuorum amicorum omne huc penus adfertur: t. t.
Cras Phoenicium phoenicio corio invises pergulam. t. t. c.

CALLIDORUS. PSEUDOLUS. BALLIO.

CA. Pseudole, non audis, quae hic loquitur? Ps. Audio, here, equidem atque animum advorto. t. t. I, 3.
CA. Quid mi es auctor huic ut mittam, ne amicam hic meam prostituat?
Bene curassis. Ps. Liquido es animo: ego pro me et pro te curabo.
Iam diu ego huic et hic mihi volumus bene et amicitia est antiqua.
Mittam hodie huic suo die natali rem malam magnam et maturam.
CA. Quin opus est. Ps. Potin', aliam rem ut cures? CA. At... Ps. Bat. CA. Crucior! Ps. Cor dura.
CA. Non possum. Ps. Fac possis. CA. Quonam pacto possim vincere animum?
Ps. In rem quod sit, praevortaris, quamde re advorsa animo auscultes.
CA. Nugae istaec sunt: non iucundum est, nisi facit amans stulte. Ps. Pergin'?
CA. O mi Pseudole, sine sim nihili! mitte me, sis! Ps. Sine modo ego abeam.
CA. Mane, mane: iam, ut voles med esse, ita ero. Ps. Nunc tu sapis. t. t. c.

225. *Bene cur.* Haec Pseudolo tribuuntur. MS. Ambros. *Nihil cur.* 229. V.: *Quid op. est?* 231. Minus ἐμμέτρως libri: *quam.*

Ba. It dies! ego mihi concesso. I prae, puere. Ca. Heus,
abit! Quin revocas? t. t.
Ps. Quid properas? Placide! Ca. At priusquam abeat.
Ba. Quod hoc malum? tam placide is, puere!
Ps. Hodie nate, heus, hodie nate! tibi ego dico! heus, hodie nate!
Redi et respice ad nos! Tametsi occupatus, b. t.
Moramur. Mane: sunt, conloqui qui volunt te.
Ba. Quid hoc est? quis est, qui moram occupato as. ex b.
d. et i. h.
Molestam obtulit? Ca. Qui tibi sospitalis
Fuit. Ba. Mortuost, qui fuit; qui est, vivost.
Ps. Nimis superbe! Ba. Nimis molestus! Ca. Reprehende hominem! adsequere! Ba. I, puere! Ps. Hac t. t.
Occedamus obviam. t. d. c.
Ba. Iupiter te perdat, quisquis es! Ps. Te volo. Ba. At vos
ego ambos. t. t.
Vorte hac te, puere! Ps. Non licet te conloqui? Ba. At
mihi non lubet. i. t.
Ca. Sin tuam est quidpiam in rem? Ba. Licetne, obsecro, c. t.
Bitere, an non licet? c. d.
Ps. Vah, manta! Ba. Omitte! Ca. Ballio, audi! Ba. Surdus
sum. i. s.
Profecto inanilogistae. i. d. c.
Ca. Dedi, dum fuit. Ba. Non peto, quod dedisti. b. t.
Ca. Dabo, quando erit. Ba. Ducito, quando habebis.
Ca. Heu heu, quam ego malis perdidi modis, as. 2 t. h.
Quod tibi detuli et quod dedi! Ba. Mortuae c. t.
Verba re nunc facis. Stultus es: rem actam agis.
Ps. Nosce saltem hunc, quis est. c. d.
Ba. Iam diu scio, qui fuit; nunc qui is est, ipsus sciat.
Ambula tu. as. t. d. i. d. c.
Ps. Potin', uti semel modo, Ballio, huc cum lucro respicias?
Ba. Respiciam istoc pretio: nam si sacruficem summo
Iovi t. t. c.
Atque in manibus exta teneam, ut porriciam, interea
loci
Si lucri quid detur: potius rem divinam deseram.
Non potest pietati obsisti huic, utiuti res sunt ceterae.
Ps. Deos quidem, quos maxume aequom est metuere, eos
minumi facit.

235. Ita Pal. V.; *cesso*. Male autem libri: *abiit*. 248. Correctio I. Lipsii Epistol. Quaest. 1, 14. V.: *Vivere, an n. l.* 257. Ita Pal. et vett. edd. V. *quis*. 260. V. *ut*. Correxit Acidal.

Ba. Conpellabo. — Salve multum, serve Athenis pessume.
Ps. Di te deaeque ament vel huius srbitratu vel meo;
Vel, si dignus alio pacto, neque ament nec faciant bene.
Ba. Quid agitur, Callidore? Ca. Amatur atque egetur acriter. i. t.
Ba. Misereat, si familiam alere possim misericordia. t. t. c.
Ps. Heia, scimus nos quidem te, qualis sis: ne praedices.
Sed scin', quid nos volumus? Ba. Pol ego propemodo: ut male sit mihi.
Ps. Et id et hoc, quod te revocamus, quaeso, animum advorte. Ba. Audio;
Atque in pauca, ut occupatus nunc sum, confer, quid velis.
Ps. Hunc pudet, quod tibi promisit, quaque id promisit die:
Quia tibi minas viginti pro amica etiam non dedit.
Ba. Nimio id, quod pudet, facilius fertur, quam illud, quod piget:
Non dedisse, istunc pudet; me, quia non accepi, piget.
Ps. At dabit, parabit. Aliquot hos dies manta modo:
Nam hic id metuit, ne illam vendas ob simultatem suam.
Ba. Fuit occasio, si vellet, iampridem argentum ut daret.
Ca. Quid, si non habivi? Ba. Amabas. Invenires mutuom,
Ad danistam devenires, adderes foenusculum,
Subriperes patri. Ps. Subriperet hic patri, audacissume?
Non periclum est, ne quid recte monstres. Ba. Non lenonium est.
Ca. Egon' patri subripere possim quidquam, tam cauto seni? i. t.
Atque adeo, si facere possim, pietas prohibet. Ba. Audio.
Pietatem ergo istam amplexator noctu pro Phoenicio.
Sed quoniam pietatem amori video tuo praevortere:
Omnes h o m i n e s tibi patres sunt? nullus est tibi, quem roges
Mutuom argentum? Ca. Quin nomen quoque iam interiit Mutuom.
Ps. Heus tu, postquamde hercule isti a mensa surgunt saturi, poti, t. t.
Qui suom repetunt, alienum reddunt nato nemini: t. t. c.
Postilla omnes cautiores sunt, ne credant alteri.
Ca. Nimis miser sum: numum nusquam reperire argenti queo:
Ita miser et amore pereo et inopia argentaria.
Ba. Eme die coeca hercle olivom; id vendito oculata die:

264. Pal. *piissime.* 280. V.: *habui.* 282. Ita Iunt. Ald. V.: *Surripuisses.* 291. Ita codex Ambros. V.: Ab *alienis caut.*

Iam hercle vel ducentae fieri possunt praesentes minae.
Ca. Perii, an non tum lex me perdit quina vicennaria?
Metuont credere omnes. Ba. Eadem est mihi lex: metuo credere.
Ps. Credere autem? Eho, poenitet te, quanto hic fuerit usui?
Ba. Non est iustus quisquam amator, nisi, qui perpetuat data
Datque usque, et quando nihil sit, simul amare desinit.
Ca. Nilne mei miseret te? Ba. Inanis cedis: dicta non sonant.
Atque ego te vivom salvomque vellem. Ps. Eho, an iam mortuost?
Ba. Utut est, mihi quidem profecto cum istis dictis mortuost.
Eloco vixit amator, ubi lenoni neplacet.
Semper tu ad me cum argentata accedito querimonia:
Nam istuc, quod nunc lamentare, non esse argentum tibi,
Apud novercam querere. Ps. Eho, an unquam tu huius nupsisti patri?
Ba. Di meliora faxint! Ps. Fac, quod te rogamus, Ballio,
Mea fide, si isti formidas credere: ego in hoc triduo
Aut terra aut mari alicunde evolvam id argentum tibi.
Ba. Tibi ego credam? Ps. Cur non? Ba. Quia pol, qua opera credam tibi,
Una opera adligem canem fugitivam agninis lactibus.
Ca. Siccine mi abs te bene merenti male refertur gratia?
Ba. Quid nunc vis? Ca. Ut opperiare hos sex dies saltem modo,
Ne illam vendas neu me perdas hominem amantem. Ba. Animo bono es:
Vel sex mensis opperibor. Ca. Euge, homo lepidissume!
Ba. Imo vin' etiam te faciam ex laeto laetantem magis?
Ca. Quid iam? Ps. Quid iam? Ba. Quia enim non venalem habeo Phoenicium.
Ca. Non habes? Ba. Non hercle vero. Ca. O Pseudole, arcesse hostias.
Victimas, lanios: ut huic ego sacruficem summo Iovi:
Nam hic mihi nunc est multo potior Iupiter, quam Iupiter.
Ba. Nolo victimas; at minumis me extis placari volo.

297. V. *vicenaria.* 299. V.: *Eho, an p.* 301. V. *desinat.* 305. Vulgo: *ubi len. placet.* Correxit Acid. 308. Ita codex Ambros. Vulgo: *Di melius faciant.* Librorum *hoc* post *fac* iam delendum fuit metri gratia. 323. Emendatio I. Scaligeri, Lipsii, Douzae patris Centur. p. 390, quam libris vett., etiam calamo exaratis, firmari dicunt. Pal. quidem: *N. v. ac nimis me extis* etc. V.: *N. v.: agninis* etc. Cf. Truc. 702.

Ca. Propera, quid stas? arcesse agnos! Audin', quid ait Iupiter?
Ps. Iam hic [ero; verum extra portam Metiam currendum est prius.
Ca. Quid eo? Ps. Lanios inde arcessam duo cum tintinnabulis;
Eadem duo greges virgarum inde ulmearum adegero:
Ut hodie ad litationem huic suppetat satias Iovi.
In malam crucem istic ibit Iupiter lenonius.
Ba. Ex tua re non est, ut ego ecmoriar. Ps. Quidum? Ba. Ego dicam tibi: i. t.
Quia edepol dum ego vivos vivam, nunquam eris — frugi bonae.
Ps. Ex tua re non est, ut ego ecmoriar. Ba. Quidum? Ps. Sic: quia,
Si ego ecmortuos sim, Athenis te sit nemo nequior.
Ca. Dic mihi, obsecro hercle, verum serio hoc, quod te rogo:
Non habes venalem amicam tu meam Phoenicium?
Ba. Non edepol habeo profecto: nam iampridem vendidi.
Ca. Quomodo? Ba. Sine ornamentis, cum intestinis omnibus.
Ca. Meam tu amicam vendidisti? Ba. Valde; viginti minis.
Ca. Viginti minis? Ba. Utrum vis, vel quater quinis minis,
Militi Macedonio. Et iam quindecim habeo minas.
Ca. Quid ego ex te audio? Ba. Tuam amicam esse factam argenteam.
Ca. Cur id ausus facere? Ba. Lubuit: mea fuit. Ca. Eho, Pseudole, t. t. c.
I, gladium adfer.... Ps. Quid opus gladio? Ca. Qui istunc occidam atque me.
Ps. Quin tu ted occidis potius? nam hunc fames iam occiderit.
Ca. Quid ais, quantum in terra degit, hominum periurissume?
Iuravistin', te illam nulli venditurum, nisi mihi?
Ba. Fateor. Ca. Nempe conceptis verbis. Ba. Etiam consultis quoque.
Ca. Periuravisti, sceleste! Ba. At argentum intro condidi.
Ego scelestus nunc argentum promere potis sum domo;
Tu, qui pius es, istoc genere gnatus, numum non habes.

326. Ita liber Meursii MS. V.: *duos.* 345. V.: *q. terra tegit.* Correxit Lips. Antiqu. Lectt. 4, 4.

CA. Pseudole, adsiste altrinsecus atque onera hunc maledictis. Ps. Licet.
Nunquam ad praetorem aeque cursim curram, ut emittar manu.
CA. Ingere mala multa. Ps. Iam ego te differam dictis meis.
Inpudice! BA. Ita est. Ps. Sceleste! BA. Dicis vera. Ps. Verbero!
BA. Quippini? CA. Bustirape! BA. Certe. CA. Furcifer! BA. Factum optume!
CA. Sociofraude! BA. Sunt mea, eccista. Ps. Parricida! BA. Perge tu.
Ps. Sacrilege! BA. Fateor. CA. Periure! BA. Vetera vaticinamini.
CA. Legirupa! BA. Valide. Ps. Pernicies adulescentum! BA. Acerrume.
CA. Fur! BA. Babae! Ps. Fugitive! BA. Bombax! CA. Fraus popli! BA. Planissume.
Ps. Fraudulente! CA. Inpure leno! Ps. Coenum! BA. Cantores probos!
CA. Verberavisti patrem atque matrem. BA. Atque occidi quoque
Potius, quam cibum praehiberem. Num peccavi quidpiam?
Ps. In pertusum ingerimus dicta dolium; operam ludimus.
BA. Numquid alium me etiam voltis dicere? CA. Ecquid te pudet?
BA. Ted amatorem esse inventum inanem, quasi cassam nucem.
Sed quamquam mala, multaque, in me dicta dixistis modo:
Nisi mihi iam attulerit miles quinque, quas debet, minas,
Sicut haecce praestituta summa est argento dies,
Si is non aderit, posse opinor facered officium meum.
CA. Quid id est? BA. Si tu argentum attuleris: cum illo perdiderim fidem.
Hoc meum est officium. Ego, operae si sit, plus tecum loquar;
Sed sine argento frustra est, quod me tui misereri postulas.
Haec mea est sententia, ut tu hinc porro, quid agas, consulas.
CA. Iamne abis? BA. Negoti nunc sum plenus: paulo post magis. —
Ps. Illic homo meus est! nisi omnes di me atque homines deserunt:

356. MSS. *ecista*, vel *ec ista*, ut Pal. V.; *haec ista*.

Exôssabo ego illunc simulter itidem, ut muraenam cocus.
Sed nunc mihi operam, Callidore volo dare te. Ca. Ecquid imperas? i. t.
Ps. Hoc ego oppidum admoenire, ut hodie capiatur, volo. t.t.c.
Ad eam rem usust hominem astutum, doctum, scitum, callidum,
Qui imperata ecfecta reddat; non, qui vigilans dormiat.
Ca. Cedo mihi, quid es facturus? Ps. Temperi ego faxo scies:
Nolo bis iterari: sat sic longae fiunt fabulae.
Ca. Optumum atque aequissumum oras. Ps. Propera! adduo hominem cito!
Pauci ex multis sunt amici, homini qui certi sient.
Ca. Ego scio istuc. Ps. Ergo utrimque tibi nunc delectum para:
Ex illis exquire multis unum. qui certus siet.
Ca. Iam hic faxo aderit. Ps. Potin', ut abeas? tibi moram dictis creas.

PSEUDOLUS.

Postquam ille hinc abiit: tu adstas solus, Pseudole! i. s. I, 4.
Quid nunc acturus, postquam herili filio
Largitus dictis dapsilis? ubi sunt ea?
Quoi neque parata gutta certi consili
Neque adeo argenti; neque nunc, quid faciam, scio.
Neque, exordiri primum unde occipias, habes,
Neque detexundam ad telam certos terminos.
Sed quasi poëta, tabulas quom cepit sibi,
Quaerit, quod nusquam est gentium, reperit tamen;
Facit illud verisimile, quod mendacium est:
Nunc ego poëta fiam: viginti minae
Quae nusquam nunc sunt gentium, inveniam tamen!
Atque huic iampridem ego me daturum dixeram,
Ac volui iniicere tragulam in nostrum senem;
Verum is nescio quo pacto praesensit prius.
Sed conprimenda est vox mihi atque oratio:
Herum eccum Simonem videod huc una simul
Cum suo vicino Calliphone incedere.
Ex hoc sepulcro vetere viginti minas

376. Ita Non. V.: *similiter*. 379. Languide libri: *et call.* 380. V.: *effecta*, sed libri vett.: *haec facta*, ut Pal. et edd. principes, *ecfecta*, ut antiquior liber Camerar. 388. V. *κακοφωνία* gratuita; *illic*. Pal. et vett. edd.: *Pseudolus*. 403. Ita Pal. V.: *mihi vox*.

Ecfodiam ego hodie, quas dem herili filio.
Nunc huc concedam: ut horunc sermonem legam.

SIMO. CALLIPHO. PSEUDOLUS.

Si. Si de damnosis aut si de amatoribus i. s. I, 5.
Dictator fiat nunc Athenis Atticis:
Nemo antecedat filio, credo, meo:
Ita nunc per urbem solus sermo est omnibus,
Eum velle amicam liberare et quaerere
Argentum ad eam rem. Hoc alii mihi renuntiant,
Atque id iam pridem sensi et subolet mihi.
Ps. Occisa est haec res; haeret hoc negotium!
Quo conmeatum volui in argentarium
Proficisci, ibi nunc oppido obsepta est via.
Praesensit: nihil est praedae praedatoribus.
C. Homines qui gestant quique auscultant crimina,
Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant,
Gestores linguis, auditores auribus.
Nam istaec, quae tibi renuntiantur, filium
Te velle amantem argento circumducere,
Forsitan ea dicta sunt tibi mendacia;
Sed si vera ea sunt, ut nunc mos est, maxume:
Quid mirum fecit, quid novom, adulescens homo,
Si amat, si amicam liberat? Ps. Lepidum senem!
Si. Vetus nolo faciat. C. At enim nequidquam nevis.
Vel tu ne faceres tale in adulescentia!
Probum patrem esse oportet, qui gnatum suom
Esse probiorem, quam ipsus fuerit, postulet.
Nam tu quod damni et quod fecisti flagiti,
Populo viritim potuit dispartirier.
Idne tu miraris, si patrissat filius?
Ps. Ω Ζεῦ, quam pauci estis homines commodi!
Hem, illuc est patrem esse, ut aequom est, filio!
Si. Quis hic loquitur? Meus quidem hic est servos Pseudolus.
Hic mihi conrumpit filium, scelerum caput;
Hic dux, hic illi est paedagogus: hunc ego
Cupio excruciari. C. Iam istaec insipientia est.
Sic iram in promtu gerere. Quanto satius est

409. V. ruente versu: *aut de am.* Nec melius Iunt. Ald.: *Si de d. natis aut de am.* 415. Pal.: *— sensi sub m.* Fort.: *sensi, suboluit m.* Post hunc versum haec habet codex Ambros.:
Sed dissimulabam. Iam illi . . . . filius.
Fort.: *S. d. I. illudetur filius.*

Adire blandis verbis atque exquirere,
Sint illa necne sint, quae tibi renuntiant?
Bonus animus in mala re dimidium est mali.
Si. Tibi auscultabo. Ps. Itur ad te, Pseudole:
Orationem tibi para advorsus senem. —
Herum saluto primum, ut aequum est; postea,
Si quid superfit, vicinos inpartio.
Si. Salve. Quid agitur? Ps. Statur hic ad hunc modum.
Si. Statum vide hominis, Callipho, quam basilicum!
C. Bene confidenterque adstitisse intellego.
Ps. Decet innocentem, qui sit, atque innoxium,
Servom superbum esse apud herum potissumum.
C. Sunt, quae te volumus percontari, quae quasi
Per nebulam nosmet scimus atque audivimus.
Si. Conficiet iam te hic verbis: ut tu censeas
Non Pseudolum, sed Socratem, tecum loqui.
Ps. Ita est. Iampridem tu me spernis, sentio;
Parvam esse apud te mihi fidem, ipse intellego;
Cupis, me esse nequam: tamen ero frugi bonae.
Si. Fac, sis, vacivas, Pseudole, aedis aurium:
Mea ut migrare dicta possint, quo volo.
Ps. Age, loquere quidvis, tametsi tibi suscenseo.
Si. Mihin' domino servos tu suscenses? Ps. Nam tibi
Mirum id videtur? Si. Hercle qui, ut tu praedicas,
Cavendum est mi abs te irato, haudque alio tu modo
Me verberare, atque ego te soleo, cogitas.
C. Quid censes? Edepol merito esse iratum arbitror,
Quom apud te stet parum fides. Si. Iam sic sino:
Iratus sit; ego, ne quid noceat, cavero.
Sed quid ais? quid hoc, quod te rogo? Ps. Si quid vis: roga.
Quod scibo, Delphis tibi responsum dicito.
Si. Advorte ergo animum et fac sis promissi memor.
Quid ais? ecquam scis filium tibicinam
Meum amare.... Ps. Ναὶ γαρ. Si. Liberare quam velit.
Ps. Καὶ τοῦτο ναὶ γαρ. Si. Ecquas viginti minas
Per sycophantiam atque per doctos dolos
Paritas ut auferas a me? Ps. Abs te ego auferam?
Si. Ita, quas meo gnato des, qui amicam liberet?
Fatere? Dic. Ps. Καὶ τοῦτο ναί! καὶ τοῦτο ναί!

447. V.: *advorsum.* 465. V.: *iam tibi.* 467. V: *atque alio.* 476. Libri depravate, ut graeca corrumpi solent: *M. am. negar mea est. Liber.* V.: *M. a.? Ps. negare meum est. Si. Lib.* etc. 477. V.: Ps. *και τȣτο και τȣτο nego.* Pal.: *ceuton kaito itu negaris.* 481. V.: Fateri δεῖ καὶ τοῦτο ναὶ, καὶ τοῦτο ναί. Pal.: *fateri. Dichaytoyna chaitoyionai.*

Sɪ. Fatetur! Dixin', Callipho, dudum tibi?
C. Memini. Sɪ. Cur haec, tu ubi rescivisti eloco,
Celata me sunt? cur non rescivi? Ps. Eloquar:
Quia nolebam ex me morem progigni malum,
Herilem ut servos criminaret apud herum.
Sɪ. Iuberes hunc praecipitem in pistrinum trahi?
C. Numquid, Simo, peccatum est? Sɪ. Imo maxume.
Ps. Desiste: recte ego rem meam sapio, Callipho.
Peccatan' ea sunt? Animum advorte nunc iam,
Quapropter nati amoris te expertem habuerim,
Pistrinum in mundo scibam, si id faxem, mihi.
Sɪ. Non a me scibas pistrinum in mundo tibi,
Quom ea mussitas? Ps. Scibam. Sɪ. Cur non dictum est mihi?
Ps. Quia illuc malum aderat, istuc aberat longius;
Illud erat praesens, huic erant dieculae.
Sɪ. Quid nunc agetis? nam hinc quidem a me non potest
Argentum auferri, qui praesertim senserim.
Ne quisquam credat numum, iam edicam omnibus.
Ps. Nunquam edepol quoiquam supplicabo, dum quidem
Tu vives: tu mihi hercule argentum dabis:
Abs te equidem sumam. Sɪ. Tu a me sumes? Ps. Strenue.
Sɪ. Excludito mi hercle oculum, si dedero! Ps. Dabis.
Iam dico, ut a me caveas. C. Certe edepol scio:
Si abstuleris, mirum et magnum facinus feceris,
Ps. Faciam. Sɪ. Si non abstuleris. Ps. Virgis caedito.
Sed quid, si abstulero? Sɪ. Do Iovem testem tibi,
Te aetatem inpune habiturum. Ps. Facito, ut memineris.
Sɪ. Egon' ut cavere nequeam, quoi praedicitur?
Ps. Praedico, ut caveas. Dico, inquam, ut caveas. Cave.
Hem, istis mihi tu hodie manibus argentum dabis!
C. Edepol mortalem graphicum, si servat fidem!
Ps. Servitum tibi me abducito, ni fecero.
Cᴀ. Bene atque amice dicis. Sɪ. Nam nunc iam meust.
Ps. Vin' etiam dicam, quod vos mage miremini?
C. Studeo hercle audire: nam ted ausculto lubens.
Sɪ. Agedum: nam satis lubenter te ausculto loqui.
Ps. Priusquam istanc pugnam pugnabo ego, etiam prius
Dabo aliam pugnam claram et conmemorabilem.
Sɪ. Quam pugnam? Ps. Hem, ab hoc lenone vicino tuo

483. Ita Pal. V.: *ubi tu.* 486. V.: *Herum ut s. suum cr. a. h.* MSS. et vett. edd. non habent *suum.* Cf. prol. 6. et Acidal. ad Capt. prol. 8, ubi monet, versus verbaque argumentorum horum metricorum fere ex ipsis fabulis petita esse. 490. Inepte libri: *Peccata mea sunt.* 494. Iidem metro depravato: *mussitabas.*

Per sycophantiam atque per doctos dolos
Tibicinam illam, tuos quam gnatus deperit,
Ea circumducam lepide lenonem. Si. Quid est?
Ps. Ecfectum hoc hodie reddam utrumque ad vesperum.
Si. Si quidem istaec opera, ut praedicas, perfeceris:
Virtute regi Agathocli antecesseris.
Sed si non faxis: numquid causae est, eloco
Quin te in pistrinum condam? Ps. Non unum diem;
Verum hercle in omnis, quantum est. Sed si ecfecero:
Dabin' mi argentum, quod dem lenoni, eloco
Tua voluntate? C. Ius bonum orat Pseudolus:
Dabo, inque. Si. At enim scin', quid mihi in mentem venit?
Quid si hice inter se consenserunt, Callipho,
Aut de conpacto faciunt consutis dolis,
Qui argento circumvortant? Ps. Quis me audacior
Sit, si istuc facinus audeam? Imo sic, Simo,
Si sumus conpacti, seu consilium unquam iniimus,
Aut si de ea re unquam inter nos convenimus:
Quasi quom in libro scribuntur calamo literae,
Stilis me totum usque ulmeis conscribito.
Si. Indice ludos nunc ïam, quando lubet.
Ps. Da in hunc diem operam, Callipho, quaeso, mihi:
Ne quo te ad aliud occupes negotium.
C. Quin, rus ut irem, iam heri constituveram . . . .
Ps. At nunc disturba, quas statuisti, machinas.
C. Nunc non abire certum est istac gratia:
Lubido est ludos tuos spectare, Pseudole.
Et si hunc videbo non dare argentum tibi,
Quod dixit: potius quam id non fiat, ego dabo.
Si. Non demutabo. Ps. Namque edepol, si non dabis,
Clamore magno et multum flagitabere.
Agite, amolimini hinc vos intro nunc ïam,
Ac meis vicissim date locum fallaciis.
Si. Fiat. C. Geratur mos tibi. Ps. Sed te volo
Domi usque adesse. Si. Quin tibi hanc operam dico.
C. At ego ad forum ibo. Iam hic adero. Si. Actutum redi.
Ps. Suspicio est mihi, nunc vos suspicarier,

528. V.: *Non un. quidem Diem modo, verum* etc., quae in versus modulum compingi non possunt. 535. Libri eodem nomine reprehendendi: *Qui me arg. c. Ps. Q. me aud. sit, si istuc fac. aud. facere? imo* etc., ubi *dicere* ostendunt Pal. et vett. edd. Sed utrumque glossema est. 537. V.: *inivimus*, Decurt. et vett. edd.: *inimus*, pro *iniimus*. 538. Pessime libri, seu sententiam, seu metrum consideres: *De istac re, aut si de ea re* etc. 539. V. itidem ἀμέτρως: *constitueram*.

Me idcirco tanta facinora haec promittere,
Qui vos oblectem, hanc fabulam dum transigam,
Neque sim facturus, quod facturus dixeram.
Non demutabo. Atque etiam certum, quod sciam,
Quo sim facturus pacto, nil etiam scio.
Nisi quia facturum est. Nam qui in scenam provenit
Nove, novom aliquid inventum adferre addecet.
Si id facere nequeat: det locum illi, qui queat.
Concedere aliquantisper hinc mi intro lubet,
Dum concenturio in corde sycophantias.
Tibicen vos interea hic delectaverit.

PSEUDOLUS.

Proh Iupiter, i. cl. II, 1.
Ut mihi, quidquid ago, lepide omnia prospereque eveniunt! t. t.
Neque quod dubitem, neque quod timeam, in pectore conditum est consilium!
Nam ea stultitia est, facinus magnum timido cordi credere: t. t. c.
Nam omnes res perinde sunt, ut agas, ut eas magnifacias.
Nam ego in pectore meo prius ita paravi duplices copias,
Triplices dolos, perfidias: ubicunque cum hostibus con- as. 2 i. d. c.
grediar (maiorum meorum i. d. c.
Fretus virtute dicam), mea industria et c. t.
Malitia fraudulenta. c. d. h.
Facile ut vincam, facile ut spoliem meos perduellis meis perfidiis. t. t.
Nunc inimicum ego hunc communem meum atque vostrorum omnium, t. t. c.
Ballionem, exballistabo lepide. Date operam modo.
Hoc ego oppidum admoenire, ut hoc die capiatur, volo
Atque ad hoc meas legiones adducam. Si hoc expugno: as. t. d. i. d. c.
Facilem ego hanc rem civibus meis faciam. Post ad oppidum
Hoc vetus continuo exercitum protinus mecum obducam.

564. V. nullis numeris: *Novo modo, novum* etc. Cf. Epid. 213. 571. V. *ἀμέτρως*: *meo in pect.* Correxit G. Hermann. libri de metris Gr. et Rom. p. 128. 575. V.: *ubi ubicunque*, quod nihili est. Pal. et vett. edd.: *ut ub.* Sed *ut* sequitur. 576. insulse libri: *malorum.* Sensit Gruter. 578. V.: *fraudulentia.* Pal. et vett. edd.: *fraudulenti.*

Inde me et simul participes omnis meos praeda onerabo atque opplebo. t. t.
Metum et fugam perduellibus meis iniiciam: i. tr. h.
Med esse uti sciant natum, quo sum genere gnatus.
Magna facinora decet me efficere, quae post mihi clara et diu clueant. t. t.
Sed hunc, quem video, quis hic est, qui oculis as. 2 i. h.
Meis obviam ignorabilis obicitur?
Scire lubet, quid hic velit cum machaera,
Et hic quam rem agat. Dabo hinc insidias.

HARPAX. PSEUDOLUS.

Ha. Hi loci atque hae sunt regiones, quae mi ab hero sunt demonstratae, t. t. II, 2.
Ut ego oculis rationem capio, quam mi ita dixit herus meus, miles,
Septimas a porta esse aedis, ubi leno ille habitat, quoi iussit
Symbolum me ferre et hoc argentum. t. d.
Nimis velim, certum qui id faciat mihi, ubi Ballio leno hic habitat! t. t.
Ps. St, tace, tace! Meus hic est homo, ni omnes di atque homines deserunt! t. t. c
Novo consilio nunc mihi opus est: nova res subito mi haec obiecta est. i. t. h.
Hoc praevortar principio; omnia missa habeo, quae ante agere occepi. t. t.
Iam pol ego hunc stratioticum nuntium advenientem probe percutiam!
Ha. Ostium pultabo atque intus evocabo aliquem foras. t. t. c.
Ps. Quisquis es, conpendium ego te facere pultandi volo:
Nam ego precator et patronus foribus processi foras
Ha. Tune es Ballio? Ps. Imo vero ego eius sum Subballio.
Ha. Quid istuc verbi est? Ps. Condus, promus sum, procurator peni.
Ha. Quasi te dicas atriensem. Ps. Imo atriensi ego impero.
Ha. Quid tu? servosne es, an liber? Ps. Nunc quidem etiam servio.
Ha. Ita videre et non videre dignus, qui liber sies.
Ps. Non soles respicere te, quom dicas iniuste alteri?
Ha. Hunc hominem malum esse oportet. Ps. Di me servant atque amant:

591. Ita MSS. Vulgo: *obiicitur*. 595. V.: *huic*, sed vett. edd.: *hic*.

Nam haec mihi incus est: procudam ego hodie hinc multos dolos.
Ha. Quid illic secum solus loquitur? Ps. Quid ais tu, adulescens? Ha. Quid est?
Ps. Esne tu, an non es? ab illo milite es Macedonio,
Servos eius, qui hinc a nobis est mercatus mulierem,
Qui hero meo lenoni argenti quindecim dederat minas,
Quinque debet? Ha. Sum. Sed ubi tu me novisti gentium,
Aut vidisti, aut conlocutus? nam equidem Athenas antidhac
Nunquam adveni neque te vidi ante hunc diem unquam oculis meis.
Ps. Quia videre inde esse: nam olim, quom abiit, argento haec dies
Praestituta est, quoad referret nobis, neque dum retulit.
Ha. Imo adest. Ps. Tun' attulisti? Ha. Egomet. Ps. Quid dubitas dare?
Ha. Tibi ego dem? Ps. Mihi hercle vero, qui res rationesque heri
Balli curo, argentum accepto, expenso et, quoi debet, dato.
Ha. Si quidem hercle etiam supremi promtas thesauros Iovis:
Tibi libellam argenti nunquam credam. Ps. Dum tu strenuas,
Res erat soluta. Ha. Vinctam potius sic servavero.
Ps. Vae tibi! tu inventus vero, meam qui furcilles fidem!
Quasi mihi non sexcenta tanta soli soleant credier!
Ha. Potest, ut alii ita arbitrentur et ego ut ne credam tibi. i. t.
Ps. Quasi tu dicas, me te velle argento circumducere. t. t. c.
Ha. Imo vero quasi tu dicas quasique ego autem id suspicer.
Sed quid est tibi nomen? Ps. Servos est huic lenoni Syrus;
Eum esse me dicam. — Syrus sum. Ha. Syrus? Ps. Id est nomen mihi. i. t.
Ha. Verba multa facimus. Herus si tuos domi est, quin provocas,
Ut id agam, quod missus huc sum, quidquid est nomen tibi?
Ps. Si intus esset: evocarem; verum si dare vis mihi:
Mage solutum erit, quam si ipsi dederis. Ha. At enim scin', quid est?
Reddere hoc, non perdere, herus me misit. Nunc certo scio,

625. Libri versu nimio: *Ballionis.* Cf. 665, Most. 1121. 628. *erat*, fuisset. V.: *erit.* Subodoratus vitium est Acidal. 629. V.: *forcilles.*

Hoc febrim tibi esse, quia non licet huc inicere ungulas.
Ego, nisi ipsi Ballioni, numum credam nemini.
Ps. At illic nunc negotiosust: res agitur apud iudicem. i. t.
Ha. Di bene vortant! At ego, quando eum esse censebo domi, t. t. c.
Rediero. Tu epistolam hanc a me accipe atque illi dato:
Nam istic Symbolum est inter herum meum et tuom de muliere.
Ps. Scio equidem: ut, qui argentum adferret atque expressam imaginem
Huc suam ad nos, cum eo aiebat velle mitti mulierem:
Nam hic quoque exemplum reliquit eius. Ha. Omnem rem tenes.
Ps. Quid ego ni teneam? Ha. Dato ergo symbolum illi istum. Ps. Licet.
Sed quid est tibi nomen? Ha. Harpax. Ps. Apage te, Harpax! haud places.
Huc quidem hercle haud ibis intro: ne quid harpax feceris.
Ha. Hostis vivos rapere soleo ex acie: ex hoc nomen mihi est.
Ps. Pol te multo magis opinor vasa ahena ex aedibus.
Ha. Non ita est. Sed scin', quid te orem, Syre? Ps. Sciam, si dixeris.
Ha. Ego devortor extra portam huc in tabernam tertiam
Apud anum illam doliarem, cludam, crassam, Chrysidem.
Ps. Quid nunc vis? Ha. Inde ut me arcessas, herus tuos ubi venerit . . . .
Ps. Tuo arbitratu, maxume. Ha. Nam ut lassus veni de via:
Me volo curare. Ps. Sane sapis et consilium placet.
Sed vide, sis, ne in quaestione sis, quando arcessam, mihi.
Ha. Quin, ubi prandero, dabo operam somno. Ps. Sane censeo.
Ha. Numquid vis? Ps. Dormitum ut abeas. Ha. Abeo. Ps. Atque (audin', Harpage?)
Iube, sis, te operiri: beatus eris, si consudaveris.

PSEUDOLUS.

Di inmortales, conservavit me illic homo adventu suo! t. t. c. II, 3.
Suo viatico reduxit me usque ex errore in viam!

641. Ita Pal. V.: *iniicere*. 654. V. minus ἐμμέτρως: *ahenea*. 657. Ita Donat. ad Terent. Andr. 4, 4, 31. Libri: *diobolia recludam*, ut Pal.; *diobolarem cl.* 663. Sic vett. edd. V.: *Nunc quid vis?* Nota formula abeuntium.

Nam ipsa mihi Opportunitas non potuit opportunius
Advenire, quam haecce adlata est mi opportune epistola:
Nam haec adlata cornu copiae est, ubi inest, quidquid volo:
Hic doli, hic fallaciae omnes, hic sunt sycophantiae,
Hic argentum, hic amanti amica herili filio.
Atque ego nunc (me ut gloriosum faciam, ut copi pectore),
Quo modo quidque agerem, ut lenoni subriperem mulierculam,
Iam instituta, ornata, cuncta in ordinem animo, ut volueram,
Certa, deformata habebam; sed profecto hoc sic erit:
Centum doctum hominum consilia sola haec divincit dea
Fortuna. Atque hoc verum est: proinde ut quisque fortuna utitur,
Ita praecellet atque exinde sapere eum omnes dicimus.
Bene ubi quod consilium discimus accidisse: hominem catum
Esse eum declaramus; stultum autem illum, quoi vortit male.
Stulti haud scimus, frustra ut simus, quom quid cupienter dari
Petimus nobis, quasi, quid in rem sit, possimus noscere.
Certa amittimus, dum incerta petimus; atque hoc evenit
In labore atque in dolore, ut mors obrepat interim.
Sed iam satis est philosophatum; nimis diu et longum loquor.
Di inmortales, aurichalco contra non carum fuit
Meum mendacium, hic modo quod subito conmentus fui,
Quia lenonis me esse dixi! Nunc ego hac epistola
Tris deludam, herum et lenonem et, qui hanc mihi dedit epistolam.
Euge, par pari! Aliud autem, quod cupiebam, contigit:
Venit eccum Callidorus; ducit nescio quem secum simul. i. t.

CALLIDORUS. CHARINUS. PSEUDOLUS.

CA. Dulcia atque amara apud te sum elocutus omnia. t. t. c. II, 4.
Scis amorem, scis laborem, scis egestatem meam.
CH. Conmemini omnia. Id tu modo, quid me vis facere, fac sciam,
CA. Cum haec tibi alia, tum elocutus sum, ut sit res de symbolo.

674. V.: *ordine.* 681. V.: *quod.* 695. Pessime omnino libri: *C. h. t. a. sum eloc., ut scires, si scis de symb.*

CH. Omnia, inquam: tu modo, quid me facere vis, fac ut sciam.
CA. Pseudolus mihi ita imperavit, ut aliquem hominem strenuom,
Benevolentem, adducerem ad se. CH. Servas imperium probe:
Nam et amicum et benevolentem ducis. Sed istic Pseudolus
Novos mihi est. CA. Nimium est mortalis graphicus; heuristes mihi est.
Is mihi haec esse ecfecturum dixit, quae dixi tibi.
PS. Magnifice hominem conpellabo. CA. Quoia vox sonat? PS. Io, io,
Te, te, te, tyranne, te rogo, qui imperitas Pseudolo! t. t. c.
Quaero, quoi ter trina triplicia tribus modis tria gaudia,
Artibus tribus ter demeritas dem laetitias, de tribus
Fraude partas per malitiam et per dolum et fallaciam.
In libello hoc obsignato ad te attuli pauxillulo.
CA. Illic homo est. CH. Ut paratragoedat carnufex! CA. Confer gradum
Contra pariter. PS. Porge audaciter ad salutem brachium.
CH. Dic, utrumne, Spemne an Matrem, te salutem, Pseudole?
PS. Imo utrumque. CH. Utrumque salve. Sed quid actum est? — Quid times?
CA. Attuli hunc. PS. Quid? attulisti? CA. Adduxi volui dicere.
PS. Quis istic est? CA. Charinus. PS. Euge, iam χαριν οἰωνὸν ποιῶ! i. t.
CH. Quin tu, quidquid opust, mi audacter imperas? PS. Tam gratia t. t. c.
Est. Bene est, Charine! nolo, tibi molestos esse nos.
CH. Vos molestos mihi? Molestum est id quidem. PS. Tum tu igitur mane.
CH. Quid istuc est? PS. Epistolam hanc modo intercepi et symbolum. i. t.
CH. Symbolum? quem symbolum? PS. Qui a milite adlatust modo. t. t. c.
Eius servo, qui hunc ferebat cum quinque argenti minis,
Tuam qui amicam hinc arcessebat, eii os sublevi modo.
CA. Quomodo? PS. Horum causa haec agitur spectatorum fabula:

702. Ita MSS. et vett. edd. V. *io* ter ponitur. 713. V. *ἀμέτρως*: *χαρῖνον ο. π.* Pal.: *iam charytoiio πολω.* 715. V. praeter usum in hac formula: *Bene sit.*

Hi sciunt, qui hic adfuerunt; vobis post narravero.
CA. Quid nunc agimus? Ps. Liberam hodie tuam amicam amplexabere.
CA. Egone? Ps. Tute. CA. Ego? Ps. Ipsus, inquam, si quidem hoc vivet caput;
Si modo mihi hominem invenietis propere . . . . CH. Qua facie? Ps. Malum,
Callidum, doctum, qui, quando principium prehenderit.
Porro sua virtute teneat, quid se facere oporteat;
Atque eum, qui hic non visitatus saepe sit. CH. Si servos est,
Numquid refert? Ps. Imo multo mavolo quam liberum.
CH. Posse opinor me dare hominem tibi malum et doctum, modo
Qui a patre advenit Carysto nec dum ex aedibus exiit
Quoquam neque Athenas advenit unquam ante hesternum diem.
Ps. Bene iuvas. — Sed quinque inventis opus est argenti minis
Mutuis, quas hodie reddam: nam huius mihi debet pater.
CH. Ego dabo: ne quaere aliunde. Ps. O hominem opportunum mihi!
Etiam opust chlamyde et machaera et petaso. CH. Possum a me dare.
Ps. Di inmortales, non Charinus mi hic quidem est, sed Copia!
Sed istic servos, ex Carysto qui huc advenit, quid sapit? i. t.
CH. Hircum ab alis. Ps. Manuleatam tunicam habere hominem decet. t. t. c.
Ecquid habet homo iste aceti in pectore? CH. Atque acidissumi.
Ps. Quid, si opus sit, dulce ut promat indidem? ecquid habet? CH. Rogas?
Murrhinam, passum, defrutum, melliniam, mel quoiusmodi.
Quin in corde instruere quondam coepit thermopolium.
Ps. Eugepae! lepide, Charine, meo me ludo lamberas.
Sed quod nomen esse dicam ego isti servo? CH. Simmiae.
Ps. Scitne in re advorsa vorsari? CH. Turbo non aeque citust.

728. Ita ed. Paris. Vulgo: *usitatus*. Cf. Camerar., Douza Centur. p. 399, alios. 734. Inepte legitur: *nam unam huius* etc. Dudum est cum locum emendavit Guil. Quaest. in Pseud. cap. 4. 740. Libri: *is homo*, hiante versu. 742. V. ἀμέτρως: *melinam*, vel *mellinam*, ut Pal. et vett. edd. Cf. Truc. 662. 745. V.: *Sed quid nomen* etc. Pal. et vett. edd.: *S. qui n.* etc.

Ps. Ecquid argutust? Ch. Malorum facinorum saepissume.
Ps. Quid, quom manufesto tenetur? Ch. Anguilla est:
Ps. Ecquid is homo scitust? Ch. Plebiscitum non est scitius.
Ps. Probus homo est, ut praedicare te audio. Ch. Imo si scias.
Ubi te adspexerit: narrabit ultro, quid sese velis.
Sed quid es acturus? Ps. Dicam. Ubi hominem exornavero:
Subditicium fieri ego illum militis servom volo;
Symbolum hunc ferat lenoni cum quinque argenti minis;
Mulierem ab lenone abducat. Hem tibi omnem fabulam!
Ceterum, quo quidque pacto faciat, ipsi dixero.
Ca. Quid nunc igitur stamus? Ps. Hominem cum ornamentis omnibus
Exornatum adducite ad me iam ad trapezitam Aeschinum.
Sed properate. Ch. Prius illi erimus, quam tu. Ps. Abite ergo ocius. —
Quidquid incerti mi in animo prius aut ambiguom fuit,
Nunc liquet, nunc defecatum est; cor mihi nunc perviam est.
Omnes ordines sub signis ducam legionis meae
Ave sinistra, auspicio liquido atque ex mea sententia.
Confidentia est, inimicos me meos posse perdere.
Nunc ibo ad forum atque onerabo meis praeceptis Simmiam,
Quid agat: ne quid titubet, docte ut hanc serat fallaciam.
Iam ego hoc oppidum expugnatum faxo erit lenonium.

P U E R.

Quoi servitutem di danunt lenoniam i. s. III, 1.
Puero atque eidem si addunt turpitudinem:
Nae illi, quantum ego nunc corde consipio meo,
Malam rem magnam multasque aerumnas danunt!
Velut haec mi evenit servitus, ubi ego omnibus
Parvis magnisque miseriis praefulcior;
Neque ego amatorem mi invenire ullum queo,
Qui amet me, ut curer tandem nitidiuscule.
Nunc huic lenoni est hodie natalis dies:
Interminatus est a minumo ad maxumum,

759. V. ἀμέτρως: *illic.* 762. Ita locum Lanoius emendavit. Libri: *legiones meas.* 763. V. metro impedito: *Avi.* 766. Ita Sciopp. Susp. Lect. 1, 13, ut dicitur *sator scelerum.* Libri: *ferat.* Cf. Poen. 67. 767. Frustra libri et versu asperrimo: *hoc ipsum opp.* 775. V.: *curet.* Correxit Guil. Quaest. in Pseud. cap. 3.

Si quis non hodie munus misisset sibi,
Eum cras cruciatu maxumo perbitere.
Nunc nescio hercle, rebus quid faciam meis,
Neque ego illud possum, quod illi, qui possunt, solent.
Nunc nisi lenoni munus hodie misero:
Cras mihi potandus fructus est fullonius.
Eheu, quam illae rei ego etiam nunc sum parvolus!
Atque edepol, ut male nunc eum metuo miser,
Si quispiam det, qui manus gravior siet:
Quamquam illud aiunt magno gemitu fieri,
Conprimere dentis videor posse aliquo modo.
Sed conprimenda est vox mihi atque oratio:
Herus, eccum, recipit se domum et ducit cocum.

BALLIO. COCUS. PUER.

Ba. Forum coquinum qui vocant, stulte vocant: i. s. III, 2.
Nam non coquinum est, verum furinum est forum:
Nam si ego iuratus peiorem hominem quaererem
Cocum, non potui, quam hunc, quem duco, ducere,
Multiloquom gloriosum insulsum inutilem.
Quin ob eam rem Orcus recipere ad se hunc noluit,
Uti sit hic, qui mortuis coenam coquat:
Nam hic solus illis coquere quod placeat potest.
Co. Si me arbitrabare isto pacto, ut praedicas:
Cur conducebas? Ba. Inopia: alius non erat.
Sed cur sedebas in foro, si eras cocus,
Tu solus praeter alios? Co. Ego dicam tibi.
Hominum avaritia ego factus sum inprobior cocus,
Non meopte ingenio. Ba. Qua istuc ratione? Co. Eloquar.
Quia enim, quom extemplo veniunt conductum cocum,
Nemo illum quaerit, qui optumus et carissumust;
Illum conducunt potius, qui vilissumust.
Hoc ego fui hodie solus obsessor fori.
Illi drachma issent miseri; me nemo potest
Minoris quisquam numo ut surgam subigere.
Non ego item coenam condio, ut alii coci,
Qui mihi condita prata in patinis proferunt,
Boves convivas faciunt, herbasque oggerunt,
Eas herbas herbis aliis porro condiunt:
Indunt coriandrum, feniculum, allium, atrum olus,
Adponunt rumicem, brassicam, betam, blitum,

815. V. frustra asperato versu: *Boves qui conv.*

Eo laserpiti libram pondo diluont;
Teritur sinapi sceleratum; illis, qui terunt,
Priusquam teruerunt, oculi ut exstillent, facit.
Ei homines coenas sibi coquint! Quom condiunt:
Non condimentis condiunt, sed strigibus,
Vivis convivis intestina quae exedint.
Hoc hic quidem homines tam brevem vitam colunt,
Quom hasce herbas huiusmodi in suom alvom congerunt,
Formidolosas dictu, non esu modo,
Quas herbas pecudes non edunt, homines edunt.
Ba. Quid tu? divinis condimentis utere,
Qui prorogare vitam possis hominibus,
Qui ea culpes condimenta? Co. Audacter dicito:
Nam vel ducenos annos poterunt vivere,
Meas qui esitabunt escas, quas condivero.
Nam ego cicilendium quando in patinas indidi
Aut sipolindrum aut macidem aut sancaptidem:
Ipsae se patinae fervefaciunt eloco.
Haec ad Neptuni pecudes condimenta sunt.
Terrestres pecudes cicimandro condio aut
Hapalopside aut cataractria. Ba. At te Iupiter
Dique omnes perdant cum condimentis tuis
Cumque tuis istis omnibus mendaciis!
Co. Sine, sis, loqui me. Ba. Loquere atque i in malam crucem!
Co. Ubi omnes patinae fervent: omnis aperio;
Ibi odos demissis pedibus in coelum volat.
Ba. Odor demissis pedibus? Co. Peccavi insciens.
Ba. Quid est? Co. Quia demissis manibus volui dicere.
Eum odorem coenat Iupiter quotidie.
Ba. Si nusquam is coctum, quidnam coenat Iupiter?
Co. It incoenatus cubitum. Ba. In' in malam crucem?
Istaccine tibi causa hodie numum dabo?
Co. Fateor equidem esse me cocum carissumum;
Verum pro pretio facio ut opera adpareat
Mea, quo conductus veni. Ba. Ad furandum quidem.
Co. An tu invenire postulas quemquam cocum,
Nisi miluinis aut aquilinis ungulis?

818. V. ἀμέτρως: *sinapis scelerata cum illis* etc. MSS.: *sinapis celera cum illis* etc. Cf. Charis. p. 47. Putsch. 819. Ita Priscian., ἀρχαϊκῶς. V.: *triverunt.* 834. Itidem frustra libri: *Eae ipsae sese pat.* etc. 839. V. desideratur *istis*, quod versui necessarium praebent edd. aetatis mediae et Par. 842. V.: *Is odos.* Corr, Acidal. Divinn. Plaut. p. 357. 844. Sic libri vett. V.: *Quia enim dem. m. v. d.*, quae versus non fert. 852. *tu* legitur in Pal.

Ba. An tu coquinatum te ire quoquam postulas,
Quin ibi constrictis ungulis coenam coquas?
Nunc adeo tu, qui meus es, iam edico tibi,
Ut nostra properes omnia amolirier;
Tum ut huius oculos in oculis habeas tuis.
Quoquo hic spectabit: eo tu spectato simul;
Si hic quo gradietur: pariter progredimino.
Manum protollet? pariter proferto manum.
Suom si quid sumet: id tu sinito sumere;
Si nostrum sumet: tu teneto altrinsecus;
Si iste ibit: ito; stabit: adstato simul;
Si conquiniscet iste: ceveto simul.
Item his discipulis privos custodes dabo.
Co. Habe modo bonum animum. Ba. Quaeso, qui possim, doce
Bonum animum habere, qui te ad me adducam domum?
Co. Quia sorbitione faciam ego hodie te mea,
Item ut Medea Peliam concoxit senem,
Quem medicamento et suis venenis dicitur
Fecisse rursum ex sene adulescentulum:
Item ego te faciam. Ba. Eho, an etiam veneficus?
Co. Imo vero edepol hominum servator magis.
Ba. Hem, mane! quanti unum me coquinare perdoces?
Co. Quid? Ba. Ut te servem, ne quid subripias mihi.
Co. Si credis: numo; si non: ne mina quidem.
Sed utrum amicis hodie an inimicis tuis
Daturus coenam? Ba. Pol ego amicis scilicet.
Co. Quin tu illo inimicos potius, quam amicos, vocas?
Nam ego ita convivis coenam conditam dabo
Hodie atque ita suavi suavitate condiam:
Ut quisque quidque conditum gustaverit,
Ipsos sibi faciam ut digitos praerodat suos.
Ba. Quaeso hercle, priusquam quidquam convivis dabis,
Gustato tute prius et discipulis dato:
Ut praerodatis vostras furtificas manus.
Co. Fortasse haec tu nunc mihi non credas, quae loquor.
Ba. Molestus ne sis. Nimium tinnis; non places.
Hem, illic ego habito: intro abi et coenam coque
Propere. Pu. Quin is adcubitum? et convivas cedo:
Conrumpitur iam coena. Ba. Hem, subolem, sis, vide!

857. V.: *amoliri omnia.* 860. Sic libri vett. V.: *progrediminor.* 861. V., duriore numero: *Manum si prot.* 872. Ita Pal. V.: *rursus*, s littera frequentiore. 875. V. *ἀμέτρως*: *istuc unum.* 880. V. *illos.* Emend. Acidal. 882. *suavi* inculcandum vidit Taubm. 889. V.: *nim. iam tinnis.* 890. Ita Pal. et vett. edd. V.: *intro huc abi.*

Iam hic quoque scelestus est coqui sublingio.
Profecto, quid nunc primum caveam, nescio:
Ita in aedibus sunt fures, praedo in proxumo est:
Nam a me hic vicinus apud forum paulo prius,
Pater Callidori, opere ecfecit maxumo,
Ut mihi caverem a Pseudolo servo suo,
Neu fidem ei haberem: nam circumire in hunc diem,
Ut me, si posset, muliere intervorteret.
Eum promisisse firmiter dixit sibi,
Sese abducturum a me dolis Phoenicium,
Nunc ibo intro atque edicam familiaribus,
Profecto ne quis quidquam credat Pseudolo.

PSEUDOLUS. SIMMIA.

Ps. Si unquam quemquam di inmortales voluere esse auxilio adiutum: t. t. IV, 1.
Med et Callidorum volunt servatum esse et lenonem extinctum,
Quom te adiutorem genuerunt mihi, tam doctum hominem atque astutum.
Sed ubi ille est? Sumne ego homo insipiens, qui haec mecum egomet solus? as. ex t. d. et i. d. c.
Dedit verba mi hercule, ut opinor. Malus cum malo stulte cavi. b. s.
Tum pol ego interii, si ille abiit, neque opus, quod volui, hodie ecficiam. t. t.
Sed eccum video verbeream statuam. Ut magnifice se infert! as. 3 i. h.
Hem, te hercle ego circumspectabam: nimis metuebam male, ne abisses. t. t.
S. Fuit meum officium, ut facerem, fateor. Ps. Ubi restiteras? S. Ubi mihi lubitum est.
Ps. Istuc ego iam sat scio. S. Cur ergo, quod scis, me rogas? t. t. c.
Ps. At hoc volo monere te. S. Monendus ne me moneat. i. t. c.
Ps. Nimis tandem ego abs te contemnor. S. Quippe ego te ni contemnam, as. t. d. i. d. c.

896. V. *Iam*, Sequor Acidalium. 897. V.: *op. petivit max.* Sed libri vett.: *opere*, vel *opere*, ut Pal., *fecit m.* Cic. ad Att. 10, 10: *quod a Curione effeceram.* 889. V.: *nam eum circ.*, quae vix dimetiare. 906. Male libri: *Tum me et C.* etc. 908. Libri, glossemate ἀμέτρῳ: *egom. loquor solus?* 910. V.: *neque hoc opus, q. v., ego h. efficiam*, quae facile indicabuntur.

Stratioticus homo qui cluar? Ps. Iam hoc volo, quod occeptum est, agi. i. t.
S. Numquid agere aliud me vides? i. d.
Ps. Ambula ergo cito. S. Imô otiose volo. c. t.
Ps. Haec ea occasio est: dum ille dormit, volo
Tu prior ut occupes. c. d.
S. Quid properas? Placide! Ne time! Ita ille faxit Iupiter, i. t.
Ut ille palam ibidem adsit, quiqui ille est, qui adest a milite!
Nunquam edepol potior erit Harpax, quam ego. Habe animum bonum:
Pulcre ego hanc explicatam tibi rem dabo. c. t.
Sic ego illunc dolis atque mendaciis
In timorem dabo militarem advenam:
Ipse sese ut neget esse eum, qui siet,
Meque ut esse autumet, qui ipsus est. Ps. Qui potest?
Si. Occidis me, quom istuc rogas! Ps. Hominem lepidum b. t.
Te quoque etiam dolis atque mendaciis! c. t.
Iupiter te mihi servet! S. Imo mibi!
Sed vide: ornatus hic me satis condecet?
Ps. Optume habet. S. Esto. Ps. Tantum tibi di boni
Inmortales duint, c. d.
Qantum tu tibi optes! nam si exoptem, quantum dignus, tantum: t. t.
Minus nihilo est, neque ego homine hoc quemquam vidi mage malum et maleficum.
S. Tun' id mihi? Ps. Taceo. Sed ego quae tibi bona dabo et faciam, si hanc rem
Sobrie adcurassis! S. Potin', ut taceas? Memorem facit inmemorem,
Qui monet, memor quod meminit. Omnia teneo; in pectore t. t. c.
Condita sunt; meditati docte sunt doli. Ps. Probus hic homo
Est. S. Neque hic est, neque ego. Ps. At vide ne titubes. S. Potin', ut taceas? as. ex t. d. et i. d. c.
Ps. Ita me di ament .... Si. Ita non facient. Mera iam mendacia fundes.

917. V.: *cluear.* 921. V.: *Tu p. ut occ. adire*, quae est interpretatio nec sententiam perspicientis nec metri rationem assecuti: nam ad illam quod attinet, in *occupes* intelligendum est *occasionem;* de metro autem non potest non cretica clausula inferri post longiores versus creticos. 923. Libri minus ἐμμέτρως: *quisquis.* 930. V.: *rogitas.* 931. Pessime libri: *atque etiam mend.* 936. Libri ἀμέτρως: *tantum dent.* 938. *bona* legendum vidit Douz. Centur. p. 41[illegible] sequ. V.: *dona;* sed non dicitur *dona facere.*

Ps. Ut ego ob tuam te, Simmia, perfidiam amo et metuo et magnifico!
S. Ego istuc aliis dare condidici; mi obtrudere non potes palpum.
Ps. Ut ego te hodie accipiam lepide, ubi ecfeceris hoc opus .... S. Ha ha he!
Ps. Lepido victu, vino, unguentis et inter pocula pulpamentis! as. ex t. d. et i. d. h.
Ibidem una aderit mulier lepida, tibi savia super savia quae det.
S. Lepide accipis me. Ps. Imo si ecficis; tum faxo mage dicas. as. ex 3 i. h.
S. Ni ecfecero: cruciabiliter carnufex me accipito!
Sed propera mihi monstrare, ubi sit ostium aedium lenonis. t. t.
Ps. Tertium hoc est. S. St, tace: aedes hiscunt. Ps. Credo animo male est t. t. c.
Aedibus. S. Quid iam? Ps. Quia edepol ipsum lenonem evomunt.
S. Illiccine est? Ps. Illic est. S. Mala merx est, Pseudole: illuc, sis, vide: i. t.
Non prorsus, verum ex transvorso, cedit, quasi cancer solet.

BALLIO. PSEUDOLUS. SIMMIA.

Ba. Minus malum hunc hominem esse opinor, quam esse censebam, cocum: t. t. c. IV, 2.
Nam nihil etiamdum harpagavit praeter cyathum et cantharum.
Ps. Heus tu, nunc occasio et tempus! S. Tecum sentio.
Ps. Ingredere in viam dolose; ego hic in insidiis ero.
S. Habui numerum sedulo: hoc est sextum a porta proxumum
Angiportu: in id angiportum me devorti iusserat.
Quotumas aedis dixerit, id ego admodum incerto scio.
Ba. Quis hic homo chlamydatus est aut unde est aut quem quaeritat?
Peregrina facies videtur hominis atque ignobilis.
S. Sed eccum, qui ex incerto faciet mihi, quod quaero, certius.

950. V.: *Nisi.* 951. V.: *ubi hostium lenonis aed.* Pal.: *ubi sit ostenonis aed.* 954. V.: — *merx est.* Ps. *illuc* etc. 959. V.: *et ego* etc.

Ba. Ad me adit recta: unde ego hominem hunc esse dicam gentium?
S. Heus tu, qui cum hircina barba stas, responde, quod rogo.
Ba. Eho, an non prius salutas? S. Nulla est mihi salus dataria.
Ba. Nam pol hinc tantundem accipies. Ps. Iam inde a principio probe!
S. Ecquem in angiportu hoc hominem tu novisti, te rogo.
Ba. Egomet me. S. Pauci istuc faciunt homines, quod tu praedicas:
Nam in foro vix decimus quisque est, qui ipsus sese nôverit.
Ps. Salvos sum: iam philosophatur. S. Hominem ego hic quaero malum
Legirupam inpium periurum atque inprobum. Ba. Me quaeritat:
Nam mi illaec sunt cognomenta. Nomen si memoret modo. —
Quid ei est homini nomen? S. Leno Ballio. Ba. Scivin' ego?
Ipse ego is sum, adulescens, quem tu quaeritas. S. Tun' Ballio es?
Ba. Ego enimvero is sum. S. Ut vestitus, es perfossor parietum.
Ba. Credo, in tenebris conspicatus si sis me, abstineas manum.
S. Herus meus tibi me salutem multam voluit dicere.
Hanc epistolam accipe a me: hanc me tibi iussit dare.
Ba. Quis is homo est, qui iussit? Ps. Perii, nunc homo in medio luto est!
Nomen nescit: haeret haec res. Ba. Quem hanc misisse ad me autumas?
S. Nosce imaginem; tute eius nomen memorato mihi:
Ut sciam, te Ballionem esse ipsum. Ba. Cedo mi epistolam.
S. Accipe et cognosce signum. Ba. Oho, Polymachaeroplacides
Purus putust ipsus! novi. Heus, Polymachaeroplacides
Nomen est. S. Scio iam, tibi recte me dedisse epistolam:
Postquam Polymachaeroplacidae elocutus nomen es.
Ba. Sed quid agit? S. Quod homo edepol fortis atque bellator probus.

967. Ita MSS. et edd. vett. V.: *astas.* 969. MSS.: *probi.* 978. V.: *vest. est p. p.* 986. Ita vett. edd. V. *et* abest. 990. V.: *S. q. a. is?*

Sed propera hanc perlegere, quaeso, epistolam (ita negotium est)
Atque accipere argentum actutum mulieremque emittere:
Nam necesse hodie Sicyoni me esse aut cras mortem exsequi:
Ita herus meus est imperiosus. Ba. Novi; notis praedicas.
S. Propera perlegere ergo epistolam. Ba. Id ago, taceas modo.
„Miles lenoni Ballioni epistolam i. s.
Conscriptam mittit Polymachaeroplacides,
Imagine obsignatam, quae inter nos duo
Convenit olim.“ S. Symbolum est in epistola.
Ba. Video et cognosco signum. Sed in epistola
Nullam salutem mittere scriptam solet?
S. Ita militaris disciplina est, Ballio:
Manu salutem mittunt benevolentibus;
Eadem malam rem mittunt malevolentibus.
Sed ut occepisti, perge operam experirier,
Quid epistola ista narret. Ba. Ausculta modo.
„Harpax calator meus est, ad te qui venit . . . .“
Tune es is Harpax? S. Ego sum. Ba. „Atque iste Harpax quidem,
Qui epistolam istam fert, ab eo argentum accipi
Et cum eo simitu mulierem mitti volo.
Salutem scriptam dignum est dignis mittere;
Te si arbitrarer dignum: misissem tibi.“
S. Quid nunc? Ba. Argentum des, abducas mulierem.
S. Uter remoratur? Ba. Quin sequere ego intro. S. Sequor.

P S E U D O L U S.

Peiorem ego hominem magisque vorsute malum i.s.IV, 5.
Nunquam edepol quemquam vidi, quam hic est Simmia;
Nimisque ego illum hominem metuo et formido male,
Ne malus item erga me sit, ut ergo illunc fuit:
Ne in re secunda nunc mi obvortat cornua,
Si occasionem capsit, qui siet malus.
Atque edepol equidem nolo: nam illi bene volo.
Nunc in metu sum maxumo triplici modo:
Primum omnium iam hunc conparem metuo meum,
Ne deserat med atque ad hostis transeat;
Metuo autem, ne herus redeat etiamdum a foro:
Ne capta praeda capti praedones fuant!

992. V.: *mihi emitt.* 1008. V. *ipse harp.*

Quom haec metuo: metuo, ne ille huc Harpax advenat,
Priusquam hinc hic Harpax abierit cum muliere.
Perii hercle, nimium tarde egrediuntur foras!
Cor conligatis vasis exspectat meum,
Si non educat mulierem secum simul,
Ut exulatum ex pectore aufugiat meo.
Victor sum: vici cautos custodes meos!

SIMMIA. PHOENICIUM. PSEUDOLUS.

S. Ne plora: nescis, ut sit res, Phoenicium; i. s. IV, 4.
Verum haud multo post faxo scibis adcubans.
Non ego te ad illum duco dentatum virum
Macedoniensem, qui te nunc flentem facit;
Quoiam esse te vis maxume, ad eum duco te.
Callidorum haud multo post faxo amplexabere.
Ps. Quid tu intus, quaeso, desedisti? Quam diu
Mihi cor retunsum est oppugnando pectore!
Occasionem reperisti, verbero,
Ubi perconteris me insidiis hostilibus?
S. Quin hinc metimur gradibus militariis?
Ps. Atqui edepol, quamquam nequam homo es, recte mones?
Ite hac, triumphi, ad cantharum recta via!

B A L L I O.

Ha ha he! nunc demum mi animus in tuto est loco, i. s. IV, 5.
Postquam iste hinc abiit atque abduxit mulierem.
Lubet nunc, venire Pseudolum, scelerum caput,
Abducere a me mulierem fallaciis.
Conceptis hercle verbis, satis certo scio,
Ego periurare mavelim me millies,
Quam mi illum verba per deridiculum dare.
Nunc deridebo hercle hominem, si convenero;
Verum in pistrinum, credo, ut convenit, fore.
Nunc ego Simonem mi obviam veniat velim:
Ut mea laetitia laetus promiscam siet.

1027. Sic, teste Pareo, vetus cod. Camerarii MS. V. *adveniat.* 1045. V.: *Atque.* 1049. Ita MSS. V.: *Mihi libet* etc. 1050. V.: *Et abd. a me* etc. 1052. V.: *mavellem.*

SIMO. BALLIO.

SI. Viso, quid rerum meus Ulixes egerit, i. s. IV, 6.
Iamne habeat signum ex arce Balliona.
BA. O fortunate, cedo fortunatam manum!
SI. Quid est? BA. Iam .... SI. Quid iam? BA. Nihil
est, quod metuas. SI. Quid est?
Venitne homo ad te? BA. Non. SI. Quid est igitur boni?
BA. Minae viginti sanae ac salvae sunt tibi,
Hodie quas abs te indu est stipulatus Pseudolus.
SI. Velim quidem hercle! BA. Roga me viginti minas,
Si illic hodie illa sit potitus muliere,
Sive eam tuo gnato hodie, ut promisit, dabit.
Roga, obsecro hercle (gestio promittere):
Omnibus modis tibi esse rem ut salvam scias;
Atque etiam habeto mulierem dono tibi.
SI. Nullum periclum est, quod sciam, stipularier,
Ut concepisti verba. Viginti minas
Dabin'? BA. Dabuntur. SI. Hoc quidem actum est haud
male.
Sed convenistin' hominem? BA. Imo ambo simul.
SI. Quid ait? quid narrat, quaeso? quid dixit tibi?
BA. Nugas theatri, verba, quae in comoediis
Dici solent lenoni, quae pueri sciunt:
Malum et scelestum et periurum aibat esse me.
SI. Pol haud mentitust. BA. Ergo haud iratus fui:
Nam quanti refert, te nec recte dicere,
Qui nihili faciat quique inficias non eat?
SI. Sed quid est, quod non metuam ab eo? id audire expeto.
BA. Quia nunquam mulierem a me abducet nec potest
Iam. Meministine, tibi me dudum dicere,
Eam venisse militi Macedonio?
SI. Memini. BA. Hem, illius servos huc ad me argentum
attulit
Et obsignatum symbolum .... SI. Quid postea?
BA. Qui inter me atque illum militem convenerat.
Is secum abduxit mulierem haud multo prius.
SI. Bonan' fide istuc dicis? BA. Unde ea sit mihi?
SI. Vide modo, ne illic sit contechnatus quidpiam.
BA. Epistola atque imago me certum facit.
Quin quidem illam in Sicyonem ex urbe abduxit modo.

1060. V.: *manum, Simo!* SI. *Quid est?* etc. 1064. V.: *inde est instipulatus Ps.* 1068. V.: *Rogato.* 1074. Ita Pal. et vett. edd. V. *S. hom. conv.?* 1082. V.: *metuas.* Cf. 1069. 1095. V.: Q. *iam q. illam in Sic. ex u. a. m.*

SI. Bene hercle factum! Quid ego cesso Pseudolum
Facere, ut det nomen ad molas coloniam?
Sed quis hic homo est chlamydatus? BA. Non edepol scio,
Nisi ut observemus, quo eat aut quam rem gerat.

HARPAX. SIMO. BALLIO.

HA. Malus et nequam est homo, qui nihili imperium heri facit sui servos; t. t. IV, 7.
Nihili est autem, suom qui officium est inmemor facere, nisi admonitus.
Nam qui liberos eloco se arbitrantur, b. t.
Ex conspectu heri si sui se abdiderunt,
Luxantur, lustrantur, comedunt, quod habent, as. 2 i. h.
Ii nomen diu ferunt servitutis,
Nec boni ingeni quidquam in his inest, as. 2 t. h.
Nisi uti se inprobis teneant artibus.
His cum nec locu' nec sermo convenit
Mihi, neque unquam his nobilis fui
Ego, ut mihi imperatum est, etsi abest, herum adesse hic arbitror. i. t.
Nunc ego illum metuo, quom hic non adest, ne, quom adsit, metuam. as. t. d. i. d. c.
Eii rei operam dabo. Nam t. d.
Me in taberna usque adhuc siverat Syrus, as. c. d. t. h.
Quoi dedi symbolum. Mansi, ut iusserat
(Leno ubi esset domi, me aibat arcessere); c. t.
Verum ubi is non venit, c. d.
Nec vocat: huc ultro venio, ut sciam, quid rei siet: t. t. c.
Ne illic homo me ludificetur; neque quidquam est melius, quam ut hoc
Pultem, atque aliquem huc evocem intus. Leno hoc argentum volo
A me accipiat atque amittat mulierem mecum simul.
BA. Heus tu! SI. Quid vis? BA. Hic homo meus est. SI. Quidum? BA. Quia praeda haec mea est:

1095. *Molas*, molae. Ita MSS. V.: *molarum*. 1099. Libri: *nisi adeo monitus*. 1100. V.: *N. q. l. esse illico se arb.* 1102. Ita MSS. Nonii. V.: *Luxuriantur*. 1106. *His cum.* Anastrophe, qua figura gandet Plautus. Libri, ex interpretatione, ut videtur, metro autem depravato, *Cum his.* 1107. *unquam* non liquescit. 1109. V.: *assiet*, et sequ. versu *Ei*, utrumque contra metrum. 1111. V.: *sineret*. Correxit I. H. Voss. 1113. V. *aiebat*.

Scortum quaerit; habet argentum. Iam admordere hunc mihi lubet.
SI. Iamne illunc comesurus es? BA. Dum recens est, b. t.
Dum datur, dum calet: devorari decet. c. t.
Nam boni me viri pauperant; c. tr.
Improbi alunt, augent rem meam. Malo popli mihi strenui sunt, t. t.
Improbi usui. SI. Malum quod tibi dabunt, qui sic scelestus.
HA. Me nunc commoror, quom has foris non ferio, uti sciam, t. t. c.
Sitne Ballio domi. BA. Venus haec mihi datat bona, quom hos huc adigit t. t.
Lucrifugas, damni cupidos, qui se suamque aetatem bene curant,
Edunt, bibunt, scortantur. Illi sunt alio ingenio atque tu, i. t.
Qui neque tibi bene esse patere et illis, quibus est, invides.
HA. Heus, ubi estis vos? BA. Hic quidem ad me recta habet rectam viam. t. t. c.
HA. Heus, ubi estis? BA. Heus, adulescens, quid istic debetur tibi? —
Bene ego ab hoc praedatus ibo. Novi: bona scaeva est mihi.
HA. Ecquis hoc aperit? BA. Heus, chlamydate, quid istic debetur tibi?
HA. Aedium dominum lenonem Ballionem quaerito.
BA. Quisquis es, adulescens, operam fac conpendi quaerere.
HA. Quid iam? BA. Quia ted ipsus coram praesens praesentem videt.
HA. Tun' es? SI. Chlamydate, cave, sis, tibi a curio infortunio,
Atque in hunc intende digitum: hic leno est. BA. At hic est vir probus;
Sed tu, probe vir, flagitare saepe clamore in foro,
Quom libella nusquam est, nisi quid leno hic subvenit tibi.
HA. Quin tu mecum fabulare? BA. Fabulor. Quid vis tibi?
HA. Argentum accipias. BA. Iamdudum, si des, porrexi manum.

1124. Ita MSS. et vett. edd., nisi quod habent *meam mali*, ut vulgati libri. Vulgo autem sic legitur: — *augent r. m. mali: pop. stren. Damno mihi, improbi usui sunt.* 1125. V.: *Mal. qu. tibi dei, dab., qui sic scel.* Pal.: *Mal. qu. tibi dab.* (improbi), *nisi scel.*, neque *dei* habetur in veteribus edd. 1132. V. duriore metro: *H. u. estis vos?* 1138. Libri ἀμέτρως: *Tun' is es?*

Ha. Accipe. Hic sunt quinque argenti lectae numeratae minae.
Hoc tibi herus me iussit ferre Polymachaeroplacides,
Quod deberet, atque ut mecum mitteres Phoenicium.
Ba. Herus tuos.... Ha. Ita dico. Ba. Miles.... Ha. Ita loquor. Ba. Macedonius....
Ha. Admodum, inquam. Ba. Te ad me misit Polymachaeroplacides....
Ha. Vera memoras. Ba. Hoc argentum ut mihi dares.... Ha. Si tu quidem es
Leno Ballio. Ba. Atque ut a me mulierem tu abduceres?
Ha. Ita. Ba. Phoenicium esse dixit? Ha. Recte meministi. Ba. Mane;
Iam redeo ad te. Ha. At maturate propera: nam propero. Vides.
Iam die multum esse? Ba. Video. Hunc advocare etiam volo.
Mane modo istic: iam revortar ad te. — Quid nunc fit, Simo?
Quid agimus? manufesto hunc hominem teneo, qui argentum attulit.
Si. Quid iam? Ba. An nescis, quae sit haec res? Si. Iuxta cum ignarissumis.
Ba. Edepol hominem verberonem Pseudolum! ut docte dolum
Commentust! tantundem argenti, quantum miles debuit,
Dedit huic atque hominem exornavit, mulierem qui arcesseret.
Pseudolus tuos adlegavit hunc, quasi a Macedonio
Milite esset. Si. Habesne argentum ab homine? Ba. Rogitas, quod vides?
Si. Heus, memento ergo dimidium istinc mihi de praeda dare!
Commune istuc esse oportet. Ba. Quid? malum? Id totum tuom est.
Ha. Quam mox mi operam das? Ba. Tibi do equidem. — Quid nunc mi es auctor, Simo?
Si. Exploratorem hunc faciamus ludos suppositicium
Adeo, donicum ipsus sese ludos fieri senserit.
Ba. Sequere. — Quid ais? Nempe tu illius servos es? Ha. Planissume.

1150. Ita Pal. V. abest *tu*, quo versus non potest carere. 1151. Ita Pal. et edd. vett. V.: *Phoeniciumne*. 1154. V.: *fiet*. 1166. Frustra libri hunc versum Ballioni tribuunt.

Ba. Quanti te emit? Ha. Suarum in pugna virium victoria:
Nam ego eram domi imperator summus in patria mea.
Ba. An etiam ille unquam expugnavit carcerem, patriam tuam?
Ha. Contumeliam si dices: audies. Ba. Quotumo die
Ex Sicyone huc pervenisti? Ha. Altero ad meridiem.
Ba. Strenue mehercule isti. — Quamvis pernix hic homo est!
Ubi suram adspicias: scias, posse eum gerere crassas compedes. —
Quid ais? tune etiam cubitare solitus in cunis puer?
Si. Scilicet. Ba. Etiamne facere solitus es? scin', quid loquar?
Si. Scilicet solitum esse. Ha. Sanine estis? Ba. Quid hoc, quod te rogo?
Noctu in vigiliam quando ibat miles, tum tu ibas simul?
Conveniebatne in vaginam tuam machaera militis?
Ha. I in malam crucem! Ba. Ire licebit tibi tamen hodie temperi.
Ha. Quin tu mulierem mi emittis? aut redde argentum. Ba. Mane.
Ha. Quid maneam? Ba. Chlamydem hanc conmemores, quanti conducta est. Ha. Quid est?
Ba. Quid meret machaera? Ha. Helleborum hisce hominibus opus est. Ba. Eho ....
Ha. Mitte. Ba. Quid mercedis petasus hodie domino demeret?
Ha. Quid domino? quid somniatis? Mea quidem haec habeo omnia,
Meo peculio emta. Ba. Nempe, quod femina summa sustinent.
Ha. Uncti hi sunt senes: fricari sese ex antiquo volunt.
Ba. Responde, obsecro hercle, hoc vero serio, quod te rogo:
Quid meres? quantillo argento te conduxit Pseudolus?
Ha. Qui istic Pseudolust? Ba. Praeceptor tuos, qui te hanc fallaciam
Docuit, ut fallaciis hinc mulierem a me abduceres.
Ha. Quem tu Pseudolum, quas tu mihi praedicas fallacias,
Quem ego hominem nulli coloris novi? Ba. Non tu istinc abis?
Nihil est hodie hic sycophantis quaestus. Proin tu Pseudolo

1181. V.: *reddis.* 1185. Pal.: *Q. d. quid socii quid somniatis mea equidem* etc. 1186. V.: *sustinet.* Emend. G. Canter. Nov. Lect. 7, 16. 1193. Ita Iunt. Ald., *ἀρχαϊκῶς*, quod metro convenientius quam vulgatum *nullius.* Cf. Meurs. Exercitatt. crit. part. 1. p. 194.

Nunties, abduxisse alium praedam, qui occurrit prior
Harpax. HA. Is quidem edepol Harpax ego sum. BA. Imo edepol esse vis. —
Purus putus sycophanta est. HA. Ego tibi argentum dedi
Et dudum adveniens extemplo symbolum servo tuo,
Heri imagine obsignatam epistolam, hic ante ostium.
BA. Meo tu epistolam dedisti servo? quoi servo? HA. Syro.
BA. Num confidit sycophanta hic? Nequam meditatur male:
Nam illam epistolam ipsus verus Harpax huc ad me attulit.
HA. Harpax ego vocor; ego servos sum Macedonis militis;
Ego nec sycophantiose quidquam ago nec malefice
Neque istunc Pseudolum, mortalis qui sit, novi neque scio.
SI. Tu, nisi mirum est, leno, plane perdidisti mulierem.
BA. Edepol nae istuc magis magisque metuo, quom verba audio.
SI. Mihi quoque edepol iamdudum ille Syrus cor perfrigefacit,
Symbolum qui ab hoc accepit. Mira sunt, ni Pseudolust.
Eho tu, qua facie fuit dudum, quoi dedisti symbolum?
HA. Rufus quidam, ventriosus, crassis suris, subniger,
Magno capite, acutis oculis, ore rubicundo, admodum
Magnis pedibus. SI. Perdidisti, postquam dixisti pedes!
Pseudolus fuit ipsus. BA. Actum est de me! Iam morior, Simo!
HA. Hercle haud te sinam ecmoriri, nisi mi argentum redditur,
Viginti minae. SI. Atque etiam mihi aliae viginti minae.
BA. Auferetur praemium id a me, quod promisi per iocum?
SI. De inprobis viris auferri praemium et praedam decet.
BA. Saltem Pseudolum mihi dedas. SI. Pseudolum ego dedam tibi?
Quid deliquit? Dixin', ab eo ut tibi caveres, centies?
BA. Perdidit me. SI. At me viginti modicis multavit minis.
BA. Quid nunc faciam? HA. Si mi argentum dederis: te suspendito.
BA. Di te perdant! Sequere, sis, me ergo ad forum: ut solvam. HA. Sequor.

1197. Libri ἀμέτρως: *P. p. hic syc. est.* 1201. V., inepte quidem et ὑπερμέτρως: *Non confidit. syc. hic nequ. est: nugis, med m.* *Num*, nonne, quod est rem affirmatis; *nequam*, malum, fraudem; *male*, dolose. *Nugis* irrepsit ex prava interpretatione. Male etiam post hunc versum in libris praeter edd. Colon. Iunt. Ald. denuo leguntur versus 1157 — 1159, nisi quod hoc loco habent *abduceret* pro *arcesseret*. Dudum Acidal. monuerat. 1225. V.: *me ergo hac ad for.*

SI. Quid ego? BA. Peregrinos absolvam; cras agam cum civibus.
Pseudolus mihi centuriata habuit capitis comitia,
Quiillunc ad me hodie adlegavit, mulierem qui abduceret. —
Sequere tu nunc. — Ne exspectetis, dum hac domum redeam via:
Ita res gesta est, angiporta haec certum est consectarier.
HA. Si graderere tantum, quantum loquere: iam esses ad forum.
BA. Certum mi est, ecmortualem facere ex natali die.

S I M O.

Bene ego illunc tetigi, bene autem servos inimicum suom! t. t. c. IV, 8.
Nunc mihi certum est, alio pacto Pseudolo insidias dare,
Quam aliis in comoediis fit, ubi cum stimulis aut flagris
Insidiantur; at ego iam inultus promam viginti minas,
Quas promisi, si ecfecisset; obviam ei ultro deferam.
Nimis illic mortalis doctus, nimis vorsutus, nimis malus!
Superavit Dolum Troianum atque Ulixem Pseudolus!
Nunc ibo intro: argentum promam; Pseudolo insidias dabo.

P S E U D O L U S.

Quid hoc? siccine hoc fit, pedes? statin', an non? b. t. V, 1.
An id voltis, ut me hic iacentem aliquis tollat?
Nam hercle si cecidero, vostrum erit flagitium. as. c. d. t. d. br.
Pergitin' pergere? Ah, saeviundum mi hodie est.
Magnum hoc vitium vino est: pedes captat primum. as. ith. b. d.
Luctator dolosust. b. d.
Profecto edepol ego nunc probe abeo madulsa: b. t.
Ita victu excurato, ita mundiciis digne, ah!
Itaque in loco festivo sumus festive accepti.
Quid opus, multas me agere ambages? Hoc est homini, quamobrem amet t. t. c.
Vitam! voluptates hic omnes, indu hoc omnes sunt venustates!
Proxumum arbitror dis esse: nam ibi amans conplexus amantem est;

1250 — 1252. *Ubi* pro *ibi* h. l. legitur in libris. *Ibi*, hac in e, quam nunc ago, convivium, comissationem.

Ibi labra ad labella adiungit; ibi alter alterum bilingui
Manufesto inter se prehendunt; ibi mamma mammilla opprimitur;
Aut, si lubet, corpora conduplicant; a. d.
Manu' candida cantharum dulciferum —
Propinare, amicissumam amicitiam, as. b. d. t.
Neque ibi esse alium alii odio nec molestum
Nec sermonibus morologis uti:
Unguenta atque odores, lemniscos, corollas b. t.
Dari dapsilis; non enim parcipromi
Victu cetero: ne quis me roget. as. b. d. i.
Hoc ego modo atque herus minor hanc diem sumsimus prothyme. as. t. d. i d. c.
Postquam opus meum, ut volui, omne perpetravi, hostibus fugatis:
Illos adcubantis, potantis, amantis, b. t.
Cum scortis reliqui et meum scortum ibidem,
Cordi atque animo suo obsequentes Sed postquam exsurrexi: orant as. t. d. i. d. c.
Med, ut saltem. Ad hunc modum me intuli, illis ut satisfacerem
Nimis ex disciplina: quippe t. d.
Ego, qui probe Ionica perdidici a. d.
Sed palliolatim amictus sic incessi, i. tr. c.
Ludibundus. Plaudunt; partim clamitant med, ut revortar. t. t.
Denuo occepi hoc modo volvi; idem amicae meae dabam me,
Ut me amaret. Ubi circumvortor: cado. Id fuit naenia ludo.
Itaque, dum enitor: pax! iam pene inquinavi pallium. t. t. c.
Nimiae tum voluptati edepol fui. as. b. d. et i.
Ob casum datur cantharus; bibi.
Conmuto eloco pallium; illud posivi; b. t.
Inde huc exii, crapulam dum amoverem.
Nunc ab hero ad herum meum maiorem venio foedus conmemoratum. t. t.
Aperite, aperite! heus, Simoni, adesse me, quis nuntiate!

1052. V.: *ubi mamma manicula opprimitur alia; aut si lubet* etc. Pal.: *ubi mammam anicula opp. alant si l.* etc. 1256. Frustra libri et *ἀμέτρως*: — *odio ibi nec mol.* Senserunt vitium Lips. apud Douz. Centur. p. 416 et Par. 1267. V. abest *Nimis*; sed Pal.: *satisfacete nime ex disc.*; et vett. edd.: *satisfacere, minime ex disc.* *Nimis*, valde.

SIMO. PSEUDOLUS. BALLIO.

Si. Vox viri pessumi me exciet foras. as. c. d. t. h. V, 2.
Sed quid hoc? quomodo? quid tu? video ego . . . . ?
Ps. Cum corona ebrium Pseudolum tuom.
Si. Libere hercle hoc quidem! — Sed vide statum!
Num mea gratia pertimescit magis? c. t.
Cogito, saeviter blanditerne adloquar.
Sed med hoc vim vetat facere nunc, quod fero,
Si qua in hoc spes sita est mihi. c. d. h.
Ps. Vir malus viro optumo obviam it. Si. Di te ament, Pseudole. — t. t. c.
Phui,
In malam crucem! Ps. Cur ergo me adflictem? Si. Quid tu, malum, ergo as. t. d. i. d. c.
Ebrius mi in os inructas? t. d.
Ps. Molliter siste nunc me! cave, ne cadam! c. t.
Non vides me, ut madide madeam? t. d.
Si. Quae istaec audacia est, te sic interdius c. t.
Cum corolla ebrium incedere? c. tr.
Ps. Lubet. Si. Quid? lubet? Pergin' ructare in os mihi? b. t.
Ps. Suavis ructus mi est. Sic sine modo. t. d. h.
Si. Credo equidem, potesse te, scelus,
Massici montis uberrumos quatuor c. t.
Fructus ecbibere in hora una. Ps. Hiberna, addito.
Si. Haud male mones. Sed dic tamen, i. d.
Unde onustam celocem agere te praedicem. c. t.
Ps. Cum tuo filio perpotavi modo.
Sed, Simo, ut probe tactus Ballio est! as. 2 t. h.
Quae tibi dixi, ut ecfecta reddidi!
Si. Derides? — Pessumus homo est! Ps. Mulier hic facit i. s.
Cum tuo filio libera adcubet. as. c. d. t. h.
Si. Omnia, ut quidque egisti, ordine scio.
Ps. Quid ergo dubitas dare mi argentum? Si. Ius petis, fateor. Tene. i. t.
Ps. At negabas, te esse daturum mihi; tamen das. — Onera hunc hominem t. t.
Atque me consequere hac. Si. Istunc ego onerem? Ps. Onerabis, scio. t. t. c.
Si. Quid ego huic homini faciam? satin' ultro argentum aufert et me inridet? t. t.

1290. Ita vett. libri apud Acid. V.: *afflictor*. 1305. V.: *Mul. haec feci.* Pal. et vett. edd.: *M. h. facit. Hic*, hic homo, ego Pseudolus. 1311. V.: *ult. et arg.*

Ps. Vae victis! Vorte ergo humerum. Hem! i. d. c.
Ba. Hoc ego nunquam fore ratus sum med, ut tibi fierem supplex. as. t. d. i. d. c.
Heu, heu! heu, h e u! Ps. Desine. Ba. Doleo. Ps. Ni doleres tu: ego dolerem.
Ba. Quid? hoc auferre nunc abs tuo hero, Pseudole? i. s.
Ps. Lubentissumo corde atque animo. b. tr.
Ba. Non audes, quaeso, aliquam partem mihi gratiam facere hinc argenti? as. t. d. i. d. h.
Ps. Novi, dices me avidum esse hominem: nam hinc nunquam eris numo divitior.
Neque te mei tergi misereret, si hoc non hodie ecfecissem. as. t. d. i. d. c.
Ba. Erit, ubi te ulciscar, si vivo! Ps. Quid minitare? Habeo tergum.
Ba. Age sane. Ps. Igitur redi. Ba. Quid redeam? Ps. Redi modo: non eris deceptus t. t.
Ba. Redeo. Ps. Simul mecum i potatum. Ba. Egone eam? Ps. Fac, quod te iubeo.
Si is: aut dimidium aut plus etiam faxo hinc feres. Ba. Eo. Duc me, quo vis. as. t. d. i. d. h.
Ps. Quid nunc? i. br.
Numquid iratus es aut mihi, aut filio, c. t.
Propter has res, Simo? c. d.
Si. Nihil profecto. Ps. I hac. i. d. br.
Ba. Te sequor. Quin vocas spectatores simul? c. t.
Ps Hercle me isti haud solent. Verum si adplaudere
Voltis atque adprobare hunc gregem et fabulam: in
Crastinum vos vocabo. c. d. h.

1315. V.: *auferrene, Ps. abs. t. h.?* Sed MSS. et vett. edd.: *auferre non, Ps.* etc. Saepe confusa *nunc, non, num, ne.* 1322. V. *i* excidit, quod addendum esse recte suspicabatur Acidal. 1329. V., intruso putido glossemate, legitur: *solent vocare, neque ergo ego istos*, quae absunt ab editionibus quibusdam vett., in his Mediolan. 1500. Istis expunctis etiam metrum apparebat creticum.

RUDENS.

ARGUMENTUM.

Reti piscator vidulum extraxit mari, i. s.
Ubi erant herilis filiae crepundia,
Dominum ad lenonem quae subrepta venerat.
Ea suipte imprudens in clientelam patris,
Naufragio eiecta, devenit, cognoscitur
Suoque amico Pleusidippo iungitur.

Vers. 1. libri nullis numeris: *R, p. de mari extr. vid.* *De* additum haud dubie est a glossatore.

DRAMATIS PERSONAE.

ARCTURUS.
SCEPARNIO.
PLEUSIDIPPUS.
DAEMONES.
PALAESTRA.
AMPELISCA.
SACERDOS ANUS.
PISCATORES.
TRACHALIO.
LABRAX.
CHARMIDES.
GRIPUS.
ORARII.

PROLOGUS.

ARCTURUS.

Qui gentis omnis mariaque et terras movet, i. s.
,ius sum civis civitate coelitum.
ta sum, ut videtis: splendens stella candida;
ignum, quod semper tempore exoritur suo.
Iic atque in coelo nomen Arcturo est mihi.
Ioctu sum in coelo clarus atque inter deos;
nter mortalis ambulod interdius.
:t alia signa de coelo ad terram accidunt:
)ui est imperator divom atque hominum, Iupiter,
s nos per gentis alium alia disparat:
Iominum qui facta mores pietatem et fidem
Ioscamus, ut quemque adiuvet Opulentia.
)ui falsas litis falsis testimoniis
'etunt, quique in iure abiurant pecuniam,
:orum referimus nomina exscripta ad Iovem.
:otidie ille scit quis hic quaerat malum.
)ui hic litem apisci postulant periurio
Iali, res falsas qui inpetrant apud iudicem:
terum ille eam rem iudicatam iudicat,
Iaiore multa multat quam litem auferunt.
Ionos in aliis tabulis exscriptos habet.
tque hoc scelesti in animum inducunt suom,
ovem se placare posse donis, hostiis.
:t operam et sumtum perdunt: id eo fit, quia
Iihil ei acceptum est a periuris supplici.
'acilius, si qui pius est, a dis supplicans,
)uam qui scelestust, invenit veniam sibi.
dcirco moneo vos ego haec, qui estis boni,
)uique aetatem agitis cum pietate et cum fide,

V. 10. *alia.* Guil. et Reiz.: *aliuta*, h. e. aliter. *Alia* non liuescit. 17. Sic Pal., Camer., Par. V.: *adipisci.* 23. Pal.: — *poset omnibus ostiis.* *Omnibus* legitur etiam in editionibus aliquot ett. 27. Libri insuavi numero: *inveniet.*

Retinete porro: post factum ut laetemini.
Nunc, huc qua causa veni, argumentum eloquar.
Primumdum huic esse nomen urbi Diphilus
Cyrenas voluit. Illic habitat Daemones
In agro atque villa proxuma propter mare,
Senex, qui huc Athenis exul venit, haud malus;
Neque is adeo propter malitiam patria caret;
Sed, dum alios servat, se inpedivit interim:
Rem bene paratam comitate perdidit.
Huic filiola virgo periit parvola;
Eam de praedone vir mercatur pessumus;
Is eam huc Cyrenas, leno, advexit virginem.
Adulescens quidam civis huius Atticus
Eam vidit ire e ludo fidicinio domum:
Amare occepit, ad lenonem devenit,
Minis triginta sibi puellam destinat
Datque arrhabonem et inreiurando adligat.
Is leno, ut se aequom est, flocci non fecit fidem
Neque, quod iuratus adulescenti dixerat.
Erat hospes ei par illius Siculus, senex
Scelestus, Agrigentinus, urbis proditor;
Is illius laudare infit formam virginis
Et aliarum itidem, quae eius erant mulierculae;
Infit lenoni suadere, ut secum simul
Eat in Siciliam: ibi esse homines voluptarios
Dicit: potessed ibi eum fieri divitem:
Ibi esse quaestum maxumum meretricibus.
Persuadet: navis clanculum conducitur;
Quidquid erat, noctu in navem conportat domo
Leno adulescenti, qui puellam ab eo emerat,
Ait, sese Veneri velle votum solvere.
Id hic est fanum Veneris, et eo ad prandium
Vocavit adulescentem hunc; ipse hinc eloco
Conscendit navem, avehit meretriculas.
Adulescenti alii narrant, ut res gesta sit:
Lenonem abiisse. Ad portum adulescens venit;
Illorum navis longe in altum abscesserat.
Ego quoniam video virginem asportarier,
Tetuli ei auxilium et lenoni exitium simul:
Increpui hibernum et fluctus movi maritumos:
Nam Arcturus signum omnium sum acerrumum;

35. Etsi haec lectio ferri potest, malim tamen *huc* exclusum, quod per se intelligitur, asperatque versum. 62. Ita Reiz. V.: *ad. huc.*

ehemens sum exoriens; quom occido, vehementior.
Tunc ambo in saxo lenod atque hospes simul
edent eiecti: navis confracta est iis;
la autem virgo atque altera itidem ancillula
e navi timidae desiluerunt in scapham.
unc eas ab saxo fluctus ad terram ferunt
d villam, ille ipsus exul ubi habitat senex,
uoius deturbavit ventus tectum et tegulas,
t servos illic eius, qui egreditur foras.
dulescens huc iam adveniet, quem videbitis,
ui illam mercatust de lenone virginem.
Valete: ut hostes vostri diffidant sibi.

SCEPARNIO.

roh di inmortales, tempestatem quoiusmodi i. s. I, 1.
eptunus nobis nocte hac misit proxuma!
etexit ventus villam! Quid verbis opust?
on ventus fuit; verum Alcumena Euripidi:
a omnis de tecto deturbavit tegulas.
ilustriores fecit fenestrasque indidit.

LEUSIDIPPUS. DAEMONES. SCEPARNIO.

L. Et vos a vostris abduxi negotiis, i. s. I, 2.
eque id processit, qua vos duxi gratia,
eque quivi ad portum lenonem adprehendere;
ed mea desidia spem deserere nolui:
o vos, amici, detinui diutius.
unc huc ad Veneris fanum venio visere,
bi rem divinam se facturum dixerat.
AE. Prope me hinc nescio quis loquitur — Heus Sceparnio!
:. Qui nominat me? DAE. Qui pro te argentum dedit.
:. Quasi me tuom esse servom dicas, Daemones.
AE. Luto usust multo: multam terram confode.
illam integundam intellego totam mihi:
am nunc perlucet ea quam cribrum crebrius.
:. Si sapiam: hunc, quo me mactat, concinnem lutum.

73. Sic libri vett. V. sec. Cam. pro *iis* legitur *ibus*, quod est iore syllaba porrecta. 77. V.: *Ad v. illius, ex. u. h. s.* 79. V.: t *eius.*

V. 7. Fort. numeris melioribus: *abd. ego.* 20. V. habetur post , legiturque *hoc, quod me.*

Pl. Pater, salveto, amboque adeo. Dae. Salvos sis.
Sc. Sed utrum tu mas an femina es, qui illunc patrem
Voces? Pl. Vir sum equidem. Sc. Quaere, vir, porro patrem.
Dae. Filiolam ego unam habui; eam unam perdidi;
Virile nunquam secus ullum habui. Pl. At di dabunt.
Sc. Tibi quidem hercle, quisquis es, magnum malum,
Qui oratione hic occupatos occupes.
Pl. Isticcine vos habitatis? Sc. Quid tu id quaeritas?
An, quo furatum venias, vestigas loca?
Pl. Peculiosum esse decet servom et probum,
Quem hero praesente praetereat oratio,
Aut qui inclementer dicat homini libero.
Sc. Et inpudicum et inpudentem hominem addecet,
Molestum ultro advenire ad alienam domum,
Quoi debeatur nil. Dae. Tace, Sceparnio.
Quid opus, adulescens? Pl. Isti infortunium,
Qui praefestinet, ubi herus adsit, praeloqui.
Sed, nisi molestum est, paucis percontarier
Volo ego ex te. Dae. Dabitur opera, atque in negotio.
Sc. Quin tu in paludem is exsecasque arundines,
Qui pertegamus villam, dum sudum est? Dae. Tace. —
Tu, si quid opus est, dice. Pl. Dic, quod te rogo:
Ecquem tu hominem crispum, incanum, videris,
Malum, periurum, palpatorem .... Dae. Plurimos:
Nam ego propter eiusmodi viros vivo miser.
Pl. Huc, dico, in fanum Veneris qui mulierculas
Duas secum adduxit, quique adornavit sibi,
Ut rem divinam faciat aut hodie aut heri.
Dae. Non hercle, adulescens, iam hos dies conplusculos
Quemquam istic vidi sacruficare, neque potest
Clam me esse, si qui sacruficant: semper petunt
Aquam hinc aut ignem aut vascula aut cultrum aut veru
Aut aulam exstarem aut aliquid; quid verbis opust?
Veneri paravi vasa et puteum, non mihi.
Nunc intervallum iam hos dies multos fuit.
Pl. Ut verba praehibes, me periisse praedicas.
Dae. Mea quidem hercle causa salvos sis, licet.
Sc. Heus tu, qui fana ventris causa circumis,

21. Sic libri vett V.: *sies.* 25. Iidem: *Vir. sexus n. u. h.* 27. V.: *hic nos.* 29. Ita Reiz. V.: *mox ven.* 30. *Pecul.* non eliditur. 31. Sic libri; sed vereor ut haec sint sana. Acid.: *haud praet.* Quem sequitur Reiz. 40. V.: *exsicasque.* 43. Fort.: *hemonem.* V.: *E. tu hic hom.;* sed confer responsionem Daemonis. 46. V.: *Hic.* 47. V.: *adornaret.*

'ubere meliust prandium ornari domi.
'ortasse tu huc vocatus es ad prandium:
lle, qui vocavit, nullus venit. Pl. Admodum.
ic. Nullum est periculum, ire te hinc pransum domum.
Cererem quam Venerem melius te sectarier:
mori haec curat, tritico curat Ceres,
'l. Deludificavit me ille homo indignis modis!
Dae. Proh di inmortales, quid illuc est, Sceparnio,
lominum secundum littus? Sc. Ut mea opinio est,
ropter viam illi sunt vocati ad prandium.
'ae. Qui? Sc. Quia post coenam, credo, laverunt heri.
onfracta navis in mari est illis. Dae. Ita est.
c. At hercle nobis villa in terra et tegulae. Dae. Hui,
omunculi, quanti estis! eiecti ut natant!
l. Ubi sunt homines, obsecro? Dae. Hac ad dexteram.
iden' secundum littus? Pl. Video. Sequimini.
tinam is sit, quem ego quaero, vir sacerrumus!
alete. Sc. Si non moneas: nosmet meminimus.
ed, o Palaemon, sancte Neptuni comes,
uiq u e Herculis sociennus esse diceris.
uod facinus video? Dae. Quid vides? Sc. Mulierculas
deo sedentis in scapha solas duas.
t adflictantur miserae! — Euge, euge! perbene!
b saxo avortit fluctus ad littus scapham,
eque gubernator unquam potuit r e c t i u s. —
on vidisse undas me maioris censeo.
lvae sunt, si illos fluctus devitaverint.
unc, nunc periculum est: eiecit alteram. —
in vado est: iam facile enabit. — Eugepae,
den', alteram illam ut fluctus eiecit foras?
rrexit, horsum se capessit. Salva res!
siluit haec autem altera in terram e scapha.
prae timore in genua in undis concidit! —
lva est: evasit ex aqua. Iam in littore est.
d dextrovorsum avorsa it in malam crucem.
m, errabit hodie illaec? Dae. Quid id refert tua?
. Si ad saxum quo capessit, ea deorsum cadit:
rationis fecerit conpendium.
e. Si tu de illarum coenaturus vesperi es:

62. V.: *N. e. p. te h. ire impransum d.* Cf. 219. 64. Ita Sciopp. iz. Libri: *Amorem.* 71. Sic Pal. et vett. edd. V.: *Heu.* 74. Sic lem vett. V.: *U. s. ii hom.* 78. Vett.: *Qui hercule socius e. d. Quique h. illi s. e. d.* 83. *rectius.* Cf. Asin. 383. Addidit iz. ad supplendum versum. 86. Versus paulo exilior. Libri: iclum. Fort.: *N., n. periclum est: hei, eiecit* alt. 91. V. *undas.*

Illis curandum censeo, Sceparnio;
Si apud me esurus: mihi dari operam volo.
Sc. Bonum aequomque oras. Dae. Sequere me hac ergo.
Sc. Sequor.

PALAESTRA.

Nimio hominum fortunae minus miserae memorantur,
quam experiundis t. t. I, 5.
Datur acerbum. Hoc deo conplacitum est. Me, hoc ornatu
ornatam, eiectam
Timidam in incertas regiones! Hanccine ego ad rem natam miseram
Me memorabo? hanccine ego partem capio ob pietatem
praecipuam?
Nam mi hoc haud labori est laborem hunc potiri, b. t.
Si me erga parentem aut deos inpiavi;
Sed id si parate curavi ut caverem:
Tum hoc mihi indecore, inique, inmodeste, di, datis. t. t. c.
Nam quid sibi igitur inpii posthac habebunt, i. tr. h.
Si ad hunc modum est innoxiis honos apud vos?
Nam me si sciam fecisse aut parentes as. b. d. i. h.
Sceleste: minus me miserer. Sed herile
Scelus me sollicitat; b. d.
Eius me inpietas male habet. Is navem atque omnia perdidit in mari. as. t. d. i. d.
Haec bonorum eius sunt reliquiae. Etiam, as. 2 t. d. br.
Quae simul vecta mecum in scapha est, excidit: c. t.
Ego nunc sola sum! Quae mihi si foret as. 2 t. h.
Salva: saltem labor lenior esset hic c. t.
Eius opera mihi. c. d.
Nunc quam spem aut opem aut consili quid capessam?
b. t.
Ita hic locis solis conpotita. as. 2 i. h.
Hic saxa sunt; hic mare sonat; nec quisquam homo mi
obviam venit. i. t.
Hoc, quod induta sum, summae opes oppido; c. t.
Nec, cibo nec loco tecta quo sim, scio.
Quae mihi spes est, qua vivere me velim? as. c. d. t. h.
Nec loci gnara sum, nec diu hic fui.
Saltem aliquem velim, qui mihi ex his locis c. t.

101. Libri vett.: *experiundo iis.* V.: — *mem., Quam reapse experiundo iis.* 110. V.: *honor.* 121. V.: *compot. sum.* Abest copula ab Iunt. Ald.

ut viam aut semitam monstret: ita nunc, c. tr. h.
ac an illac eam incerta consili; as. c. d. t. h.
ec prope usquam hic quidem cultum agrum conspicor; c. t.
lgor, error, pavor, omnia me tenent. as. c. d. t. h.
aec parentes mei c. d.
aud scitis miseri, miseram me nunc esse, uti sum. i. tr. h.
ibera ego prognata fuvi maxume; nequidquam fuvi. t. t.
unc qui minus servio, quam, si forem serva nata? as. a. paroem. b. d.
eque quidquam unquam iis profui, qui me sibi eduxerunt! i. t. c.

AMPELISCA. PALAESTRA.

M. Quid mihi meliust, quid magis in rem est, quam secludam corpore vitam? t. t. I, 4.
a male vivo atque ita mihi multae in pectore sunt curae exanimales.
ein vitai haud parco! perdidi spem, qua med oblectabam!
mnia iam circumcursavi atque omnibus perreptavi in latebris:
uaerere conservam voce, oculis, auribus, ut pervestigarem;
eque eam usquam invenio, neque, quo eam, neque, qua quaeram, est consultum; as. t. d. i. d. c.
eque, quem rogitem responsorem, interea quemquam invenio;
eque mage solae terrae sunt, quam loca haec atque hae regiones;
eque, si vivit, eam vivam unquam quin inveniam desistam.
A. Quaenam vox prope mi hic sonat? AM. Pertimui! prope hic quis loquitur?
A. Spes bona, mi, obsecro, subventa! t. d.
M. Mulier est; muliebris vox mi ad auris venit. c. t.
ximes ex hoc miseram metu? c. tr.
A. Certo vox muliebris tetigit auris meas. c. t.
um, Ampelisca, obsecro, est? AM. Ten', Palaestra, audio?

129. Sic vett. V.: *inc. sum consilii.* 131. Sic vett., nisi quod
abent: *me omnia tenent.* V.: *A. e. p. membra omnia t.* 133. V.
blesta fide: *ita esse uti sum.* 134. Libri utrobique: *fui.* Corre-
t Reiz. 144. Pal., Mediol. a. 1500: *N. m. solae t. solae sunt* etc.,
os libros male Reiz. secutus est. 149. Ita vett. V.: *an eximes.*

Pa. Quin voco, ut me audiat, nomine illam suo?
Ampelisca! Am. Hem, quis est? Pa. Ego Palaestra sum. as. c. d. t. h.
Am. Dic, ubi es! Pa. Pol ego nunc in malis plurimis. c. t.
Am. Socia sum nec minor pars mea est, quam tua.
Sed videre expeto te. Pa. Mihi es aemula.
Am. Consequamur gradu vocem. Ubi es? Pa. Ecce me!
Accede ad me atque adi contra. Am. Fit sedulo.
Pa. Cedo manum. Am. Accipe. Pa. Dic: vivisne, obsecro? as. 2 t. h.
Am. Tu facis me quidem, ut vivere nunc velim, as. c. d. t. h.
Quom mihi te licet tangere! Ut vix mihi c. t.
Credo ego hoc, te tenere! Obsecro, amplectere,
Spes mea! Ut me omnium iam laborum levas!
Pa. Occupas praeloqui, quae mea oratio est.
Nunc abire hinc decet nos. Am. Quo, amabo, ibimus?
Pa. Littus hoc persequamur. Am. Sequor, quo lubet.
Pa. Siccine hic cum uvida veste grassabimur?
Am. Hoc quod est, id necessarium est perpeti.
Sed quid hoc, obsecro, est? Pa. Quid vides? c. tr.
Am. Amabo, fanum viden' hoc? Pa. Ubi est? Am. Ad dexteram. i. s.
Pa. Video decorum dis locum viderier.
Am. Haud longe abesse oportet homines hinc; ita hic lepidust locus. i. t.
Est deus; veneror, uti nos ex hac aerumna eximat; t. t. c.
Miseras, inopes, aerumnosas aliquo ut auxilio adiuvet.

SACERDOS. PALAESTRA. AMPELISCA.

Sa. Qui sunt, qui a patrona preces mea expetessunt? b. t. I, 5.
Nam vox me precantum huc foras excitavit.
Bonam atque obsequentem deam atque haud gravatam
Patronam exsequontur benignamque multum.
Pa. Iubemus te salvere, mater. Sa. Salvete,
Puellae. Sed unde ire uvida cum veste as. b. d. t. d. br.
Vos dicam, obsecro, tam moestiter vestitas?
Pa. Eloco hinc imus haud longule ex hoc loco; c. t.
Verum longe hinc abest, unde vectae sumus.
Sa. Nempe equo ligneo per vias caerulas

161. Pal.: *quam mihi.* V.: *Quando m.* 169. V.: Pa. *quid? viden', amabo, fanum? videsne hoc?* 173. Sic vetustas. Vulgo: *Quisquis est deus* etc.

Estis vectae. Pa. Admodum. Sa. Ergo aequius vos erat
Candidatas venire hostiatasque ad hoc
Fanum: ad istunc modum non veniri solet.
Pa. Quaene eiectae e mari sumus ambae, obsecro, as. c. d. t. h.
Unde nos hostias agere voluisti huc?
Nunc tibi amplectimur genua, egentes opum, c. t.
Quae in locis nesciis nescia spe sumus:
Ut tuo recipias tecto servesque nos,
Miserarumque te ambarum uti misereat, as. b. d. i. h.
Quibus nec locus ullus nec spes parata est.
Neque hoc amplius, quod vides, nobis quidquam est! b. t.
Sa. Manus mihi date! exsurgite a genibus ambae!
Misericordior nulla me est feminarum.
Sed res pauperes sunt inopesque haec, puellae;
Egomet vix vitam colo, Veneri cibo meo servio. i. t.
Am. Veneris fanum, obsecro, hoc est? i. d. c.
Sa. Fateor. Ego huius fani sacerdos clueo. Verum, quidquid est, t. t. c.
Comiter nunc fiet a me, quo valebit copia.
Ite hac mecum. Pa. Amice benigneque honorem b. t.
Habes nostrum, mater. Sa. Oportet. b. tr.

PISCATORES.

Omnibus modis, qui pauperes sunt homines, miseri vivont; i. t. c. II, 1.
Praesertim quibus nec quaestus est neque artem didicere ullam.
Necessitate, quidquid est domi, id sat est habendum.
Nos iam de ornatu propemodum ut locupletes simus scitis.
Hice hami atque haec arundines sunt nobis quaestu et cultu;
Quotidie ex urbe ad mare huc prodimus pabulatum;
Pro exercitu gymnastico et palaestrico hoc habemus:
Echinos, lepadas, ostreas, balanos, captamus, conchas,
Marinam urticam, musculos, placusias striatas;
Post id piscatum hamatilem et saxatilem adgredimur.
Cibum captamus e mari; si eventus non evenit
Neque quidquam captum est piscium: salsi lautique pure

195. V.: *quam quod vides.* Correxit Reiz. 198. Pal. et vett. edd.: *S. haec* (vett. edd.: *hae*) *paup. sunt inop. puellae.* V.: *Sed hic paup. res sunt inop., p.* 202. Pal. et vett. edd.: Com. (Pal.: *comitem*) *fiet a me, q. non* (vet. cod. Camerar.: *nunc*) *copia val.* 210. *Quot.* additum a Cam. et Lamb. 213. Ita Reiz. secundum Salmas. V.: *plagusias.* 215. V.: *sin ev. non venit.* Libri vett.: *si.*

Domum redimus clanculum; dormimus incoenati.
Atque ut nunc valide fluctuat mare: nulla nobis spes est.
Nisi quid concharum capsimus: coenati sumus profecto,
Nunc Venerem hanc veneremur bonam, ut nos lepide adiurit hodie.

TRACHALIO. PISCATORES.

Tr. Animum advorsavi sedulo, ne herum usquam praeterirem: i. t. c. II, 2.
Nam quom modo exibat foras, ad portum se aibat ire;
Me huc obviam iussit sibi venire ad Veneris fanum.
Sed, quos perconter, commode eccos video adstare: adibo.
Salvete, fures maritumi, conchitae atque hamiotae,
Famelica hominum natio. Quid agitis? ut peritis?
Piscator. Ut piscatorem aequom est, fame, siti, spe. Tr. Ecquem adulescentem
Vidistis facie strenua, dum illic adstatis, fortem,
Rubicundum, qui tris duceret chlamydatos cum machaeris?
Pi. Nullum istac facie, ut praedicas, venisse huc scimus. Tr. Ecquem
Recalvom ac silonem senem, statutum, ventriosum,
Tortis superciliis, contracta fronte, fraudulentum.
Deorum odium atque hominum malum, viti probrique plenum,
Qui duceret mulierculas duas secum satis venustas?
Pi. Cum istiusmodi virtutibus operisque natus qui sit,
Eum quidem ad carnuficem est aequius quam ad Venerem conmeare.
Tr. At si vidistis, dicite. Pi. Huc profecto nullus venit.
Vale. Tr. Valete. — Credidi. Factum est, quod suspicabar:
Data verba hero sunt: leno abit scelestus exulatum;
In navem ascendit, mulieres avexit. Hariolus sum.
Is huc herum etiam ad prandium vocavit sceleris semen.
Nunc quid mihi meliust, quam eloco hic herum operiar, dum veniat?

219. Sic Reiz. V.: *incoenati*. 220. Sic idem. V.: *adiuverit*. 227. V.: *sitique*, *speque*. Tr. *eequem ad huc*, *Dum hic astatis*, *stren. fac.*, *rubic.*, *fortem*, *qui tres Duc. chlam. c. machaeriis* (vett. edd. et Reiz. *machaeris*), *vidistis venire?* (hoc abest a vett. edd. MSS.: *vidisti seni.*) Turbatum hic esse, sensit etiam Reiz. 233. V.: — *malum*, *mali vitiique* etc. Inutile verbum recte expunxit Reiz. 239. Sic Pal. Rèiz. V.: *abiit*.

Eadem, si quid amplius scit Veneria haec sacerdos,
Si videro, exquisivero. Faciet me certiorem.

AMPELISCA. TRACHALIO.

Am. Intellego: hanc, quae proxuma est villa Veneris fano, i. t. c. II, 3.
Pulsare iussisti atque aquam rogare. Tr. Quoia ad auris
Vox mi advolavit? Am. Obsecro, qui hic loquitur? quem ego video?
Tr. Estne Ampelisca haec, quae foras e fano egreditur? Am. Estne hic
Trachalio, quem conspicor, calator Pleusidippi?
Tr. Ea est. Am. Is est. Trachalio, salve. Tr. Salve, Ampelisca.
Quid tu agis? Am. Aetatem haud malam male. Tr. Melius ominare.
Am. Verum omnis sapientis decet conferre et fabulari.
Sed Pleusidippus tuos herus ubi, amabo, est? Tr. Heia vero,
Quasi non sit intus! Am. Neque pol est neque huc quidem ullus venit.
Tr. Non venit? Am. Vera praedicas. Tr. Non est meum, Ampelisca.
Sed quam mox coctum est prandium? Am. Quod prandium, obsecro te?
Tr. Nempe rem divinam facitis hic. Am. Quid somnias, amabo?
Tr. Certe huc Labrax ad prandium vocavit Pleusidippum,
Herum meum herus voster. Am. Pol haud miranda facta dicis:
Si deos decepit et homines, lenonum more fecit.
Tr. Non rem divinam facitis hic vos neque herus? Am. Hariolare.
Tr. Quid tu agis hic igitur? Am. Ex malis multis metuque summo
Capitalique ex periculo orbas auxilique opumque huc
Recepit ad se Veneria haec sacerdos me et Palaestram.
Tr. An hic Palaestra est, obsecro, heri mei amica? Am. Certo.
Tr. Inest lepos in nuntio tuo magnus, mea Ampelisca.

245. V.: *villam.* Correxit Reiz. 247. Sic Mediol. a. 1500. V.: *uis.* 250. Ita vett. et Reiz. V.: *A. h. mala male.* 252. Fort: *conferre fabulari*, h. e. conf. sermonem. Cf. Bacch. 124, Curc. 28.

Sed istuc periclum perlubet quod fuerit vobis scire.
Am. Confracta est, mi Trachalio, hac nocte navis nobis.
Tr. Quid? navis? quae istaec fabula est? Am. Non audivisti, amabo,
Quo pacto leno clanculum nos hinc auferre voluit
In Siciliam, et, quidquid domi fuit, in navem inposivit?
Ea nunc perierunt omnia. Tr. Oh, Neptune lepide, salve!
Nec te aleator nullus est sapientior. Profecto
Nimis lepide iecisti bolum: periurum perdidisti!
Sed nunc ubi est leno Labrax? Am. Perit potando, opinor:
Neptunus magnis poculis hac nocte eum invitavit.
Tr. Credo hercle anancaeo datum, quod biberet. Ut ego amo te,
Mea Ampelisca! ut dulcis es! ut mulsa dicta dicis!
Sed tu et Palaestra quomodo salvae estis? Am. Scibis faxo.
E navi timidae ambae in scapham insiluimus, quia videmus
Ad saxa navem ferrier; properans exsolvi restim.
Dum illi timent: nos cum scapha tempestas dextrovorsum
Differt ab illis; itaque nos ventisque fluctibusque
Iactatae exemplis plurimis miserae perpetuam noctem.
Vix hodie ad litus pertulit nos ventus exanimatas.
Tr. Novi: Neptunus ita solet. Quamvis fastidiosus
Aedilis est: si quae inprobae sunt merces, iactat omnis.
Am. Vae capiti atque aetati tuae! Tr. Tuo, mea Ampelisca.
Scivi lenonem facered hoc, quod fecit; saepe dixi.
Capillum promittam optumum est occipiamque hariolari.
Am. Cavistis ergo tu atque herus, ne abiret, quom scibatis?
Tr. Quid faceret? Am. Si amabat, rogas, quid faceret? Adservaret
Dies noctisque, in custodia esset semper. Verum ecastor,
Ut multi, fecit: ita probe curavit Pleusidippus.
Tr. Cur tu istuc dicis? Am. Res palam est. Tr. Scin' tu? etiam, qui it lavatum
In balineas, quom ibi sedulo sua vestimenta servat,
Tamen subripiuntur: quippe qui, quem illorum observet, falsust.
Fur facile, quem observet, videt; custos, qui fur sit, nescit.
Sed duce me ad illam. Ubi est? Am. I sane in Veneris fanum huc intro:
Sedentem flentemque opprimes. Tr. Ut iam istuc mihi molestum est!

273. Sic MSS. V.: *ullus.*

ed quid flet? Am. Ego dicam tibi. Hoc sese excruciat animi:
)uia leno ademit cistulam ei, quam habebat, ubique habebat,
)ui suos parentes noscere potesset. Eam veretur,
fe perierit. Tr. Ubinam ea fuit cistellula? Am. Ibidem in navi
'onclusit ipse in vidulum: ne copia esset eius,
)ui suos parentes nosceret. Tr. O facinus inpudicum,
)uam liberam esse oporteat, servire postulare!
.m. Nunc eum cum navi scilicet abiisse pessum in altum.
.t aurum et argentum fuit lenonis omne ibidem.
'r. Credo aliquem inmersisse atque eum excepisse. Am. Id misera moesta est.
ibi eorum evenisse inopiam. Tr. Iam istoc mage usus facto est,
It eam intro consolerque eam, ne sic se excruciet animi:
Iam multa praeter spem scio multis bona evenisse.
.m. At ego etiam, qui speraverint, spem decepisse multos.
'r. Ergo animus aequos optumum est aerumnae condimentum.
,go eo intro, nisi quid vis. Am. Eas. Ego, quod mihi imperavit
acerdos, id faciam atque aquam hinc de proxumo rogabo:
Iam extemplo si verbis suis peterem, daturos dixit;
Ieque digniorem censeo vidisse anum me quemquam,
)uoi deos atque homines censeam benefacere magis decere.
It lepide, ut liberaliter, ut honeste atque haud gravate
'imidas, egentis, uvidas, eiectas, exanimatas
.ccepit ad sese, haud secus, quam si ex se simus natae!
Jti subcincta eapse aquam calefactat: ut lavemus!
Iunc, ne morae illi sim, petam hinc aquam, unde mihi imperavit.
Ieus, ecquist in villa? ecquis hoc recludit? ecquis prodit?

SCEPARNIO. AMPELISCA.

ic. Quis est, qui nostris tam proterve foribus facit iniuriam? i. t. II, 4.

303. V.: *posset.* Correxit Reiz. 308. Sic Pal. Alii vett.: *abisse.* '.: *abivisse.* Legitur quoque *eam* pro *eum*, vidulum. Conf. seuentia. 324. V.: *Ut eapse sic succ. aqu. cal.* Verum *sic* abest a ibris vett.

AM. Ego sum.... Sc. Hem, quid hoc boni est? Heu, edepol specie lepida mulierem!
AM. Salve, adulescens. Sc. Et tu multum salveto, adulescentula. t. t. c.
AM. Ad vos venio.... Sc. Accipiam hospitio, si nox venies; item ut adfectam : t. t.
Nam nunc nihil est qui te manem.
Sed quid ais, mea lepida, hilara? AM. Ah, nimium familiariter t. t. c.
Me attrectas. Sc. Proh di inmortales, Veneris effigia haec quidem est!
Ut in ocellis hilaritudo est! Heia, corpus quoiusmodi
Subvolturium! illud quidem, subaquilum, volui dicere.
Vel papillae quoiusmodi! Tum quae indoles in savio est!
AM. Non ego sum pollucta pago. Potin', ut me abstineas manum?
Sc. Non licet te sic, sic placide, bellam belle, tangere?
AM. Otium ubi erit: tum tibi operam ludo et deliciae dabo;
Nunc, quamobrem huc sum missa, amabo, vel tu mi aias vel neges.
Sc. Quid nunc vis? AM. Sapienti ornatus, quid velim, indicium facit.
Sc. Meus quoque hic sapienti ornatus, quid velim, indicium facit.
AM. Haec sacerdos hinc me petere iussit a vobis aquam.
Sc. At ego basilicus sum, quem nisi oras, guttam non feres.
Nostro illunc puteum periclo et ferramentis fodimus:
Nisi multis blanditiis, a me gutta non ferri potest.
AM. Cur tu aquam gravare, amabo, quam hostis hosti commodat?
Sc. Cur tu operam gravare mihi, quam civis civi commodat?
AM. Imo etiam tibi, mea voluptas, quae voles, faciam omnia.

528. Sic Douza fil. et Reiz. Cf. Poen. 961. 330. *nox* pro *mox* vulgato ponendum vidit Palmerius. Deinde libri: *venis*, sed Pal.: *veniis*, pro *venies*, quod dedit Reiz. Reliqua huius et sequentis versus quamvis sensu cassa sint, tamen ita reliqui, ut leguntur in libris vett., nisi quod edd. quaedam, in his Mediol. anni 1500, *maneam* dant pro *manem*, ex quo recentiores fecerunt *inanem*. Alii aliter haec emendare sibi visi sunt. Nobis in mentem venit, sic legendum esse:

AM. *Ad vos venio.* Sc. *Accipiam hospitio, si nox venies ita, ut adfectas:* t. t.
Nam nunc nihil est qui te mane .... t. d.

Reticet homo verbum nequius; qualibus iocis scatent utriusque linguae Comici, Atticus praesertim. Neque id Lambinum fugit, quem *mane* ponentem imitatus est Reizius. *Adfectas* quoque non uni placuit. 332. *ah* legitur in vett., non *aha*, sicut vulgo.

Sc. Eugepae, salvos sum! haec iam me suam voluptatem vocat!
Dabitur tibi aqua: ne nequidquam me ames. Cedo mi urnam. Am. Cape.
Propera, amabo, ecferre. Sc. Manta: iam hic ero, voluptas mea.
Am. Quid sacerdoti me dicam hic demoratam tam diu?
Ut etiam nunc misera timeo, ubi oculis intueor mare!
Sed quid ego misera video procul in litore? i. s.
Meum herum lenonem Siciliensemque hospitem,
Quos periisse ambos misera censebam in mari!
Iam illud mali plus nobis vivit, quam ratae.
Sed quid ego cesso fugere in fanum ac dicere haec
Palaestrae: in aram ut confugiamus prius
Quamde huc scelestus veniat nosque hic opprimat
Leno? Confugiam huc: ita res subito suppetit.

S C E P A R N I O.

Proh di inmortales, in aqua nunquam credidi i. s. II, 5.
Voluptatem inesse tantam! ut hanc traxi lubens!
Nimio minus altus puteus visust, quam prius.
Ut sine labore hanc extraxi! Praefiscine,
Satis nequam sum: utpote amare qui hodie inceperim. —
Hem tibi aquam, mea tu delicata! Sic volo
Te ferre honeste, ut ego fero: ut placeas mihi. —
Sed ubi tu es, delicata? Cape aquam hanc, sis. Ubi es? —
Amat hercle me, ut ego opinor: delituit mala. —
Ubi tu es? etiamne hanc urnam acceptura es? ubi es? —
Commodule! meliust! — Tandem vero serio!
Etiam acceptura es urnam hanc? ubi tu es gentium?
Nusquam hercle equidem illanc video. Ludos me facit.
Adponam hercle urnam iam ego hanc in media via.
Sed autem quid, si hanc hinc abstulerit quispiam
Sacram urnam Veneris? Mi exhibeat negotium.
Metuo hercle, ne illa mulier mi insidias locet,
Ut conprehendar cum sacra urna Veneria.
Nempe optumo me iure in vinclis enicet
Magistratus, si quis me hanc habere viderit:
Nam haec litterata est: ab se cantat, quoia sit.

361. V.: *Quam.* 362. *huc.* Pal. *huic.* V.: *Conf. hinc: res ita supp. subito mihi.* Sed *mihi* non est in libris vett. MSS.: *suppetit subit.* 368. *delicata.* MSS., versa d littera, ut videtur: *belliata.* V.: *bella tu.*

Iam hercle evocabo hinc hanc sacerdotem foras:
Ut hanc accipiat urnam. Accedam huc ad foris.
Heus, sis, Ptolemocratia, cape hanc urnam tibi!
Muliercula hanc nescio quae huc ad me detulit.
Introferunda est. Reperi negotium,
Si quidem his mihi ultro adgerunda etiam est aqua.

LABRAX. CHARMIDES.

La. Qui homo hominem sese miserum et mendicum volet,
i. s. II, 6.
Neptuno credat sese atque aetatem suam:
Nam si quis cum eo quid rei conmiscuit,
Ad hoc exemplum amittit ornatum domum.
Edepol, liberta, es lepida, quae nunquam pedem
Voluisti in navem mecum hercle una inponere.
Sed ubi ille meus est hospes, qui me perdidit?
Atque, eccum, incedit. Ch. Quo, malum, properas, Labrax?
Nam equidem te nequeo consequi tam strenue.
La. Utinam, te prius quamde oculis vidissem meis,
Malo cruciatu in Sicilia perbiteres,
Quem propter hoc mihi obtigit misero mali!
Ch. Utinam, quom in aedis me ad te adduxisti tuas,
In carcere illo potius cubuissem die!
Deosque inmortalis quaeso, dum vivas, uti
Omnis tui similis hospites habeas tibi.
La. Malam Fortunam in aedis te adduxi meas.
Quid mihi scelesto tibi erat auscultatio,
Quidve hinc abitio, quidve in navem inscensio,
Ubi perdidi etiam plus boni, quam mihi fuit?
Ch. Pol minume miror, navis si fracta est tibi,
Scelus te et sceleste parta quae vexit bona.
La. Pessumdedisti me blandimentis tuis.
Ch. Scelestiorem coenam coenavi tuam,
Quam quae Thyestae anteposita est et Tereo.

389. Non elidendum *ultro*. 390. Sic Iunt. Ald. V. abest *hominem*. 394. sequ. V.: *Ed., Libertas, lep. es, q. n. p. V. in navem cum Hercule una imp.* Libri vett. non *Hercule*, sed habent *hercle*; edd. autem paulo antiquiores posteriore versu plane, ut nos. *Liberta*, uxor Labracis, quae navigare cum eo nunquam voluit, ut mulieres sunt timidiores. Non rarae inscriptiones huiusmodi: LIBERTA ET CONIUX — LIBERTAE ET UXORI BENE MERENTI etc. Cf. Horat. Sat. 1, 1, 99. Istud *libertas* ortum videtur ex *libertaes*. 400. V.: *Siciliam*. 414. Inutile verbum *quondam*, quod v. legitur post *Thyestae*, recte deletum est a Reizio.

La. Perii, animo male fit! Contine, quaeso, caput.
Ch. Pulmoneum edepol nimis velim vomitum vomas.
La. Eheu, Palaestra atque Ampelisca, ubi estis nunc?
Ch. Piscibus in alto, credo, praebent pabulum.
La. Mendicitatem mi obtulisti opera tua,
Dum tuis ausculto magnidicis mendaciis.
Ch. Bonam est quod habeas gratiam merito mihi,
Qui te ex insulso salsum feci opera mea.
La. Quin tu hinc is a me in maxumam malam crucem?
Ch. Das eas, quas tecum res agebam commodum.
La. Eheu, quis vivit me mortalis miserior?
Ch. Ego multo tanto miserior, quam tu, Labrax.
La. Qui? Ch. Quia ego indignus sum, tu dignus, qui sies.
La. O scirpe, scirpe, laudo fortunas tuas,
Qui semper servas gloriam aritudinis!
Ch. Equidem me ad velitationem exerceo:
Nam omnia corusca prae tremore fabulor.
La. Edepol, Neptune, es balneator frigidus:
Cum vestimentis, postquam abs te abii, algeo.
Nae, thermopolium quidem nullum instruit:
Ita salsam praehibet potionem et frigidam.
Ch. Ut fortunati sunt fabri ferrarii,
Qui apud carbones adsident! semper calent.
La. Utinam fortuna ego anatina nunc uterer,
Uti, quom exivissem ex aqua, arerem tamen!
Ch. Quid, si aliquo ad ludos me pro manduco locem?
La. Quapropter? Ch. Quia pol clare crepito dentibus.
Iure optumo modo me lavisse arbitror.
La. Qui? Ch. Quia enim auderem tecum in navem ascendere,
Qui a fundamento mi usque movisti mare.
La. Tibi auscultavi: tu promittebas mihi,
Illi esse quaestum maxumum meretricibus;
Ibi me conruere posse aiebas divitias.
Ch. Iam postulabas, te, inpurata belua,
Totam Siciliam devoratum ire insulam.
La. Quaenam balaena meum voravit vidulum,
Aurum atque argentum ubi omne conpactum fuit?
Ch. Eadem illa, credo, quae meum marsupium,

424. Libri vett.: *Das* (Mediol. a. 1500: *Da*) *eas quae res ag. c.* Iunt. Ald.: *Da quas res tecum in navi ag. c.* V.: *Eas: easque res ag. c. Das*, dicis. 433. Sic vett. V.: *posteaquam.* 434. V.: *Ne th. q. ullum.* 435. Ita cod. Ambros. V.: *praebet.* 438. *ego* accessit ex editionibus mediae aetatis. 446. V.: *Illic.* 449. V.: *T. S. devoraturum i.*

Quod plenum argenti fuit, in sacciperio.
La. Eheu, redactus sum usque ad unam hanc tuniculam
Et ad hoc misellum pallium! perii oppido!
Ch. Vae consociare mihi quidem tecum licet:
Aequas habemus partis. La. Saltem si mihi
Mulierculae essent salvae: spes aliquae forent;
Nunc si me adulescens Pleusidippus viderit,
Quo ab arrhabonem pro Palaestra acceperam:
Iam se exhibebit hic mihi negotium.
Ch. Quid, stulte, ploras? tibi quidem edepol copia est,
Dum lingua vivet, qui rem solvas omnibus.

SCEPARNIO. CHARMIDES. LABRAX.

Sc. Quid illuc, obsecro, negoti, quod duae mulierculae
t. t. c. II, 7.
Hic in fano Veneris signum flentes amplexae tenent,
Nescio quem metuentes miserae? nocte hac vero proxuma
Se iactatas atque eiectas hodie esse aiunt e mari.
La. Obsecro, adulescens, ubi istaec sunt, quas memoras, mulieres?
Sc. Hic in fano Veneris. La. Quot sunt? Sc. Totidem, quot ego et tu sumus.
La. Nempe meae? Sc. Nempe nescio istuc. La. Qua sunt facie? Sc. Scitula.
Vel ego amare utramvis possim, si probe adpotus siem.
La. Nempe puellae? Sc. Nempe molestus es. I, vise, si lubet.
La. Meas oportet intus esse hic mulieres, mi Charmides.
Ch. Iupiter te perdat et, si sunt, et, si non sunt, tamen!
La. Introrumpam iam huc in Veneris fanum. Ch. In barathrum mavelim. —
Obsecro, hospes, da mihi aliquid, ubi condormiscam, loci.
Sc. Istic, ubi vis, condormisce: nemo prohibet: publicum est.
Ch. At vides me, ornatus ut sim vestimentis uvidis:
Recipe med in tectum; da mihi vestiti aliquid aridi,
Mea dum arescunt. In aliquo tibi gratiam referam loco.
Sc. Tegillum eccillud mihi unum arescit; id, si vis, dabo:
Eodem amictus, eodem tectus esse soleo, si pluit.

456. V.: *Vel cons.* 460. Scriptura codicis Ambros. Vulgo: *A quo arrh.*, quae est interpretatio. 468. Libri: *Obs. hercle.* 472. V. I desideratur. Pal.: *mol. est uise.* Cf. Bacch. 864 etc. V.: *vestimenti.* Pal., omissa syllaba simili: *vestialiquid.* 480. Sequor librum Ambros.; nam in ceteris vocabulum *loco* desideratur. 482. MSS.: *pluuit.*

u istaec mihi dato: exarescent faxo. Ch. Eho, an te poenitet,
ι mari quod elavi, nisi hic in terra iterum eluam?
:. Eluas tu an exungare, ciccum non interduim.
ibi ego nunquam quidquam credam, nisi si accepto pignore.
ı vel suda vel peri algu, vel tu aegrota vel vale.
ırbarum hospitem mihi in aedis nil moror: sat litium est.
ı. Iamne abis? Venalis illic ductitavit, quisquis est:
ɔn est misericors. Sed quid ego hic adsto infelix uvidus?
ıin abeo hinc in Veneris fanum, ut edormiscam hanc crapulam,
ıam potavi praeter animi quam lubuit sententiae?
ıasi vinis graecis Neptunus nobis subfudit mare,
ıque alvom prodi speravit nobis salsis poculis.
ıid opust verbis? si invitare nos paulisper pergeret:
idem obdormissemus; nunc vix vivos amisit domum.
ınc lenonem, quid agit intus, visam, convivam meum.

DAEMONES.

iris modis di ludos faciunt hominibus, I. s. III, 1.
risque exemplis somnia in somnis danunt;
dormientis quidem sinunt quiescere.
lut ego hac nocte, quae praecessit, proxuma
rum atque inscitum somniavi somnium.
hirundinium nidum visa est simia
ɔensionem ut faceret admolirier,
que eas eripere quibat inde. Postibi
letur ad me simia adgredirier,
gare, scalas ut duim utendas sibi.
o ad hoc exemplum simiae respondeo:
tas ex Philomela ac Procne esse hirundines:
o cum illa, ne quid noceat meis popularibus.
ıue illa iam animo fieri ferocior:
letur ultro mihi malum minitarier;
ius vocat me. Ibi ego nescio quomodo
tus videor mediam arripere simiam;
ncludo in vincla bestiam nequissumam.
ınc, quam ad rem dicam hoc attinere somnium,

486. Ita Pal. V.: *nisi acc. p.* 492. Libri soloece: *sententiam.*
. Libri *videbatur*, et sequ. versu *darem.* Illud correxit Reiz.
. V.: *N. ex Phil. atque ex Progne esse h.*

Nunquam hodie quivi ad coniecturam evadere.
Sed, quid hic in Veneris fano oritur clamoris, animus mirat. t. t.

TRACHALIO. DAEMONES.

Tr. Proh, Cyrenenses populares, vostram ego inploro fidem! t. t. c. III, 2.
Agricolae, adcolae, propinqui qui estis his regionibus,
Ferte opem inopiae atque exemplum pessumum pessumdate!
Vindicate: ne inpiorum potior sit pollentia,
Quam innocentum, qui se scelere fieri nolunt nobiles.
Statuite exemplum inpudenti; date pudori praemium!
Facite hic lege potius liceat quam vi vitam vivere!
Currite huc in Veneris fanum! Vostram iterum inploro fidem,
Qui prope hic adestis quique auditis clamorem meum,
Ferte suppetias, qui Veneri Veneriaequae antistitae
More antiquo in custodelam suom commiserunt caput!
Praetorquete iniuriae prius collum, quam ad vos pervenat!
Dae. Quid istuc est negoti? Tr. Per ego haec genua te obtestor, senex, i. t.
Quisquis es.... Dae. Quin tu ergo omitte genua et, quid sit, mi expedi, t. t. c.
Quod tumultues? Tr. Teque oro et quaeso, si speras tibi
Multum hoc anno futurum sirpe et laserpitium,
Eamque eventuram exagogam Capuam salvam et sospitem,
Atque ab lippitudine usque siccitas ut sit tibi....
Dae. Sanun' es? Tr. Seu tibi confidis fore multam magudarim,
Ut te ne pigeat dare operam mihi, quod te orabo, senex.
Dae. At ego te per crura et talos tergumque obtestor tuom,
Ut tibi ulmeam uberem esse speras virgidemiam,
Et tibi eventuram hoc anno uberem messem mali,
Ut mi istuc dicas negoti quid sit, quod tumultues.
Tr. Qui lubet maledicere? Equidem tibi bona optavi omnia.
Dae. Bene equidem dico, tibi qui, te digna ut eveniant, precor.

523. Sic libri vett. et Reiz. V.: *innocentium.* 525. *vitam.* Sic Acid., Reiz. V.: *victo.* 529. Libri: *custodiam.* Correxit Reiz., uti etiam vulgatum *perveniat* sequente versu. 531. Sic Pal. V.: *Per ego te haec g. obt., s.* 541. Vulgatum *esse* ante *event.* non habent vett. 543. V. *exoptavi.* Emendavit Reiz. 544. Sic etiam alibi iocatur Plautus. Vulgata interpunctio haec est: *Bene equidem tibi dico, qui, te d. ut ev., pr.*

Tr. Obsecro, hoc praevortere ergo. Dae. Quid negoti est?
Tr. Mulieres
Duae innocentes intus hic sunt, tui indigentes auxili, i. t.
Quibus advorsum ius legesque hic insignite iniuria t. t. c.
Facta est fitque in Veneris fano; tum sacerdos Veneria
Indigne adflictatur. Dae. Quis homo est tanta confidentia,
Qui sacerdotem audeat violare? Sed eae mulieres
Quae sunt, aut quid iis iniqui fit? Tr. Si das operam, eloquar.
Veneris signum sunt amplexae; nunc deripere volt eas
Ambas. Dae. Esse oportet .... Qui istic est, qui tam parvi deos
Pendit? Tr. Fraudis, sceleris, parricidi periurique plenus, t. t.
Legirupa, inpudens, inpurus, inverecundissumus; t. t. c.
Uno verbo absolvam: leno est. Quid illunc porro praedicem?
Dae. Edepol infortunio hominem praedicas donabilem.
Tr. Qui sacerdoti scelestus faucis interpresserit.
Dae. At malo cum magno fecit hercle suo. Ite istinc foras,
Turbalio, Sparax! Ubi estis? Tr. I, obsecro, intro! subveni
Illis! Dae. Iterum autem imperabo? — Sequimini hac!
Tr. Age, nunc iam
Iube oculos elidere itidem, ut sepiis faciunt coqui!
Dae. Proripite hominem pedibus huc itidem, quasi occisam suem! —
Tr. Audio tumultum: opinor, leno pugnis pectitur.
Nimis velim inprobissumo homini malas edentaverint.
Sed, eccas, ipsae huc egrediuntur timidae e fano mulieres.

PALAESTRA. AMPELISCA. TRACHALIO.

Pa. Nunc id est, quom omnium copiarum atque opum, c. t. III, 3.
Auxili, praesidi, viduitas nos tenet,
Nec via est, quae salutem adferat; c. tr.
artem ingredi persequamur. b. t.
in metu nunc sumus ambae:

555. V.: *Quis.* Frustra haec quidam interpolarunt. 561. Sic Mediol. a. 1500. V. *Iterum haud imp.* Pal.: *It. aut. imp.* 566. Ita Reiz. V.: *S. ecce.* Pal., *huc* omittens: *tim. aefandae* (vet. cod. Camerar.: *efandae*) *m.* Fort.: *e fano ambae* (vel *duae*, sed alterum praestat) *mul.* 569. Pal.: . . . *cuia est, q. s. a.* 570. Pal.: . . . *rtem ing. p.* Vett. edd.: *mortem i. p.* Haec et, quae sequuntur, lacera, partim nos supplevimus, partim Camerarius aliique.

Tanta inportunitas tantaque iniuria c. t.
Facta in nos est modo hic intus ab nostro hero,
Qui scelestus sacerdotem anum praecipes
Repulit, propulit, perquam indignis modis,
Nosque ab signo intumo vi deripuit suas.
Sed, nunc se ut res fortunaeque nostrae ferunt,
Par moriri est neque est melius morte in malis
Rebus, miseris. Tr. Quid est? quae illaec oratio est?
Cesso ego has consolari? c. d. h.
Heus, Palaestra! Pa. Qui vocat? Tr. Ampelisca! Am. Obsecro, quis est, t. t. c.
Qui vocat? quis is est, qui nominat? Tr. Si respexis: scies.
Pa. O salutis meae spes! Tr. Tace ac bono animo es. c. t.
Me vide! Pa. Si modo id liceat, vis ne opprimat,
Quae vis, vim mi adferam ipsa, adigit. Tr. Ah, desine:
Nimis inepta es. c. h.
Pa. Desiste dictis nunc iam miseram me consolari. i. t. c.
Nisi quid re praesidium adparas, Trachalio: acta haec res est!
Certum est moriri, quam hunc pati lenonem in me . . . . ! i. tr. h.
Sed muliebri animo sum tamen: ut miserae in mentem est
Mihi mortis, metus membra occupat. Edepol hoc acerbum!
Tr. Bonum animum habete. Pa. Nam, obsecro, unde animus mihi inveniatur? i. t. c.
Tr. Ne, inquam, timete. Adsidite hic in ara. Am. Istaec quid ara
Prodesse nobis plus potest, quam signum in fano hic intus
Veneris, quod amplexae modo, unde abreptae per vim miserae?
Tr. Sedete hic modo: ego hinc vos tamen tutabor. Aram habete hanc
Vobis pro castris, moenia hunc: ego vos defensabo.
Praesidio Veneris malitiae lenonis contra incedam.
Am. Tibi auscultamus et, Venus alma, ambae te obsecramus,
Aram amplexantes hanc tuam lacrumantes, genibus nixae,
Nos in custodelam tuam ut recipias et tutere;
Illos scelestos, qui tuom fecerunt fanum parvi,
Ut ulciscare, nosque ut hanc tua pace aram obsidere
Sinas, quae elautae ambae sumus opera Neptuni noctu,

576. Sic vett. edd. V.: *sua*. 581. Sic Pal. et vett. edd. V.: *Heus, Amp.* 590. *ut* petitum ex Iunt. Ald. 592. Sic eaedem edd. V.: *invenitur*. 597. V.: *m. hinc ego def.* 601. Sic vett. edd. V.: *custodiam*.

leque **indignum** habeas neve idcirco nobis vitio vortas,
i quidpiam est, minus quod bene esse lautum arbitrere.
'r. Aequom petere has intellego: decet abs te id inpetrari.
gnoscere his te convenit: metus has, id faciant, subigit.
'e ex concha natam esse autumant: cave tu harum conchas spernas.
ed optume, eccum, exit senex patronus mihique et vobis.

ıAEMONES. LABRAX. MULIERES. LORARII. TRACHALIO.

ıAE. Exi e fano, natum quantum est, hominum sacrilegissume! t. t. c. III, 4.
os in aram abite sessum. Sed ubi sunt . . . . ? Tr. Huc respice.
ıAE. Optume. Lo. Istuc volueramus. Iube modo accedat prope
egirupionem hunc. Dae. Tun' nobiscum hic dis facere postulas?
ugnum in os inpinge. La. Iniqua haec patior cum pretio tuo.
ıAE. At etiam minitatur audax. La. Ius meum ereptum est mihi!
leas mihi ancillas invito me eripis. Tr. **Ergo dato**
e senatu Cyrenensi quemvis opulentum **arbitrum**,
i tuas esse oportet, nive eas esse oportet liberas,
eu te in carcerem conpingi est aequom aetatemque ibi
e usque habitare, donec totum carcerem contriveris.
A. Non hodie isti re auspicavi, ut cum furcifero fabuler;
e ego adpello. Dae. Cum istoc primum, qui te novit, disputa.
A. Tecum ago. Tr. Atqui mecum agendum est. Suntne illae ancillae tuae?
A. Sunt. Tr. Agedum ergo, tange utramvis digitulo minumo modo.
A. Quid, si attigero? Tr. Extemplo hercle ego te follem pugilatorium
aciam et pendentem incursabo pugnis, periurissume!
A. Mihi non liceat meas ancillas Veneris de ara abducere?

606. Ita Reiz. V.: *arbitrare*. 608. V.: *id ut fac*. 614. Pal.: *nc legir. hic nob. dis f. post.* Vett. edd.: *hunc leg.* etc. Sic aum interpungitur in vulgatis libris: — prope. Dae. *Tune* (vel *un'*) *leg.* etc. Sequor Acidalium.

Dae. Non licet: ita est lex apud nos. La. Mihi cum vostris legibus
Nihil est conmerci. Istas equidem iam ambas educam foras.
Tu, senex, si istas amas: huc arido argento est opus.
Dae. Hae autem Veneri conplacuerunt. La. Habeat, si argentum dabit.
Dae. Det tibi argentum? Nunc adeo, ut meam scias sententiam,
Occipito modo his adferre vim ioculo pauxillulam:
Ita ego te hinc ornatum amittam, tu ipsus te ut non noveris!
Vos adeo, ubi ego innuero vobis, ni ei caput exoculassitis,
Quasi iuncis murteta, item ego vos virgis circumvinciam!
La. Vi agis mecum. Tr. Etiam vim opprobras, flagiti flagrantia?
La. Tun', trifurcifer, mihi audes inclementer dicere?
Tr. Fateor, ego trifurcifer sum; tu es homo adprime probus.
Numqui minus hasce esse oportet liberas? La. Quid? liberas?
Tr. Atque heras tuas quidem hercle, atque ex germana Graecia:
Nam altera haec est nata Athenis ingenuis parentibus.
Dae. Quid ego ex te audio? Tr. Hanc Athenis esse natam liberam.
Dae. Mea popularis, obsecro, haec est? Tr. Non tu Cyrenensis es?
Dae. Imo Athenis natus altusque educatusque Atticis.
Tr. Obsecro, defende civis tuas, senex! Dae. O filia.
Quom ego hanc video, mearum me absens miseriarum conmones!
Trima quae periit mihi, iam tanta est, si vivit, scio.
La. Argentum ego pro istisce ambabus, quoiae erant, domino dedi:
Quid mea refert, Athenis haec natae an Thebis sient,
Dum mihi recte servitutem serviant? Tr. Itane, inpudens?
Tune hic, feles virginalis, liberos parentibus
Sublectos habebis atque indigno quaestu conteres?
Nam huiic alterae quae patria sit, profecto nescio;

633. Ita Dissald. Lamb.: *Dem*; Reiz.: *Dea*; vulgo: *Do tibi* etc. 634. V.: *illis*, et *pausillulum*. Reiz.: *pauxillulum*. 636. Ita Reiz. V.: — *vobis*, *sine ei cap.* 643. Pal.: *Athenis sine tibus.* 647. V.: *filia mea.* 649. V.: *esset.* Correxerunt Lips. Lamb. Reiz. 653. *feles.* Quod libri habent, *fallis*, ortum videtur e casca scriptura *faelis*, sicut *ae* pro e saepe exaratum legitur in codd. 655. V.: *huic.* Reiz.: *Namque.*

Iisi scio, probiorem hanc esse quam te, inpuratissume.
.A. Tua sunt istaec. Tr. Contende ergo, uter sit tergo verior.
Ii obferrumentas habebis pluris in tergo tuo,
)uam ulla navis longa clavos: tum ego ero mendacissumus.
'ostea adspicito meum, quando ego tuom inspectavero.
Ii erit tam sincerum, ut quivis dicat ampullarius
)ptumum esse opere faciundo corium et sincerissumum:
)uid causae est, quin virgis te usque ad saturitatem sauciem?
)uid illas spectas? quas si attigeris: oculos eripiam tibi!
.A. Atquin, quia vetas, utramque iam mecum abducam simul.
)ae. Quid facies? La. Volcanum adducam: is Venerist advorsarius.
)ae. Quo illic it? La. Heus, ecquis hic est? heus! Tr. Si attigeris ostium:
ım tibi messis hercle in ore fiet mergis pugneis!
orarius. Nullum habemus ignem; ficis victitamus aridis.
)ae. Ego dabo ignem, si quidem in capite tuo conflandi copia est.
.a. Ibo hercle aliquo quaeritatum ignem. Dae. Quid, quom inveneris?
.a. Ignem magnum hic faciam. Dae. Quin, ut humanum exuras tibi.
.a. Imo hasce ambas hic in ara ut vivas conburam! Id volo!
)ae. Nam hercle ego te barba continuo arripiam et in ignem coniciam, t. t.
'eque ambustulatum obiiciam magnis avibus pabulum! t. t. c.
Quom coniecturam egomet mecum facio: haec illa est simia,
)uae has hirundines ex nido volt eripere ingratiis,
)uod ego in somnis somniavi. Tr. Scin' quid? tecum oro, senex,
It illas serves, vim defendas, dum ego herum adduco meum. i. t.
)ae. Quaere herum atque adduce. Tr. At hic ne.... Dae. Maxumo malo suo, t. t. c.
i attigerit, sive occentassit! Tr. Cura. Dae. Curatum est; abi.

657. Pal.: *Tuae istae sunt.* V. haec interrogantur. 658. Sic Iediol., Iunt. Ald., ut vox derivetur a nomine *ferrumen*, et idem ıre significet. V.: *offerumentas*, quod frigide explicant. 661. Sic ett. V.: *Nisi.* 674. Pal.: *coiciam.* V.: *coniiciam.* 681. Sic Douza l. Pal., ut vulgo: *occeptassit.* Codd. Lamb., ut dicitur, *occentarit.*

TR. Hunc quoque adserva ipsum, ne quo abbitat: nam promisimus
Carnufici aut talentum magnum aut hunc hodie sistere.
DAE. Utrum tu, leno, cum malo lubentius i. s.
Quiescis, an sic sine malo, si copia est?
LA. Ego, quae tu loquere, flocci non facio, senex;
Meas quidem te invito et Venere et summo Iove
De ara capillo iam deripiam. DAE. Tangedum.
LA. Tangam hercle vero. DAE. Agedum ergo, accede huc modo.
LA. Iubedum recedere istos ambo illuc modo.
DAE. Imo ad te accedent. LA. Non hercle egomet censeo.
DAE. Quid ages, si accedent propius? LA. Ego recessero;
Verum, senex, si te unquam in urbe obfendero:
Nunquam hercle quisquam me lenonem dixerit,
Si non te ludos pessumos dimisero.
DAE. Facito istuc, quod minitaris; sed nunc interim
Si illas attigeris: dabitur tibi magnum malum.
LA. Quam magnum vero? DAE. Quantum lenoni sat est.
LA. Minacias non flocci ego facio istas tuas.
Equidem eas te invito iam ambas rapiam. DAE. Tangedum.
LA. Tangam hercle vero. DAE. Tange; sed scin', quomodo?
Idum, Turbalio, curriculo adferto duas
Clavas. LA. Quas clavas? DAE. Sed probas. Propera cito. —
Ego te hodie faxo recte acceptum, ut dignus es.
LA. Eheu, scelestus galeam in navi perdidi:
Nunc mi opportuna hic esset, salva si foret.
Licet istas saltem mi adpellare? DAE. Non licet.
Ehem, optume eccum edepol clavator advenit!
LA. Illud quidem edepol tinnimentum est auribus.
DAE. Age, accipe illanc alteram clavam, Sparax.
Age, alter istinc, alter hinc adsistite.
Adsistite ambo. Sic. Audite nunc iam.
Si hercle illic illas hodie digito tetigerit
Invitas, ni istunc istis invitassitis
Usque adeo donec, qua domum abeat, nesciat:
Peristis ambo! Si adpellabit quempiam:
Vos respondetote istino istarum vicem;
Sin ipse abbitere hinc volet: quantum potest

682. Libri: *abitat.* 685. Hunc vs. inter et sequentem cod. Ambros. has habet versús reliquias: (Mai.: cape)
modo ego . . . . . *venero.*
Fort.: *Daem.* Abi *modo: ego* istuno adservabo.
Trach. Sine mora *revenero.*
690. *egomet.* Idem codex: *equidem.* 702. sequ. Alii aliter haec supplent.
718. Libri: *abire*, et sequente versu: *amplectitote*, quod corr. Acid.

:xtemplo ampectitote crura fustibus.
.A. Etiam me abire hinc non sinent? DAE. Dixi satis.
:t illic huc ubi servos cum hero advenerit,
)ui herum arcessivit: itote extemplo domum.
:urate haec, sultis, magna diligentia. —
.A. Heu, hercle nae istic fana mutantur cito!
Ioc Herculi est iam, Veneris quod fanum fuit:
ta duo destituit signa hic cum clavis senex.
Ion hercle, quo hinc nunc gentium aufugiam, scio:
ta nunc mihi utrumque saevit et terra et mare.
'alaestra! Lo. Quid vis? La. Apage! controversia est:
Iaec quidem Palaestra, quae respondit, non mea est.
Ieus, Ampelisca! Lo. Cave, sis, infortunio.
.A. Ut potis est, ignavi homines satis recte monent.
ed (vobis dico;) heus, vos! num molestia est,
Ie adire ad illas propius? Lo. Nil nobis quidem.
.A. Numquid molestum mihi erit? Lo. Nil, si caveris.
.A. Quid est, quod caveam? Lo. Hem, a crasso infortunio!
.A. Quaeso hercle, adire ut liceat. Lo. Adeas, si velis.
.A. Bene hercle factum! Vobis habeo gratiam.
Iunc potius abscedam. Lo. Illic adstato eloco!
.A. Edepol proveni nequiter multis modis.
:ertum est, hasce hodie usque obsidione vincere.

'LEUSIDIPPUS. TRACHALIO. MULIERES. LABRAX.
LORARII. CHARMIDES.

'L. Meamne ille amicam leno vi, violentia, i. s. III, 5.
)e ara deripere Veneris voluit? Tr. Admodum.
'L. Quin occidisti extemplo? Tr. Gladius non erat.
'L. Caperes aut fustem aut lapidem. Tr. Quid ego, quasi canem,
Iominem insectarer lapidibus nequissumum?
.A. Nunc pol ego perii! Pleusidippus, eccum, adest:
:onverret iam hic me totum cum pulvisculo.
'L. Etiamne in ara nunc sedebant mulieres,
)uom ad me profectus ire? Tr. Ibidem nunc sedent.
'L. Quis illas nunc illic servat? Tr. Nescio qui senex,

731. Sic itidem Acid. V.: *equidem.* 732. V.: *Ut potest.* 737. .: *abire* et *abeas.* Emend. Acid. *Adire* legitur in Mediol. a. 1500 tc. 739. Libri: *Non* (vulgo: *Non.*) *accedam pot.* 746. Daceria t Reiz.: — *lapidibus?* Pl. *Nequissumum?* Sed fortior est vulata lectio, qua infra canem etiam leno detruditur. 749. Ita Pal. .: *tunc.* 751. V.: *quis.*

Vicinus Veneris; is dedit operam optumam.
Is nunc cum servis servat: ego mandaveram.
Pl. Duc me ad lenonem recta. Ubi illic est homo?
La. Salve. Pl. Salutem nil moror. Opta ocius:
Rapi te obtorto collo mavis, an trahi?
Utrum vis, opta, dum licet! La. Neutrum volo.
Pl. Abi sane ad litus curriculo, Trachalio:
Iube illos in urbe ire obviam ad portum mihi,
Quos mecum duxi, hunc qui ad carnuficem traderent;
Post huc redito atque agitato hic custodiam.
Ego hunc scelestum in ius rapiam exulem.
Age, ambula in ius. La. Quid ego deliqui? Pl. Rogas?
Quin' arrhabonem a me accepisti ob mulierem,
Et eam hinc avexti? La. Non avexi. Pl. Cur negas?
La. Quia pol provexi; avehere non quivi miser.
Equidem tibi me dixeram praesto fore
Apud Veneris fanum: numquid muto? sumne ibi?
Pl. In iure causam dicito; hic verbum sat est:
Sequere. La. Obsecro te, subveni, mi Charmides:
Rapior obtorto collo! Ch. Quis me nominat?
La. Viden' me, ut rapior? Ch. Video atque inspecto lubens.
La. Non subvenire mihi audes? Ch. Quis homo te rapit?
La. Adulescens Pleusidippus. Ch. Ut nactus's, habe
Bono animo. In nervom meliust te conrepere.
Tibi obtigit, quod plurimi exoptant sibi.
La. Quid id est? Ch. Ut id, quod quaerant, inveniant sibi.
La. Sequere, obsecro, me! Ch. Pariter suades, qualis es.
Tu in nervom rapere; eo me obsecras ut te sequar.
Etiam retentas? La. Perii! Pl. Verum sit, velim!
Tu, mea Palaestra et Ampelisca, ibidem illico
Manete, dum ego huc redeo. Lo. Equidem suadeo,
Ut ad nos abeant potius, dum recipis. Pl. Placet;
Bene facitis. La. Fures mi estis. Lo. Quid? fures? Pl. Rape!
La. Oro, obsecro, Palaestra! Pl. Sequere, carnufex.
La. Hospes! Ch. Non sum hospes; repudio hospitium tuom.
La. Siccine me spernis? Ch. Sic ago; semel bibo.
La. Di te infelicent! Ch. Isti capiti dicito.
Credo alium in aliam beluam hominem vortier;
Ille in columbum, credo, leno vortitur:

759. V.: *urbem*. 764. Libri fere: *Quin*. Aliquot edd. vett.: *Qui*. Corr. Guil. et Douza in Centur. 765. V.: *abduxisti*. Corr. Acidal. 768. V.: — *fanum: quid muto?* Egregio emendavit Reiz. 789. Non male *homines* legendum censet Daceria, probante etiam Desbillonio in notis, quas penes me habui, MSS. 790. V.: *illic*, et sequ. versu: *Nam in col.*

Nam indu columbari collum haud multo post erit;
In nervom ille hodie nidamenta congeret.
Verum tamen ibo: ei advocatus ut siem,
Si qui mea opera citius addici potest.

D A E M O N E S.

Bene factum et volupe est, me hodie his mulierculis i. s. IV, 1.
Tetulisse auxilium: iam clientas reperi,
Atque ambas forma scitula atque aetatula.
Sed uxor scelesta me omnibus servat modis:
Ne qui significem quidpiam mulierculis.
Sed, Gripus servos noster quid rerum gerat,
Miror, de nocte qui abiit piscatum ad mare.
Pol mage sapisset, si dormivisset domi:
Nam nunc et operam ludos facit et retiam.
Ut est tempestas nunc atque ut noctu fuit,
In digitis hodie percoquam, quod ceperit:
Ita fluctuare video vehementer mare.
Sed ad prandium uxor me vocat: redeo domum.
Iam auris opplebit meas sua vaniloquentia.

G R I P U S.

Neptuno has ago gratias, meo patrono, b. t. IV, 2.
Qui salsis locis incolit pisculentis,
Quom med ex suis pulcre ornatum expedivit
Templis reducem, plurima praeda onustum,
Salute horiae, quae in mari fluctuoso
Piscatu novo me uberi conpotivit;
Miroque modo atque incredibili hic piscatus mihi lepide evenit; a. t.
Neque piscium ullam unciam hodie pondo as. 2 i. h.
Cepi, nisi hoc, quod fero hic in rete.
Nam ut de nocte multa inpigreque exsurrexi: b. t.
Lucrum praeposivi sopori et quieti;
Tempestate saeva experiri expetivi,
Paupertatem heri qui et h. d.
Meam sententia tolerarem. Opera haud fui parcus mea. t. t. c.

803. *facit.* MSS.: *dat.* Fort.: *danit*, h. e. reddit. V. autem: *etia*, sed Priscian. pag. 759. Putsch.: *retiam.* 819. Ita Reiz. V.: *praeposui.* 822. *sent.*, prudentia. Libri: *sententiam.*

Nimis homo nihili est, qui piger est, nimisque id genus odi ego male;
Vigilare decet hominem, qui volt sua temperi conficere officia: a. oct.
Non enim illum expectare oportet, dum herus se ad suom suscitet officium: as. t. d. a. d.
Nam qui dormiunt lubenter, sine lucro et cum malo quiescunt. t. t.
Nam ego nunc mihi, qui inpiger fui, reperi, ut piger sim, si velim. i. t.
Hoc ego in mare, quidquid hic inest, reperi. Quidquid inest, grave quidem est.
Aurum hic ego inesse reor; nec conscius mi ullus homo est. Nunc haec tibi,
Occasio, Gripe, obtigit, te ex populo ut praetor liberet.
Nunc sic faciam, sic consilium est, ad herum ut veniam docte atque astu: t. t.
Pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, ut sim liber.
Iam ubi liber ero: igitur demum instruam agrum, aedis, mancipia;
Navibus magnis mercaturam faciam; ad reges rex perhibebor;
Post animi causa mihi navem faciam atque imitabor Stratonicum:
Oppida circumvectitabor. Ubi nobilitas mea erit clara:
Oppidum magnum conmunibo; ei ego urbi Gripo indam nomen,
Monumentum meae famae et factis; ibique regnum magnum instituam.
Magnas res hic agito in mentem instruere: nunc hunc vidulum condam.
Sed hic rex cum aceto pransurust et sale, sine bono pulmento.

TRACHALIO. GRIPUS.

Tr. Heus, mane! Gr. Quid maneam? Tr. Dum hanc tibi, quam trahis, rudentem conplico. t. t. c. IV, 3.
Gr. Mitte modo. Tr. At pol te adiuvabo: bonis quod bene fit, haud perit.

827. V.: *siem.* 828. V.: *H. e. in mari, q. inest.* Sed Pal. et vett. edd.: *q. hic inest.* 831. Libri: *astute.* Corr. Reiz., uti et vulgatum *apud* pro *ad* 834. 836. V.: *circumvectabor*, hiante quidem versu, nec placet Reiz., reponens *Oppidaque.* 842. V.: *At p. ego te a.: nam bonis* etc.

ɜr. Turbida tempestas here fuit: nil habeo, adulescens, piscium: i. t.
Ne tu mihi esse postules. Non vides, referre me uvidum
letem sine squamoso pecu? i. d.
'r. Non edepol piscis expeto, quam tui sermonis sum indigens. i. t.
ɪr. Enicas iam me odio, quisquis es. Tr. Non sinam ego hinc te abire. as. t. d. i. d. c.
Iane. Gr. Cave, sis, malo. Quid tu, malum, nam me retrahis? Tr. Audi.
ɪr. Non audio. Tr. At pol quin audies. Gr. Post quin loquere quidvis? as. 3 i. h.
'r. Eho, modo est operae pretium, tibi, quod ego volo, narrare.
ɪr. Eloquere, quid id est. Tr. Vide, num uspiam prope nos consequitur.
ɜr. Ecquid est, quod mea referat? Tr. Scilicet. c. t.
ed boni consili ecquid in te mihi est?
ɜr. Quid negoti est, modo dice. Tr. Dicam (tace),
i fidem modo das mihi, te non fore infidum. Gr. Fidem do; t. t.
'idus tibi ero, quisquis es. Tr. Audi. t. d.
'urtum ego vidi qui faciebat; noram dominum, id quoi fiebat; t. t.
'ost ad furem egomet devenio feroque ei conditionem hoc pacto.
stuc furtum ego scio quoi factum est: nunc mihi si vis dare dimidium,
ndicium domino non faciam. Is mihi nihil etiam respondit.
)uid? inde dari mi aequom est dimidium? t. d.
'olo, ut dicas. Gr. Imo hercule etiam amplius: nam nisi dat, i. t. c.
)omino dicundum censeo. Tr. Tuo consilio faciam.
Iunc advorte animum: namque hoc omne ad te attinet. Gr. Quid factum est?
'r. Vidulum istunc, quoiusnam est, novi hominem ego iampridem.... Gr. Quid est? t. t. c.
'r. Et quo pacto periit. Gr. At ego, quo pacto inventust, scio,
t, qui invenit, hominem novi et, dominus qui nunc est, scio.
Iihilo pol pluris tua hoc, quam quanti illud refert mea.

845. Sic Priscian., vett. edd., Reiz. V.: *Rete.* 851. Libri vett: *'ide nuspiam.* V.: *V. num quispiam.* 854. V.: *dic.* Corr. Reiz. 57. V.: *noveram.* Idem corr. 862. V.: *hercle.* 865. Pal.: *V. istum uiusmest novi.* V.: *Vid. i., cuius ille est, n.*

Ego illunc novi, quoius nunc est; tu illum, quoius antehac fuit. i. t.
Hunc homo feret a me nemo: ne tu te speres poti eius. t. t.
Tr. Non ferat, si dominus veniat? Gr. Dominus, ne frustra sies, t. t. c.
Nisi ego, nemo huic natust, hunc qui cepi venatu meo.
Tr. Itane vero? Gr. Ecquem esse dices in mari piscem meum?
Quos quom capio, si quidem cepi: mei sunt, habeo pro meis,
Nec manu adseruntur neque illinc partem quisquam postulat;
In foro palam omnis vendo pro meis venalibus.
Mare quidem commune certo est omnibus. Tr. Adsentio:
Qui minus hunc communem quaeso mi esse oportet vidulum?
In mari inventust: commune est. Gr. Nae inpudenter inpudens!
Nam si istuc ius sit, quod memoras: piscatores perierint:
Quippe quom extemplo in macellum pisces prolati sient:
Nemo emat, suam quisque partem piscium poscat sibi:
Dicat, in mari communi captos. Tr. Quid ais, inpudens?
Ausus etiam conparare vidulum cum piscibus?
Eadem tandem res videtur? Gr. In manu non est mea;
Ubi demisi retem atque hamum: quidquid haesit, extraho.
Meum quod rete atque hami nancti sunt, meum potissumum est.
Tr. Imo hercle haud est, si quidem quod vas excepisti. Gr. Philosophe!
Tr. Sed tu en unquam piscatorem vidisti, venefice,
Vidulum piscem cepisse aut protulisse ullum in forum?
Non enim tu hic quidem occupabis omnis quaestus, quos voles:
Et vietorem et piscatorem te esse, inpure, postulas.
Vel te mihi monstrare oportet, piscis qui sit vidulus;
Vel, quod in mari non natum est neque habet squamas, ne feras.
Gr. Quid tu? nunquam audisti esse antehac vidulum piscem? Tr. Scelus,
Nullus est. Gr. Imo est profecto: ego, qui sum piscator, scio;

870. *poti eius.* Libri: *potius.* Cf. Non. v. Poti et lexica. 871. V.: *Dom. huic nemo, ne fr. sis, Nisi ego, nemo natust, hunc q. c. in ren. meo.* 887. Ita Pal. prisce. V.: *nacti.* 892. Idem liber et vett. nonnullae edd.: *vitorem.* 895. Ita Reiz. V.: *audivisti.*

'erum raro capitur: nullus minus saepe ad terram venit.
'R. Nil agis! dare verba speras mihi te posse, furcifer?
)uo colore est? Gr. Hoc colore capiuntur pauxilluli.
unt alii puniceo corio, magni item, atque atro. Tr. Scio.
'u hercle in vidulum, opinor, piscem te convortes, nisi caves:
iet tibi puniceum corium, postea atrum denuo.
R. Quod scelus hodie hoc inveni? Tr. Verba facimus; it dies:
ide, sis, quoius arbitratu nos vis facere. Gr. Viduli
rbitratu. Tr. Ita? Enimvero stultus es. Gr. Salve, Thales.
'R. Tu istunc hodie non feres, nisi das sequestrum aut arbitrum,
uoius haec res arbitratu fiat. Gr. Quaeso, sanus es?
'R. Sum ellebrosus. Gr. At ego cerritus; hunc non amittam tamen.
'R. Verbum adde etiam unum: iam in cerebro colaphos abstrudam tuo!
go iam hic te itidem, quasi peniculus novos exurgeri solet,
[i hunc amittis, exurgebo, quidquid humoris tibi est!
R. Tange: adfligam ad terram te itidem, ut piscem soleo polypum!
is pugnare? Tr. Quid opust? Quin tu potius praedam divide.
R. Hinc tu, nisi malum, frunisci nil potes: ne postules.
beo ego hinc. Tr. At ego hinc obflectam navem: ne quo abeas. Mane!
R. Si tu proreta isti navi es: ego gubernator ero.
litte rudentem iam, sceleste! Tr. Mittam; omitte vidulum.
R. Nunquam hercle hinc hodie ramenta fies fortunatior.
'R. Non probare pernegando mihi potes, nisi pars datur,
ut ad arbitrum reditur, aut sequestro ponitur.
R. Quemne ego excepi in mari .... Tr. Ast ego inspectavi e litore.
R. Mea opera, labore et rete et horia? Tr. Numqui minus,
i veniat nunc dominus, quoius est, ego, qui inspectavi procul

897. Pal. et vett.: *Vero raro.* Corr. Reiz. Ernest., vitio, nisi llor, operarum: *Vero rare.* 899. V.: *atri*, quod minus concinum. 905. V.: *Ita enimvero? stultus es.* Reiz.: Tr. *ita?* Gr. *ita.* 'R. *en. st. s.* 910. Libri: *penicillus.* Sequor Reizium.

Te hunc habere, fur sum, quam tu? Gr. Nihilo. Tr. Mane, mastigia:
Quo argumento socius non sum, fur sum? facdum ex te sciam.
Gr. Nescio neque ego istas vostras leges urbanas scio,
Nisi quia hunc meum esse dico. Tr. Et ego item esse aio meum.
Gr. Mane: iam reperi rem, quo pacto nec fur nec socius sies.
Tr. Quo pacto? Gr. Sine med hinc abire; tu abi tacitus tuam viam; i. t.
Nec tu me quoiquam indicassis, neque ego tibi quidquam dabo. t. t. c.
Tu taceto; ego mussitabo. Hoc optumum atque aequissumum est.
Tr. Ecquid conditionis audes ferre? Gr. Iamdudum fero:
Ut abeas, rudentem amittas, mihi molestus ne sies.
Tr. Mane, dum refero conditionem. Gr. Te, obsecro hercle, aufer modo.
Tr. Ecquem in his locis novisti? Gr. Oportet vicinos meos.
Tr. Ubi tu hic habitas? Gr. Porro illic longe usque in campis ultimis.
Tr. Vin', qui in hac villa habitat, eius arbitratu fieri?
Gr. Restim paulisper remitte, dum concedo et consulo
Tr. Fiat. Gr. Euge, salva res est! praeda haec perpetua est mea:
Ad meum herum arbitrum vocat me huc intra praesepis meas:
Nunquam hercle hodie adiudicabit ab suo triobolum.
Nae iste haud scit, quam conditionem tetulit. Ibo ad arbitrum.
Tr. Quid igitur? Gr. Quamquam, istuc esse ius meum, certo scio:
Fiat istuc potius, quam nunc pugnem tecum. Tr. Nunc places.
Gr. Quamquam ad ignotum arbitrum me adpellis: si adhibebit fidem:
Etsi ignotus, notust; si non: notus ignotissumust.

925. V.: *et fur sum?* 929. Libri: *me.* 942. Ita Reiz. V.: *tetulerit.*

AEMONES. MULIERES. TRACHALIO. GRIPUS.

ᴀᴇ. Serio edepol, quamquam vobis volo, quae voltis, mulieres, t. t. c. IV, 4.
etuo, ne propter vos uxor mea me extrudat aedibus,
ıae me pellices adduxe dicet ante oculos suos.
ıs confugite in aram potius, quam ego. Mu. Miserae periimus!
ᴇ. Ego vos salvas sistam. Ne timete. Sed quid vos foras
osequimini? Quoniam ego adsum: faciet nemo iniuriam.
, inquam, domum ambo nunc iam ex praesidio, praesides.
. O here .... Tr. Salve. Dae. Salve. — Quid fit?
Tr. Tuosne hic servost? Gr. Haud pudet....?
. Nihil ago tecum. Gr. Ergo abi hinc, sis. Tr. Quaeso, responde, senex:
os hic servost? Dae. Meus est. Tr. Hem, istuc optume, quando tuost.
rum te saluto. Dae. Et ego te. Tune es, qui haud multo prius
iisti hinc herum arcessitum? Tr. Ego is sum. Dae. Quid nunc vis tibi?
. Nempe hic tuos est? Dae. Meus est. Tr. Istuc optume, quando tuost.
ᴇ. Quid negoti est? Tr. Vir scelestus ille est. Dae. Quid fecit tibi
scelestus? Tr. Homini ego isti talos subfringi volo.
ᴇ. Quid est, qua de re litigatis nunc inter vos? Tr. Eloquar. i. t.
. Imo ego eloquar. Tr. Ego, opinor, rem facesso. Gr. Si quidem t. t. c.
pudicus: hinc facessas. Dae. Gripe, animum advorte ac tace.
. Utn' istic prius dicat? Dae. Audi. — Loquere tu. Gr. Alienon' prius
am tuo dabis orationem? Tr. Ut nequitur conprimi!
, ut occepi dicere, illum, quem dudum extrusisti, as. ex t. d. et i. d. c.
ıonem, hic eius vidulum eccillum! t. d.
. Non habeo. Tr. Negas, quod oculis video? Gr. At, ne videas, velim. t. t. c.

947. Sic vulgati libri, et recte. A veteribus *volo* abest. 945. ri: *adduxisse*. Corr. Camerar. 954. V.: Dae. *Salve, Gripe, d fit?* 963. Fort.: *Ego, opinor Enim facesse*. 964. Fort.: *tu : facessas*.

ɪ.

Habeo; non habeo. Quid tu me curas, quid rerum geram?
Tr. Quomodod habeas, id refert, iuren' anne iniuria.
Gr. Ni istum cepi: nulla causa est, quin me condones cruci.
Si in mari reti adprehendi: qui tuom potiust, quam meum?
Tr. Verba dat: hoc modo res gesta est, ut ego dico. Gr. Quid tu ais?
Tr. Quod primarius vir dicat. Conprime hunc, sis, si tuost.
Gr. Quid? tu idem mihi vis fieri, quod herus consuevit tibi?
Si ille te conprimere solitus: hic nos noster non solet.
Dae. Verbo illo modo ille vicit. Quid nunc tu vis? dic mihi.
Tr. Equidem? Ego neque partem posco mi istinc de istoc vidulo,
Neque meum hodie esse unquam dixi; sed inest isti cistula
Huius mulieris, quam dudum dixi fuisse liberam.
Dae. Nempe tu hanc dicis, quam esse aibas dudum popularem meam?
Tr. Admodum; et, ea quae olim parva gestavit, crepundia
Istic ista in cistula insunt, quae isti inest in vidulo.
Hoc neque isti usust et illi miserae suppetias feret,
Si dederit, qui suos parentes quaerat. Dae. Faciam, ut det: tace.
Gr. Nihil hercle ego sum isti daturus. Tr. Nil peto, nisi cistulam
Et crepundia. Gr. Quid, sid ea sunt aurea? Tr. Quid istuo tua?
Aurum auro expendetur, argentum argento exaequabitur.
Gr. Fac, sis, aurum ut videam; post ego faciam videas cistulam.
Dae. Cave malo ac tace tu. — Tu perge, ut occepisti dicere.
Tr. Unum te obsecro, ut ted huius conmiserescat mulieris,
Si quidem hic lenonis eius est vidulus, quem suspicor.
Hinc nisi de opinione certum nil dico. Gr. Viden',
Ut scelestus aucupatur! Tr. Sine me, ut occepi, loqui.
Si scelesti illius est hic, quoius dico, vidulus,
Haec poterunt novisse: ostendere his iube. Gr. Ain' ostendere?
Dae. Haud iniquom dicit, Gripe, ut ostendatur vidulus.
Gr. Imo hercle insignite inique. Dae. Quidum? Gr. Quia, si ostendero,

971. V.: *Quomodo hab., illud.* Vett.: *id refert.* 980. Sic Iunt. Ald. V.: *cistellula.* 984. V.: *quae istic.* 9 6. V.: *Si id ded.* 988. V.: *si*, et: *Quid istic tua?* 994. V.: *Hic, n. d. o. e. nil dico tibi* Sed istud *tibi* non habent vett.

ontinuo hunc novisse dicent scilicet. Tr. Scelerum caput,
t tute es, item omnis censes esse, periuri caput?
r. Omnia istaec ego facile patior, dum hic hinc a me sentiat.
. Atqui non abs te stat, verum hinc ibit testimonium.
ae. Gripe, advorte animum. — Tu paucis expedi, quid postulas.
.Dixi equidem; sed si parum intellexti: dicam denuo.
sce ambas, ut dudum dixi, ita esse oportet liberas.
ec Athenis parva virgo fuit subrepta. Gr. Dic mihi,
id ista ad vidulum pertinent, servae sint istae an liberae? i.t.
. Omnia iterum vis memorari, scelus: ut defiat dies. t. t. c.
e. Abstine maledictis et mihi, quod rogavi, dilue.
. Cistellam isti inesse oportet caudeam in isto vidulo,
i sunt signa, qui parentes noscere haec possit suos,
ibuscum parva Athenis periit, sicuti dixi prius.
. Iupiter te dique perdant! Quid ais, vir venefice?
id? istae mutae sunt, quae pro se fabulari non queant?
. Eo tacent, quia tacita bona est mulier semper quam loquens.
. Tum pol tu pro oratione nec vir nec mulier mihi es.
Quidum? Gr. Quia enim neque loquens es neque tacens unquam bonus.
aeso, en unquam hodie licebit mihi loqui? Dae. Si praeter hoc
bum **verbum** faxis hodie: ego tibi conminuam caput!
Ut id occepi dicere, senex, eam te quaeso cistulam
iubeas hunc reddere illis. Ob eam si quid postulat
i mercedis: dabitur. Aliud quidquid ibi est, habeat sibi.
Nunc demum istuc dicis: quoniam ius meum esse intellegis;
lum dimidiam petebas partem. Tr. Imo etiam nunc peto.
Vidi petere miluom, etiam quom nihil auferret tamen.
. Non ego te conprimere possum sine malo? Gr. Si istic tacet,
tacebo; si iste loquitur, sine me mea pro re loqui.
. Cedo modo istunc vidulum mihi, Gripe. Gr. Concredam tibi;
si istorum nil sit, ut mihi reddas. Dae. Reddetur. Gr. Tene.

1003. V.: *A. nunc a. t. st.* 1008. Vet. cod. Camerar: *Q. ita . pertinet.* 1019. V.: *praeter hac.* 1028. V.: *sine me* (Pal. et edd.: *mea*) *pro re mea parte loqui.* Scilicet *rem* cxplicavere m (praedae) Gron. Reiz.: *sine me meam partem loqui.* Cf. 1050.

Dae. Audi nunc iam, Palaestra atque Ampelisca, hoc, quod loquor.
Estne hic vidulus, ubi cistellam tuam inesse aiebas. Pa. Is est.
Gr. Perii hercle ego miser! ut, priusquam plane adspexit, eloco
Esse eum dixit! Pa. Faciam ego hanc rem planam ex proclivi tibi.
Cistellam isti inesse oportet caudeam in isto vidulo.
Ibi ego dicam, quidquid inerit, nominatim; tu mihi
Nullum ostenderis. Si falsa dicam: frustra dixero:
Vos tamen istaec vobis, quidquid inerit illi, habebitis;
Sed si erunt vera: tum obsecro te, ut mea mihi reddantur. Dae. Placet: i. t.
Ius merum oras meo quidem animo. Gr. At meo meram hercle iniuriam. t.t.c.
Quid, si ista aut superstitiosa aut hariola est atque omnia,
Quidquid insit, vera dicet? anne habebit hariola?
Dae. Non feret, nisi vera dicet; nequidquam hariolabitur.
Solve vidulum ergo: ut, quid sit verum, quamprimum sciam.
Tr. Hoc habet! Gr. Est solutum. Pa. Ah, perii! video cistellam! Dae. Haeccine est?
Pa. Istaec est. O mei parentes, hic vos conclusos gero!
Huc opesque spesque vostrum cognoscendum condidi!
Gr. Tum tibi hercle deos iratos esse oportet, quisquis es,
Quae parentes tam in angustum tuos locum compegeris.
Dae. Gripe, accede huc: tua res agitur. — Tu, puella, istinc procul
Dicito, quid insit, et, qua facie, memorato omnia.
Si hercle tantillum peccassis: quod posterius postules
Te converti ad verum, nugas, mulier, magnas egeris.
Gr. Ius bonum oras. Tr. Edepol haud ted orat: nam tu iniurius.
Dae. Loquere nunc iam, puella. — Gripe, animum adverte ac tace.
Pa. Sunt crepundia. Dae. Ecca video. Gr. Perii in primo proelio! —
Mane! ne ostenderis! Dae. Qua facie sunt, responde ex ordine.
Pa. Ensiculus aureolus primum literatus. Dae. Dicedum,

1034. Ita locum Reiz. supplevit secundum Guil. 1035. et 38. libri *istic*, vel *illic*. 1040. Supplementum Camerarii, quem sequuntur Lamb. Reiz. 1044. V.: *quidquid sit*. Corr. Camer. 1049. Sic vett. V.: *in tam aug.*

In eo ensiculo litterarum quid sit. Pa. Mei nomen patris.
Post altrinsecus est securicula ancipes, itidem aurea,
Litterata; ibi matris nomen in securicula est. Dae. Mane.
Dic. in ensiculo quod nomen est paternum? Pa. Daemones.
Dae. Di inmortales, ubi loci sunt spes meae? Gr. Imo edepol meae?
Dae. Perge, te obsecro, continuo. Gr. Placide, aut ite in malam crucem!
Dae. Loquere, matris nomen hic quod in securicula siet.
Pa. Daedalis. Dae. Di me servatum cupiunt! Gr. At me perditum!
Dae. Filiam hanc meam esse oportet, Gripe. Gr. Sit per me quidem. —
Qui te di omnes perdant, qui me hodie oculis vidisti tuis,
Meque adeo scelestum, qui non circumspexi centies
Prius, me ne quis inspectaret, quam rete extraxi ex aqua!
Pa. Post sicilicula argenteola et duae connexae maniculae et
Sucula est.... Gr. Quin tu i dierecta cum sucla et cum porculis!
Pa. Et bulla aurea, pater quam dedit mihi natali die.
Dae. Ea profecto est! Contineri, quin complectar, non queo.
Filia mea, salve! Ego is sum, qui te produxi, pater!
Ego sum Daemones, et mater tua ecca hic intus Daedalis!
Pa. Salve, mi pater insperate! Dae. Salve! Ut te amplector lubens!
Tr. Volupe est, quom istuc ex pietate vostra vobis contigit.
Dae. Capedum hunc, si pote, et fer intro vidulum! age, Trachalio!
Tr. Ecce Gripi scelera! — Quom istaec res male evenit tibi,
Gripe: gratulor. Dae. Age, eamus, mea gnata, ad matrem tuam,
Quae ex te poterit argumentis hanc rem magis exquirere,
Quia te mage tractavit magisque signa pernovit tua.
Tr. Eamus intro omnes: o m n e s quando operam promiscam damus.
Pa. Sequere me, Ampelisca. Am. Quom te di amant, voluptati est mihi.
Gr. Sumne ego scelestus, qui illunc hodie excepi vidulum,
Aut, quom excepi, qui non alicubi in solo abstrusi loco?

1059. V.: *quid est.* Corr. Reiz. 1060. V.: *item.* 1062. Ita Meiol. a. 1500. V.: *quid nomen.* 1065. V. itidem: *quid.* 1071. V.: *Post est sicil.* 1072. V.: *cum sucula.* Pal.: *cum suc. et porc.* Fort. igitur legendum: *Suicula* est . . . Gr. *Q. t. i. d. cum suicula et porc.* 1079. V.: *potes.* 1084. Supplevit Acid., qui et *promiscam* edidit, secundum vet. cod. Camerar. pro vulgato *promiscuam*, recte probante Reizio.

Credebam edepol, turbulentam praedam eventuram mihi,
Quia mihi illa turbulenta tempestate evenerat.
Credo edepol, ego illic inesse auri, argenti, largiter.
Quid meliust, quam ut hinc intro abeam et me suspendam clanculum,
Saltem tantisper, dum abscedat haec a me aegrimonia?

DAEMONES.

Proh di inmortales, quis me est fortunatior, i. s. IV, 5.
Qui ex inproviso filiam inveni meam?
Satin', si quoi homini di esse benefactum volunt,
Aliquo illud pacto obtingit optatum piis?
Ego, qui hodie neque speravi neque illud credidi,
Is inproviso filiam inveni tamen,
Et eam de genere summo adulescenti dabo
Ingenuo, Atheniensi et cognato meo.
Eum ego adeo arcessi huc ad me quamprimum volo,
Iussique exire huc servom eius; ut ad forum
Iret. Nondum egressum esse eum, id miror tamen.
Accedam, opinor, ad foris. — Quid conspicor?
Uxor conplexa collo retinet filiam.
Nimis pene inepta atque odiosa eius amatio est.
Aliquando osculando meliust, uxor, pausam fieri, t. t. c.
Atque adorna, ut rem divinam faciam, quom intro advenero,
Laribus familiaribus, quom nostram auxerunt familiam.
Sunt domi agni et porci sacres. Sed quid istum remoramini,
Mulieres, Trachalionem? Atque optume, eccum, exit foras.

TRACHALIO. DAEMONES.

Tr. Ubiubi erit; tam investigabo et mecum ad te adducam simul t. t. c. IV, 6.
Pleusidippum. Dae. Eloquere, ut haec res obtigit de filia.
Eum rogato, ut linquat alias res et huc veniat. Tr. Licet.
Dae. Dicito, daturum me illi filiam uxorem.... Tr. Licet.
Dae. Et patrem eius me novisse, et mi esse cognatum. Tr. Licet.

1089. V.: *Q. illa mihi tam turb. t. e.* 1090. V.: *auri et arg. l.* Vet. cod. Camer., ut dicitur; *argenti et auri.* Reiz.: *auri atque arg.* 1095. Fort.: *si quando hom.* 1097. *qui* additum a Camer. ad numeros integrandos. Legitur autem, versu parum modulato: *Ego hodie, qui neque speravi, n. cr.* 1112. V.: *U. e., tamen iam invest.* Pal. et vett. edd. illud *iam* non habent. 1114. V.: *Eum rogato, ut* etc. Mediol. a. 1500: *linquat.*

'AE. Sed propera. TR. Licet. DAE. Iam hic fac sis: coena ut curetur. TR. Licet.
'AE. Omnian' „licet?" TR. Licet. Sed scin', quid est, quod te volo?
'uod promisisti, ut memineris, hodie ut liber sim. DAE. Licet.
R. Fac, ut exores Pleusidippum, ut me manu emittat.... DAE. Licet.
R. Et tua filia facito oret. Facile exorabit. DAE. Licet.
R. Atque ut mi Ampelisca nubat, ubi ego sim liber.... DAE. Licet.
R. Atque ut gratum mihi beneficium factis experiar. DAE. Licet.
R. Omnian' „licet?" DAE. Licet: tibi rursum refero gratiam.
ed propera ire in urbem actutum et recipe te huc rursum. TR. Licet.
ım hic ero. Tu interibi adorna ceterum, quod opust. DAE. Licet.
R. Hercules istum infelicet cum sua licentia:
a meas replevit auris. Quidquid memorabam: „licet."

GRIPUS. DAEMONES.

R. Quam mox licet te conpellare, Daemones? i. s. IV, 7.
AE. Quid est negoti, Gripe? GR. De illo vidulo,
i sapias, sapias: habeas, quod di dant boni.
AE. Aequom videtur tibi, ut ego, alienum quod est,
[eum esse dicam? GR. Quodne ego inveni in mari?
AE. Tanto illi meljus obtigit, qui perdidit;
uom esse nihilo magis oportet vidulum.
R. Isto tu es pauper, quom nimis sancte pius.
AE. O Gripe, Gripe, in aetate hominum plurimae
iunt transennae, ubi decipiuntur dolis;
tque edepol in eas plerumque esca inponitur,
uam si quis avidus pascit escam avariter:
ecipitur in transenna avaritia sua.

1117. Sic libri vett. V. secundum Acid.: *Iam h. f. sit.* Cf. Aul. 2, 4 c. Usurus iam est Daemones servo generi futuri, tanquam suo. .19. *manu* est a Camerario. 1131. V.: *di danunt boni.* Sed Pal.: *danunt dant boni*, ut *dant* pro *danunt* scriptum voluerit librarius. Et recte; id quod etiam Taubm. intellexit et Reiz. 1140. a Rich. Thomson., non improbante Taubm. Habet etiam Reiz. .: *poscit.*

Ille, qui consulte docte atque astute cavet:
Diutine uti bene licet partum bene.
Mi istaec videtur praeda praedatum irier:
Ut cum maiore dote abeat, quam advenerit.
Egone ut, quod ad me adlatum esse alienum sciam,
Celem? Minume istuc faciet voster Daemones.
Semper sapientis hoc cavere aequissumum est,
Ne conscii sint ipsi malefici suis.
Ego, nisi quom lusi, nil moror ullum lucrum.
GR. Spectavi ego pridem Comicos istum ad modum
Sapienter dicta dicere atque iis plaudier,
Quom illos sapientis mores monstrabant poplo;
Sed quom inde suam quisque ibant divorsi domum:
Nullus erat illo pacto, ut illi iusserant.
DAE. Abi intro; ne molestus. Linguae tempera.
Tibi ego daturus nil sum: ne frustra sies.
GR. At ego deos quaeso, ut, quidquid in illo vidulo est
Si aurum, si argentum est, omne id ut fiat cinis. —
DAE. Illuc est, quod nos nequam servis utimur.
Nam illic cum servo si quo congressus foret;
Et ipsum sese et illum furti adstringeret,
Dum praedam habere se censeret, interim
Praeda ipsus esset, praeda praedam duceret.
Nunc hinc introibo et sacruficabo; postibi
Iubebo nobis coenam continuo coqui.

PLEUSIDIPPUS. TRACHALIO.

PL. Iterum mi istaec omnia itera, mi anime, mi Trachalio, t. t. c. IV, 8.
Mi liberte, mi patrone, imo potius mi pater!
Reperit patrem Palaestra suom atque matrem? TR. Reperit.
PL. Et popularis est? TR. Opino. PL. Et mihi nuptura est? TR. Suspicor.
PL. Censen', hodie despondebit eam mihi, quaeso? TR. Censeo.
PL. Quid? patri etiam gratulabor, quom illam invenit? TR. Censeo.
PL. Quid? matri eius? TR. Censeo. PL. Quid ergo censes? TR. Quod rogas,
Censeo. PL. Dic ergo, quanti censes? TR. Egone? Censeo. PL. At

1147. Ita Iunt. Ald.,' suffragante Acid. V.: *noster*. 1149. V.: *maleficiis*. Corr. Guil. Reiz. 1150. Obscure libri: *E. mihi eum lusi*. 1157. V.: *ne tu frustra sis*. 1170. V.: *Opinor*.

ume quidem: ne censionem semper facias. Tr. Censeo.
'l. Quid, si curram? Tr. Censeo. Pl. An sic potius placide? Tr. Censeo.
l. Etiamne eam adveniens salutem? Tr. Censeo. Pl. Etiam patrem?
'r. Censeo. Pl. Post eius matrem? Tr. Censeo. Pl. Quid postea?
tiamne adveniens conplectar eius patrem? Tr. Non censeo.
'l. Quid matrem? Tr. Non censeo. Pl. Quid eampse illanc? Tr. Non censeo.
'l. Perii, delectum dimisit! nunc non censet, quom volo.
'r. Sanus non es. Sequere. Pl. Duc me, mi patrone, quo lubet.

LABRAX.

)uis me est mortalis miserior, qui vivat alter hodie, i. t. c. V, 1.
)uem ad recuperatores modo damnavit Pleusidippus?
biudicata a me modo est Palaestra. Perditus sum!
Iam lenones ex gaudio credo esse procreatos:
ta omnes mortales, si quid est mali lenoni, gaudent.
Iunc alteram illam, quae mea est, visam huc in Veneris fanum:
altem ut eam abducam, de bonis quod restat reliquiarum.

GRIPUS. LABRAX.

ꞩr. Nunquam edepol hodie ad vesperam Gripum inspicietis vivom, i. t. c. V, 2.
Iisi vidulus mihi redditur. La. Perii, quom mentionem
'ieri audio usquam viduli, quasi palo pectus tundor.
ꞩr. Istic scelestus liber est; ego, qui in mari prehendi
lete atque excepi vidulum, ei dare negatis quidquam.
ʟa. Proh di inmortales, suo mihi hic sermone arrexit auris!
ꞩr. Cubitum hercle longis litteris signabo iam usquequaque:
i quis perdiderit vidulum cum auro atque argento multo,
ld Gripum ut veniat. Non feretis istum, ut postulatis!
ʟa. Meum hercle illic homo vidulum scit qui habet, ut ego opinor:
ldeundus mi illic est homo. Di, quaeso, subvenite!

1177. Sic vett. V. secundum Acid.: *Etiamne eius patrem.* 1185. 'r.: *mortalium.* Corr. Reiz. 1193. Sic Pal. V.: *Illic scel.*

Gr. Quid me intro revocas? Hoc volo hic ante ostium extergere:
Nam hoc quidem pol e robigine, non est e ferro factum:
Ita quanto magis extergeo, rutilum atque tenuius fit. —
Nam hoc quidem venenatum est verum: ita in manibus consenescit.
La. Adulescens, salve. Gr. Di te ament cum inraso capite. La. Quid fit?
Gr. Verum extergetur. La. Ut vales? Gr. Quid tu? num medicus, quaeso, es?
La. Imo edepol una littera plus sum, quam medicus. Gr. Tum tu
Mendicus es? La. Tetigisti acu. Gr. Videtur digna forma.
Sed quid tibi est? La. Hac proxuma nocte in marid elavi.
Confracta est navis: perdidi, quidquid erat, miser ibi omne.
Gr. Quid perdidisti? La. Vidulum cum auro atque argento multo.
Gr. Ecquid meministi, in vidulo, qui periit, quid ibi infuerit?
La. Quid refert, qui periit tamen, nunc si illud fabulemur?
Gr. Quid, si ego sciam, qui invenerit? Volo ex te scire signa.
La. Numi octingenti aurei in marsupio infuerunt.
Praeterea centum Philippeae minae in pasceolo seorsus.
Gr. Magna hercle praeda est! largiter mercedis indipiscar!
Di homines respiciunt. Bene ego hinc praedatus ibo!
Profecto est huius vidulus. Perge alia tu expedire.
La. Talentum argenti commodum magnum inerat in crumena;
Praeterea sinus, cantharus, epichysis, gaulus, cyathus.
Gr. Papae, divitias tu quidem habuisti luculentas!
La. Miserum istuc verbum et pessumum est Habuisse et nihil habere.
Gr. Quid dare velis, qui istaec tibi investiget indicetque?
Eloquere propere, celeriter. La. Numos trecentos. Gr. Tricas!

1204. Libri vett.: *N. qu. hoc uenatust verum.* V.: *N. q. h. vere natum est verum.* Correxerunt pridem alii. 1213. V.: *— periit?* Gr. (habet hoc signum personae ipse Pal. codex.) *tamen, si non hoc, aliud fab.* 1216. V.: *P. c. denaria Philippea in p. s.* Vett.: *P. c. mna Philippiu* (vel: *mnae Philippicae*, ut lunt. Ald.) *in p. sorsus* (vel *seorsus*). Expressi Reizianam scripturam. 1218. Verba *Di* et *bene* non eliduntur. Frustra alii alind addendum esse metri causa existimarunt. 1221. V. invitis libris vett.: *cyathusque.*

La. Quadringentos. Gr. Tramas putridas! La. Quingentos. Gr. Cassam glandem!
La. Sexcentos. Gr. Curculiunculos minutos fabulare.
La. Dabo septingentos. Gr. Os calet tibi: nunc id frigefactas.
La. Mille dabo numos. Gr. Somnias. La. Nihil addo: abi. Gr. Igitur audi.
Si hercle abiero hinc: hic non ero. La. Vin' centum et mille? Gr. Dormis.
La. Eloquere, quantum postules. Gr. Quo nihil invitus addas:
Talentum magnum. Non potest triobolum hinc abesse.
Proin tu vel aias vel neges. La. Quid istic? Necessum est, video:
Dabitur talentum. Gr. Accededum huc: Venus haec volo arroget te.
La. Quod tibi lubet, id mihi impera. Gr. Tange aram hanc Veneris. La. Tango.
Gr. Per Venerem hanc iurandum est tibi. La. Quid iurem? Gr. Quod iubebo.
La. Praei verbis quidvis. Quod domi est, nunquam ulli supplicabo.
Gr. Tene aram hanc. La. Teneo. Gr. Deiera, te argentum mihi daturum
Eodem die, ubi viduli sies potitus. La. Fiat.
Gr. Venus Cyrenensis, testem te testor mihi.... i. s.
La. Venus Cyrenensis, testem te testor mihi . . . .
Gr. Si vidulum illum, quem ego in navi perdidi . . . .
La. Si vidulum illum, quem ego in navi perdidi . . . .
Gr. Cum auro atque argento salvom investigavero . . . .
La. Cum auro atque argento salvom investigavero....
Gr. Sique in potestatem is meam pervenerit . . . .
La. Isque in potestatem meam pervenerit . . . .
Gr. Tum ego huic, Gripo dico, inquito et me tangito....
La. Tum ego huiic, Gripo dico; Venus, ut tu audias....
Gr. Talentum argenti magnum continuo dabo.
La. Talentum argenti magnum continuo dabo.
Gr. Sed si fraudassis: dic, ut in quaestu tuo
Venus eradicet caput atque aetatem tuam. —
Tecum hoc habeto tamen, ubi iuraveris.
La. Illunc advorsum ego si quid peccasso, Venus:

1237. V.: *id quod d. est.* 1238. Ita Reiz. V.: *deiura.* 1239. V.: *sis.* 1246. Libri numeris pessimis: *Isque in pot. meam perv.* 1248. Fort.: *Tum ego huiic, Gripo dico, inque et me tangito.* 1249. V.: *huic.* 1252. V.: *ut te in q. t.* Emend. Acid. 1255. Pal. et vett. Edd.: *Illa negat uorsum.* V.: *Et illum ego adv.*

Veneror te, ut omnes miseri lenones sient.
Gr. Fiet tamen, etsi tu fidem servaveris.
Tu hic opperire: iam ego faxo exibit senex:
Eum tu continuo vidulum reposcito.
La. Si maxume illum mihi reddiderit vidulum:
Non illi ego hodie debeo triobolum:
Meus arbitratust, lingua quod iuret mea.
Sed conticescam: eccum exit et ducit senem.

GRIPUS. DAEMONES. LABRAX.

Gr. Sequere hac. Ubi istic leno est? — Heus, tu! hem tibi: hic habet vidulum. i. t. V, 3.
Dae. Habeo et fateor esse apud me; et, si tuos est, habeas tibi. t. t. c.
Omnia, ut quidquid infuere, ita salva sistentur tibi.
Tene, si tuost. La. O di inmortales, meus est! Salve, vidule! i. t.
Dae. Tuosne est? La. Rogitas? Si quidem hercle Iovis fuit: meus est tamen.
Dae. Omnia insunt salva; una istinc cistella excepta est modo t. t. c.
Cum crepundiis, quibuscum hodie filiam inveni meam.
La. Quam? Dae. Tua quae fuit Palaestra, ea filia inventa est mea.
La. Bene mehercle factum est! Quom istaec res tibi ex sententia
Pulcre evenit: gaudeo. Dae. Istuc facile — non credo tibi.
La. Imo hercle, ut scias gaudere me, mihi triobolum
Ob eam ne duis: condono te. Dae. Benigne edepol facis.
La. Imo tu quidem hercle vero. Gr. Heus, tu, iam habes vidulum?
La. Habeo. Gr. Propera.... La. Quid properabo? Gr. Reddere argentum mihi!
La. Neque edepol tibi do neque quidquam debeo. Gr. Quae haec factio est?
Non debes? La. Non hercle vero. Gr. Non tu iuratus mihi es?
La. Iuratus sum et nunc iurabo, si quid voluptati est mihi.
Iusiurandum rei servandae, non perdundae, conditum est.
Gr. Cedo, sis, mihi talentum magnum argenti, periurissume!
Dae. Gripe, quod tu istunc talentum poscis? Gr. Iuratust mihi

1276. V.: *tamne*. Sequor veteres.

)are. La. Lubet iurare. Tun' meo pontifex periurio es?
)ae. Qua pro re argentum promisit hic tibi? Gr. Si vidulum
Iunc redegissem in potestatem eius, iuratus dare
Iihi talentum magnum argenti. La. Cedo, quicum habeam iudicem,
Ti dolo malo instipulatus sis, nive etiamdum siem
Quinque et viginti annos natus. Gr. Habe cum hoc. La. Alio est opus.
)ae. Iam abis? Te auferre haud sinam, nisi istum condemnavero.
Promisistin' huic argentum? La. Intueor. Dae. Quod servo meo
Promisisti, meum esse oportet: ne tu, leno, postules,
Te hic fide lenonia uti. Non potes. Gr. Iam te ratus
Nactum hominem, quem defraudares? Dandum huic argentum est probum.
d ego continuo huic dabo adeo: me ut hic emittat manu.
Dae. Quando ergo erga te benignus fuvi atque haec opera mea
Sunt tibi servata.... Gr. Imo hercle mea: ne tu dicas tua.
Dae. Si sapies: tacebis. — Iam te mihi benigne itidem addecet
Bene merenti bene referre gratiam. La. Nempe pro meo
ure oras? Dae. Mirum, quin tuom ius meo periclo abs te expetam.
Gr. Salvos sum: leno labascit; libertas portenditur!
Dae. Vidulum istic ille invenit; illud mancipium est meum;
Ego tibi hunc porro servavi magna cum pecunia.
La. Gratiam habeo et de talento nulla causa est, quin feras,
Quod isti sum iuratus. Gr. Heus tu, mihi dato ergo, si sapis.
Dae. Tacen', an non? Gr. Tu meam rem simulas agere, tibi.... Dae. Mutti modo!
Gr. Non hercle istoc me intervortes, si aliam praedam perdidi.
Dae. Vapulabis, verbum si addes uuum istuc. Gr. Vel hercle enica!
Non tacebo unquam alio pacto, nisi talento conprimor.
Dae. Tibi operam hic quidem dat: taceto. — Concede huc leno. La. Licet.

1290. V.: *Iam ab isto auferre.* Sed Gripus non amplius habet vidulum. Cf. Poen. 547 etc. 1291. V.: *Promisisti h. a.?* La. *Fateor.* Pal. non *Fateor*, sed habet *Intueor;* et in vet. codice Camerar. scriptum fuisse dicunt *inteor. Intueor*, considero et mecum reputo, an ei promiserim. 1293. *Iam.* Libri *Tum.* 1306. Alii aliter haec sarciunt. Vett.: *agere tibi mu.* 1310. V.: *Conc. hoc tu, leno.*

GR. Palam age! nolo, murmurillum neque susurrum fieri.
DAE. Dic mihi, quanti illam emisti tuam alteram mulierculam
Ampeliscam? LA. Mille numum denumeravi. DAE. Vin' tibi
Conditionem luculentam ferre me? LA. Sane volo.
DAE. Dividuom talentum faciam. LA. Bene facis. DAE. Pro illa altera,
Libera ut sit, dimidium tibi sume; dimidium huic cedo.
LA. Maxume. DAE. Pro illo dimidio Gripum ego emittam manu,
Quem propter tu vidulum et ego natam inveni. LA. Bene facis:
Gratiam habeo magnam. GR. Quam mox mi argentum ergo redditur?
DAE. Res soluta est, Gripe: ego habeo hercle. GR. At ego me mavolo.
DAE. Nihil hercle hic tibi est: ne speres. Iurisiurandi volo
Gratiam facias. GR. Perii hercle! nisi me suspendo: occidi!
Nunquam hercle iterum defraudabis me quidem post hunc diem.
DAE. Hic hodie coenato, leno. LA. Fiat; conditio placet.
DAE. Sequimini intro. — Spectatores, vos quoque ad coenam vocem,
Ni daturus nil sim neque sit quidquam pollucti domi,
Nive adeo vocatos credam vos esse ad coenam foras.
Verum si voletis plausum fabulae huic clarum dare:
Comissatum omnes venitote ad me ad annos sedecim.
Vos hodie hic coenatote ambo. LA. Fiat. DAE. Iam plausum date.

1311. Ita Pal. (nisi quod ibi legitur *murmur illum*) et Non. v. Murmurillum. V.: *murmur ullum.* 1313. Ita vet. cod. Camerar. V.: *nummos.* 1315. Sic Reiz. V.: *facias.* 1321. V.: *ne tu speres.* 1327. V.: *Neve.*

S T I C H U S.

ARGUMENTUM.

Senex castigat filias, quod eae viros i. s.
Tam perseverent peregrinantis pauperes
Ita sustinere fratres neque relinquere;
Contraque verbis delenitur commodis,
Habere ut sineret, quos semel nactae forent.
Viri reveniunt opibus aucti trans mare;
Suam quisque retinet ac Sticho ludus datur.

Vers. 1. Pal.: *quo heae*, h. e. *quod eae*, ut legitur in aliis MSS. V.: *quod hae.*

DRAMATIS PERSONAE.

PANEGYRIS.
PINACIUM.
ANTIPHO.
GELASIMUS.
CROCOTIUM.
PINACIUM.
EPIGNOMUS.
PAMPHILIPPUS.
STICHUS.
SAGARINUS.
STEPHANIUM.

PANEGYRIS. PINACIUM.

PANEGYRIS.

Credo ego, miseram fuisse Penelopam, soror, suo ex animo. t. t.
Quae tam diu viro suo vidua caruit: nam nos eius animum
Noscimus de nostris factis, quarum absunt viri hinc, quorumque
Nos negotiis absentum, ut est aequom, sollicitae noctes
Et dies, soror, sumus semper. PI. Nostrum officium nos facere aequom est,
Nec mage facimus quam monet nos pietas. Sed, mea soror, adsisdum hic:
Multa volo tecum loqui de re viri. PA. Salvene, amabo?
PI. Spero quidem et volo. Sed hoc crucior, soror, patrem tuum i. t.
Meumque adeo, unus qui unice civibus ex omnibus probus
Perhibetur, eum nunc improbi viri officio uti, qui viris
Tantas absentibus facit nostris inmerito iniurias,
Nosque ab his abducere volt. Hae res, soror, vitae me saturant; t. t.
Hae mihi dividiae et senio sunt. PA. Neu lacruma, soror, neu tuo animo id
Fac, quod tibi pater minatur. Spes est, eum melius facturum. as. t. d. i. d. h.
Novi illum ego: ioculo istaec dicit, neque ille sibi mereat Persarum
Montes, qui esse aurei perhibentur, ut istuc faciat, quod tu metuis.
Tam si faciat, minume decet irasci, neque id inmerito eveniet: t. t.
Nam viri domo ut abierunt, tertius annus hic. PI. Ita, ut memoras.

Vers. 2. *diu* μονοσύλλαβον hoc loco, i littera extrita, sicut passim. 6. V.: *Neque id magis facimus.* Glossema minus ἔμμετρον. 14. V.: *F., quod tibi tuus pater facere minatur.* 15. *ioc. istaec.* Pal. et vett. edd. V.: *istaec ioc.* Liquescit *neque.* 17. Libri hoc versu et 26: *Tamen*, ut solent. 18. V.: *N. viri nostri.* Glossema hoc quoque.

Pa. Quom ipsi interea vivant, valeant: ubi sint, quid agant, ecquid agant, as. t. d. i. d. c.
Neque participant nos, neque redeunt. Pi. An id doles, quia illi
Non colunt officium suom, quom tuom faci', soror? Pa. Ita pol.
Pi. Tace, sis! cave, sis, audiam ego istuc, cave posthac ex te! Pa. Nam qui iam? t. t
Quia pol meo animo omnis sapientis suom officium aequom est colere et facere.
Quamobrem ego te hoc, soror, tametsi es maior, moneo, ut tuom memineris
Officium, et si illi inprobi sint atque aliter nos faciant quam aequom
Est, tam pol ne quid mage simus omnibus obnixae opibus. Nostrum
Officium meminisse decet. Pa. Placet: taceo. Pi. At memineris facito.
Pa. Nolo ego, soror, me credi esse inmemorem viri, i. s.
Neque ille honores, mihi quos habuit, perdidit:
Nam mihi pol grata acceptaque huius benignitast,
Et me quidem haec conditio nunc non poenitet,
Neque est cur studeam has nuptias mutarier;
Verum postremo in patris potestate est situm:
Faciundum id nobis, quod parentes imperant.
Pi. Scio atque in cogitando moerore augeor:
Nam propemodum iam ostendit suam sententiam.
Pa. Igitur quaeramus, nobis quid facto usus sit.

ANTIPHO. PANEGYRIS. PINACIUM.

An. Qui manet ut moneatur semper servos homo officium suom, t. t. c. I, 2.
Nec voluntate id facere meminit, servos is habitu haud probust.
Vos meministis quotcalendis petere demensum cibum:
Qui minus meministis, quod opust facto, facere in aedibus?
Iam quidem suo nisi quidque loco mi erit situm supellectilis,
Quom ego revortar: vos monumentis conmonefaciam bubulis!
Non homines habitare mecum mi hic videntur, sed sues.

26. *obnixae* Pal. et vett. edd. V.: *obnoxiae*. 29. V.: *N. ille eos hon.* 32. V.: *N. e. cur nunc* (Pal. *non*) *st. h. n. m.* 41. V.: *quid opus sit.* 42. V.: *in suo.*

Facite, sultis, nitidae ut aedes meae sint, quom redeam domum.
Iam ego domi adero. Ad meam maiorem filiam inviso domum.
Si quis quaeret: inde vocatote aliqui; aut iam egomet hic ero.
Pi. Quid agimus, soror, si obfirmabit pater advorsum nos? Pa. Pati
Nos oportet, quod ille faciat, quoius potestas plus potest.
An. Si manere hic sese malint potius quam alio nubere:
Non faciant! Quid mihi opust decurso aetatis spatio cum eis
Gerere bellum, quom nil, quamobrem faciam, meruisse arbitror?
Minume! nolo turbas. Sed hoc mihi optumum factu arbitror,
Principium, ego quo pacto cum illis occipiam, id ratiociner:
Utrum ego perplexim lacessam oratione ad hunc modum,
Quasi nunquam quidquam in eas simulem, quasi nil indaudiverim,
Eas in se meruisse culpam, ac potius tentem leniter;
An minaciter. Scio, litis fore: ego meas novi optume.
Pi. Exorando, haud advorsando, sumendam operam censeo.
Gratiam si a patre petimus: spero ab eo inpetrassere.
Advorsari sine dedecore et scelere summo haud possumus.
Neque ego sum factura, neque, tu ut facias, consilium dabo;
Verum, ut exoremus. Novi ego nostros: exorabilist.
An. Sic faciam: adsimulabo, quasi culpam aliquam in sese admiserint;
Perplexabiliter earum hodie perpavefaciam pectora;
Post id agam igitur deinde: ut animus meus erit, faciam palam.
Multa scio faciunda verba. Ibo intro. Sed aperta est foris.
Pi. Certo enim mihi paternae vocis sonitus auris accidit.
Pa. Is est ecastor. Ferre advorsum hominem occupemus osculum. i. t.
Pi. Salve, mi pater. An. Et vos ambae. Eloco agite, abscedite! t. t. c.
Pi. Osculum.... An. Sat osculi est mihi vostri. Pi. Qui, amabo, pater?
An. Quia ita meae animae salsura evenit. Pi. Adside hic, pater.
An. Non sedeo istic; vos sedete; ego sedero in subsellio.

47. V.: *Si quis me quaeret.* 57. Sic Acid. V.: *an potius.*

Pi. Mane pulvinum. An. Bene procuras mihi; sat sic fultum est mihi.
Pi. Sine, pater. An. Quid opus? Pi. Opus. An. Morem tibi geram. Atque hoc est satis.
Pi. Nunquam enim nimis curare possunt suom parentem filiae.
Quem aequius nos potiorem habere, quam te, postidea, pater,
Nostros viros, quibus tu nos voluisti esse matres familias? i. t.
An. Bonas ut aequom est facere, facitis, quom tamen absentis viros
Perinde habetis, quasi praesentes sint. Pi. Pudicitiae, pater,
Est, nos magnificare, qui nos socias sumserunt sibi. t. t. c.
An. Numqui hic est alienus nostris dictis auceps auribus?
Pa. Nullus praeter nosque teque. An. Vostrum animum adhiberi volo.
Nam ego ad vos nunc, inperitus rerum et morum mulierum,
Discipulus venio ad magistras. Quibus matronas moribus,
Quae optumae sunt, esse oportet? Sed utraque ut dicat mihi.
Pa. Quid istuc est, quod exquaesitum huc mulierum mores venis? i. t.
An. Pol ego uxorem quaero, postquam vostra mater mortua est. t. t. c.
Pa. Facile invenies et peiorem et peius moratam, pater,
Quam illa fuit; meliorem neque tu reperies neque sol videt.
An. At ego ex te exquiro atque ex istac tua sorore . . . . Pa. Edepol, pater,
Scio, ut oportet esse, si sint ita, ut ego aequom censeo.
An. Volo scire ergo, ut aequom censes. Pa. Ut, per urbem quom ambulent, i. t.
Omnibus os obturent: ne quis merito maledicat sibi. t. t. c.
An. Dic vicissim nunc iam tu. Pi. Quid vis tibi dicam, pater?
An. Ubi facillume spectatur mulier, quae ingenio est bono?
Pi. Quom male faciundi est potestas, quae, ne id faciat, temperat.
An. Haud male istuc. Age tu altera: utra sit conditio pensior,
Virginemne an viduam habere? Pa. Quanta mea sapientia est,
E malis multis malum quod minumum est, id minumum est malum.

74. V.: *satis.* 75. V. utroque loco: *opus est.* 82. V.: *Numquis.* 97. *Quom.* Vet. cod. Camerar: *quoi.* V.: *cui.*

Qui pote mulieres vitare, vitet is: ut quotidie
Pridie caveat, ne faciat, quod pigeat postridie.
An. Quae tibi mulier videtur multo sapientissuma?
Pi. Quae tamen, quom res secundae sunt, se poterit noscere; et
Illa, quae aequo animo patietur, sibi esse peius quam fuit.
An. Edepol vos lepide tentavi vostrumque ingenium ingeni.
Sed hoc est, quod ad vos venio, quodque esse ambas conventas volo:
Mi ita auctores sunt amici, ut vos hinc abducam domum.
Pa. At enim nos, quarum res agitur, aliter auctores sumus:
Nam aut olim, nisi tibi placebant, non datas oportuit;
Aut nunc non aequom est abduci, pater, illisce absentibus.
An. Vosne ego patiar cum mendicis nuptas me vivo viris?
Pi. Placet illic meus mihi mendicus; suos rex reginae placet.
Idem animust in paupertate, qui olim in divitiis fuit.
An. Vosne latrones et mendicos homines magni penditis?
Pa. Non me tu argento dedisti, opinor, nuptum, sed viro.
An. Quid illos exspectatis, qui abhinc iam abierunt triennium? i. t.
Quin vos capitis conditionem ex pessuma primariam? t. t. c.
Pi. Stultitia est, pater, venatum ducere invitas canes.
Hostis est uxor, invita quae ad virum nuptum datur.
An. Certumne est, neutram vostrarum persequi imperium patris?
Pa. Persequimur: nam, quo dedisti nuptum, abire nolumus.
An. Bene valete: ibo atque amicis vostra consilia eloquar.
Pi. Probiores, credo, arbitrabunt, si probis narraveris.
An. Curate igitur familiarem rem, ut potestis, optume.
Pa. Nunc places, quom recte monstras: nunc tibi auscultabimus.
Nunc, soror, abeamus intro. **Pi.** Imo intervisam prius domum.
Si a viro tibi forte veniet nuntius: facito, ut sciam.
Pa. Neque ego te celabo, neque tu me celassis, quod scies.
Eho, Crocotium, i, parasitum Gelasimum huc arcessito;
Tecum adduce: nam illum ecastor mittere ad portum volo,
Si quae forte ex Asia navis heri aut hodie venerit,
Nam dies totos apud portum servos unus adsidet;
Sed tamen volo intervisi. Propera atque actutum redi.

126. Ita Guil, V.: *placet.* 127. *prius* non legitur in Pal. et vett. edd.

GELASIMUS. CROCOTIUM.

Ge. Famen fuisse suspicor matrem mihi: I. s. II, 1.
Nam postquam natus sum, satur nunquam fui;
Neque quisquam melius referet matri gratiam,
Quam ego matri retuli meae Fami invitissumus:
Nam illaec me in alvo mensis gestavit decem;
At ego illam in alvo gesto plus annos decem,
Atque illa puerum me gestavit parvolum,
Quo minus laboris cepisse illam existumo;
At ego non pauxillam in utero gesto famem,
Verum hercle multo maxumam et gravissumam,
Dolores oboriuntur mihi quotidie;
Sed matrem parere nequeo; nescio, quomodo.
Audivi saepe hoc volgo dictitarier,
Solere elephantum gravidam perpetuos decem
Esse annos. Eius ex semine haec certo est fames;
Nam iam conpluris annos utero haeret meo.
Nunc si ridiculum quaeret hominem quispiam,
Venalis ego sum cum ornamentis omnibus:
Inanimentis explementum quaerito.
Gelasimo nomen mi indidit parvo pater,
Quia inde a pauxillo puero ridiculus fui.
Propter paupertatem adeo hoc nomen reperi
Eo, quia paupertas fecit, ridiculus forem:
Nam illa omnis artis perdocet, ubi quem attigit.
Per annonam caram dixit me natum pater;
Propterea, credo, nunc esurio acrius.
Sed generi nostro haec reddita est benignitas;
Nulli negare soleo, si qui esum vocat.
Oratio una interiit hominum pessume,
Atque optuma hercle meo animo et scitissuma,
Qua ante utebantur: „Veni illo ad coenam! sic face!
„Promitte vero! Ne gravare! est commodum.
„Volo, inquam, fieri. Non amittam, quin eas.“
Nunc repererunt verbo ei vicarium
Nihili quidem hercle verbum ao vilissumum:
„Vocem te ad coenam, nisi egomet coenem foris.“

136. Pal.: — *fui quam ego matri meae refero invitissimus neque retulit quam Ego refero meae matri fami nam illa me in alvo* etc. Cui libro non multum dissimiles hoc loco sunt primae edd. 137. Versus ab A. Maio inventus in cod. rescripto Ambros. 143. V.: *pauxillulam.* 145. Libri, intruso glossemate: *Uteri dolores mihi ob. cotidie.* 147. V.: *dicier.* Iunt. Ald.: *A. s. h. v. a multis dicier.* 155. V.: *Q. inde iam a. p. p. r. f.* 162. V.: *si quis esum me vocat.*

Ei hercle ego verbo lumbos defractos velim,
Ni vere peieret, si coenassit domi.
Haec verba subigunt me, uti mores barbaros
Discam ac praeconis ut faciam compendium,
Itaque auctionem praedicem, ipse ut veneam.
Cr. Hic ille est parasitus, quem arcessitum missa sum.
Quae loquitur, auscultabo, priusquam conloquar.
Ge. Sed curiosi sunt hic quam plures mali,
Alienas res qui curant studio maxumo,
Quibus ipsis nulla est res, quam procurent, sua.
Ei quando quem auctionem facturum sciunt:
Adeunt, perquirunt, quid siet causae, eloco:
Alienum aes cogat, an pararit prandium;
Uxorin' sit reddenda dos divortio.
Eos omnes tametsi hercle haud indignos iudico,
Qui, ut multum miseri sint, laborent: nil moror:
Dicam (auctionis causam ut animo gaudeant:
Nam curiosus nemo est, quin sit malevolus),
Ipsus ego quamobrem auctionem praedicem.
Damna evenerunt maxuma misero mihi:
Ita me mancupia miserum adfecerunt male —
Potationes plurimae demortuae.
Quot adeo coenae, quas deflevi mortuas!
Quot potiones mulsi! quot autem prandia,
Quae inter continuom perdidi triennium!
Prae moerore adeo miser atque aegritudine
Consenui; pene sum famed ecmortuos.
Cr. Ridiculus aeque nullus est, quando esurit.
Ge. Nunc auctionem facere decretum est mihi:
Foras necessum est, quidquid habeo, vendere.
Adeste, sultis! praeda erit praesentium.
Logos ridiculos vendo. Age, licemini.
Qui coena poscit? ecqui poscit prandio?
Hercules te amabit prandio, coena, cibo.
Ehem, adnuistin'? Nemo meliores dabit;
Nulli meliores esse parasito sinam.
Vel unctiones graecas sudatorias
Vendo, vel alias malacas crapularias;
Cavillationes; adsentatiunculas
Ac periuratiunculas parasiticas;
Robiginosam strigilem; ampullam, rubidam;

172. *peieret*. Libri: *perlerit*, *pleuerit*, *perierit*. 189. Pal.: *Ipse ego*, sed Mediol. a. 1500: *Ipsus*. V.: *Ipse egomet*. 193. V.: *mortuae*. 202. Sic MSS. V.: *Agite*. 204. *cibo*. V.: *tibi*. 208. *Vendo* accessit ex cod. Ambros. 206. V. *Nullis m. e. parasitos es*. Correxit Douza fil.

Parasitum inanem, quo recondas reliquias.
Haec veniisse iam opus est, quantum potest:
Ut decumam partem Herculi polluceam.
Cr. Ecastor auctionem haud magni preti!
Adhaesit homini ad infumum ventrem fames.
Adibo hominem. Ge. Quis haec est, quae advorsum it mihi.
Epignomi ancilla haec quidem est Crocotium.
Cr. Gelasime, salve. Ge. Non id est nomen mihi.
Cr. Certo mecastor id fuit nomen tibi.
Ge. Fuit disertim; verum id usu perdidi;
Nunc Miccotrogus nomine ex vero vocor.
Cr. Ecastor, risi te hodie. Ge. Quando aut quo in loco?
Cr. Hic, quom auctionem praedicabas. Ge. Pessuma!
Eho, ne audivisti? Cr. Te quidem dignissumam.
Ge. Quo nunc is? Cr. Ad te. Ge. Quid venis? Cr. Panegyris
Rogare iussit ted, ut opere maxumo
Mecum simitu tute ires ad sese domum.
Ge. Ego illo mehercle vero eo, quantum potest.
Iamne exta cocta sunt? quot agnis fecerat?
Cr. Illa quidem nullum sacruficavit. Ge. Quomodo?
Quid igitur me volt? Cr. Tritici modios decem
Rogare, opinor, te volt. Ge. Mene? ab se ut petam?
Cr. Imo hercle, ut abs te mutuom nobis duis.
Ge. Nega esse, quod dem, nunc mihi nec mutuom
Neque aliud quidquam, nisi, quod habeo, hoc pallium;
Linguam quoque etiam vendidi d atariam
Cr. Hau, nulla tibi lingua est, quae quidem dicat Dabo?
Ge. Veterem reliqui; eccillam, quae dicat Cedo.
Cr. Malum tibi di dent! Ge. Haec eadem dicit tibi.
Cr. Quid nunc? iturus, an non? Ge. Abi sane domum:
Iam illo venturum dicito. Propera atque abi.
Demiror, quid illaec me ad se arcessi iusserit,
Quae nunquam iussit me ad se arcessi ante hunc diem,
Postquam vir abiit eius. Miror, quid siet;
Nisi, ut periclum fiat, visam, quid velit.
Sed eccum Pinacium, eius puerum! Hoc vide!

213. V.: *vaenisse* vel *venisse*. 223. V.: *Heu ecastor risi te hod. mulium.* Ge. *Quando* etc. Pal. *Ey. ecast.* 225. V. *Ehon' audivisti?* Cf. Aul. prol. 39 et in eam fabulam Guilielmii Quaest. cap. 1. 227. V.: *R. i. te op. max. Mec. sim. ut ires ad s. d.* 235. V.: *Negato e., q. d., nec mu, nec mut.* MSS. et vett. edd.: *N. e. q. d. nec mihi nec mut.* Compendium verbi *nunc* saepius fefellit. 237. V.: *L. q. etiam venditariam.* Vet. cod. Camerar.: *L. q. et vendiditariam.* 239. V.: *eccam illam.* 247. V.: *Dinacium*, sed vet. cod. Camer.: *piacium*, et alibi in hac fabula *pinacium*, uti et Decurt. 311. Alterum non convenit metro versus 313.

Satin' ut facete atque ex pictura adstitit?
Nae iste edepol vinum poculo pauxillulo
Saepe exantlavit submerum scitissume!

PINACIUM. GELASIMUS.

P. Mercurius, Iovis qui perhibetur nuntius, nunquam aeque suo patri t. t. II, 2.
Nuntium lepidum attulit, quam ego nunc meae herae nuntiabo;
Itaque onustum pectus porto laetitia lubentiaque,
Neque lubet, nisi gloriose, quidquam proloqui. Profecto
Amoenitates omnium venerum et venustatum adfero, i. t.
Ripasque superat mi atque abundat pectus laetitia meum!
Nunc tibi potestas adipiscendi est gloriam, laudem, decus:
Propterea, Pinacium, pedes hortare! honesta dicta factis, i.t.h.
Heraeque egenti subveni benefacta maiorum tuorum,
Quae misera est exspectatione Epignomi adventus viri! i. t.
Proinde, ut decet, virum amat suom cupide: nunc, Pinacium, expedi!
Age, ut placet! curre, ut lubet! cave quemquam floccifeceris!
Cubitis depulsa de via! tranquillam concinna viam!
Si rex obstabit obviam: regem ipsum prius pervortito!
Ge. Quidnam dicam Pinacium lascivibundum tam lubenter t. t.
Currere? Arundinem fert, sportulam, hamulum piscarium. t. t. c.
P. Sed tandem, opinor, aequiust, heram mihi esse supplicem, atque i. t. h.
Oratores mittere ad me donaque ex auro et quadrigas. t. t.
Qui vehar: nam pedibus ire non queo. Ergo iam revortar:
Ad med iri et supplicari egomet mi aequom censeo.— t.t.c.
At vero nugas censeas nihili esse, quod ego nunc scio. — i. t.
Tantum a portu adporto bonum, tam gaudium grande adfero:
Vix ipsa domina hoc, nisi sciat, exoptare a dis audeat.
Nunc ultro hoc deportem? Haud placet, neque id viri officium arbitror;

250. V.: *exanclavit.* 255. Ita Pal. et vett. edd. V.: *venerum atque ven.* 256. V.: *Ripisque.* Corr. Lamb. 257. vulgo post sequentem inculcatus legitur, divulsis sententiis. 259. V. invitis MSS.: — *tuorum exauge*, quod verbum petiisse videntur ex versu 281. 266. V.: *sportulamque et ham. pist.* 271. V.: *An vero n. c., nihil esse* etc. 274. *viri.* Sic Guil. Quaest. cap. 2, adstipulante Acidalio. V.: *vero.*

Hoc, hoc videtur mihi magis meo convenire huic nuntio,
Advorsum ut veniat, obsecret, se ut nuntio hoc inpertiam.
Superbiae secundas fortunas decent. i. s.
Sed tandem, quom recogito, qui potuit scire, haec scire me? i. t.
Non enim possum quin revortar, quin loquar, quin edissertem, t. t.
Heramque ex moerore eximam, benefacta maiorum meum i. t.
Exaugeam atque illam augeam insperato, opportuno bono. i. t.
Contundam facta Talthybi contemnamque omnis nuntios:
Simulque ad cursuram meditabor me ad ludos Olympiae.
Sed spatium hoc (occidi!) breve est curriculo. Quam me poenitet!
Quid hoc? Obclusam ianuam video. Ibo et pultabo foris.
Aperite atque adproperate! fores facite ut pateant! removete moram! a. t.
Nimis haec res sine cura geritur: vide, quamdudum hic adsto et pulto! t. t.
Somnon' operam datis? Experiar, an cubiti an pedes plus valeant.
Nimis vellem hae fores fugissent herum: ea causa malum ut haberent.
Defessus sum pultando: an.
Hoc est postremum vobis!
Ge. Ibo atque hunc conpellabo.
Salvos sis. P. Et tu salve.
Ge. Iam tu piscator factus?
P. Quampridem non edisti?
Ge. Unde is? quid fers? quid festinas? P. Tua quod nil refert, ne cures. t. t.
Ge. Quid istic est? P. Quas tu vides colubras? i. tr. c.
Ge. Quid tam iracundus? P. Si in te an.
Pudor adsit: non me adpelles.
Ge. Possum scire ex te verum?
P. Potes: hodie non coenabis.

PANEGYRIS. GELASIMUS. PINACIUM.

Pa. Quisnam, obsecro, has frangit foris, ubi est? i. tr. br. II, 3.

275. V.: *Hic hoc vid.* 281. Sic Acid. secundum Guil. Verisimm. 1, 24. V.: *— augeam ex insp. opp. modo.* 284. V.: *S. sp. hoc occidit; breve est* etc. Correxit Acid. 297. V.: *Quid istic inest?* Vett.: *Quid istinc est?*

Tun' haec facis? tun' mi hostis huc venis?
Ge. Salve. Tuo arcessitu venio huc. Pa. Ean' gratia foris ecfringis? as. t. d. i. d. h.
Ge. Tuos inclama: tui delinquont. Ego, quid me velles, visebam. t. t.
Nam equidem harum miserebat. P. Ergo auxilium propere latum est. as. t. d. i. d. c.
Pa. Quisnam hic loquitur tam prope nos? P. Pinacium. Pa. Ubi is est? as. 2 t. d. br.
P. Respice me et relinque egentem parasitum, Panegyris. t. t. c.
Pa. Pinacium.... P. Istuc indidere nomen maiores mihi.
Pa. Quid agis? P. Quid agam, rogitas? Pa. Quidni rogitem? P. Quid mecum est tibi?
Pa. Mein' fastidis, propudiose? Eloquere propere, Pinacium!
P. Iube me omittere igitur hos, qui retinent. Pa. Qui retinent? P. Rogas?
Omnia membra lassitudo mihi tenet.... Pa. Linguam quidem
Sat scio tibi non tenere. P. Ita celeri curriculo fui
Propere a portu, honoris causa tui. Pa. Ecquid adportas boni?
P. Nimium. Pa. Inparti. P. Multo tanto plus, quam speras. Pa. Salva sum!
P. At ego perii, quoi medullam lassitudo perbibit!
Ge. Quid ego, quoi misero medullam ventris percepit fames?
Pa. Ecquem convenisti? P. Multos. Pa. At virum ecquem? P. Plurimos;
Verum ex multis nequiorem nullum, quam hic est. Ge. Quomodo?
Iamdudum patior ego istum dicere iniuste mihi.
Praeterhac si me inritassis...! P. Edepol esuries male.
Ge. Animum inducam, ut, istuc verum te locutum esse, arbitrer.
P. Munditias volo fieri: ecferte huc scopas simulque arundinem:
Ut operam omnem araneorum perdam et texturam inprobem,
Deiiciamque eorum omnis telas. Ge. Miserae algebunt postea.
P. Quid? illas itidem censes esse, quasi te, cum veste unica? i. t.

316. V.: DIN. (vid. not. ad 247.) *Nimio impertior multo tanta plus, quam speras.* Pal.: *inparti.* Brix. Iunt. Ald.: *tanto.* 323. V.: *elocutum.* 325. Sic vett. V.: *aranearum.* Sequente versu *omnes: earum.*

Cape illas scopas! Ge. Capiam. P. Hoc egomet, tu hoc converre! Ge. Fecero.
P. Ecquis huc ecfert nasiternam cum aqua? Ge. Sine suffragio t. t. c.
Populi tamen aedilitatem hic quidem gerit. P. Age tu, ocius
Pinge humum! consperge ante aedis! Ge. Faciam. P. Factum oportuit.
Ego hinc araneas de foribus deiiciam et de pariete. i. t.
Ge. Edepol rem negotiosam! Pa. Quid sit, nil etiam scio, t.t.c.
Nisi forte hospites venturi si sunt. P. Lectos sternite!
Ge. Principium placet de lectis. P. Alii ligna caedite;
Alii piscis depurgate, quos piscator attulit!
Pernam et glandium deiicite! Ge. Hic hercle homo nimium sapit.
Pa. Non ecastor, ut ego opinor, satis herae morem geris.
P. Imo res omnis relictas habeo prae, quod tu velis.
Pa. Tum tu igitur, qua causa missus es ad portum, mi expedi.
P. Dicam. Postquam me misisti ad portum cum luci simul:
Commodum radiosus ecce sol superabat ex mari.
Dum percontor portitores, ecquae navis venerit
Ex Asia, et negant venisse: conspicatus sum interim
Cercurum ego, quo me maiorem non vidisse censeo.
In portum vento secundo, velo passo, pervenit.
Alius alium percontamur: quoia est navis? quid vehit?
Interim Epignomum conspicio, tuom virum, et servom Stichum.
Pa. Hem, quid? Epignomum elocutus? Ge. Tuom virum et vitam meam!
P. Venit, inquam. Pa. Tun' eum ipsum vidisti? P. Ita: ego, ac lubens.
Argentique aurique advexit multum . . . . Pa. Nimis factum bene!
Ge. Hercle vero capiam scopas atque hoc converram lubens.
P. Lanam purpuramque multam.... Ge. Hem, qui ventrem vestiam!
P. Lectos eburatos, auratos . . . . Ge. Adcubabo regie!
P. Tum Babylonica peristromata, conchyliata tapetia.
Nimium advexit bonae rei. Ge. Hercle rem gestam bene!
P. Post, ut occepi narrare, fidicinas, tibicinas,
Sambucas advexit secum forma eximia. Ge. Eugepae!
Quando adbibero: adludiabo. Tum sum ridiculissumus.

358. Sic vett. V.: *Sambucinas.*

P. Posthac unguenta multigenera multa. Ge. Non vendo logos i. t.
Iam; iam non facio auctionem: mi obtigit hereditas. t. t. c.
Malevoli perquisitores auctionum perierint!
Hercules, decumam esse adauctam, tibi quam vovi, gratulor.
P. Post autem advexit secum parasitos.... Ge. Heu, perii miser!
P. Ridiculissumos. Ge. Reverram hercle hoc, quod converri modo.
Sunt logi venales illi, quos negabam vendere,
Eloco, et meo malo est quod malevolentes gaudeant.
Hercule, sane, qui deus sis, discessisses non male!
Pa. Vidistin' virum sororis, Pamphilippum? P. Non. Pa. Adest?
P. Imo aiebat eum venisse simitu; sed ego citius huc
Praecucurri: ut nuntiarem nuntium exoptabilem.
Pa. I intro, Pinacium: iube famulos rem divinam mi adparent. —
Bene vale. Ge. Vin' administrem? Pa. Sat servorum habeo domi.
Ge. Enimvero, Gelasime, opinor, provenisti futile,
Si neque ille adest, neque hic, qui venit, quidquam subvenit.
Ibo intro ad libros et discam de dictis melioribus:
Nam ni illos homines expello, ego occidi planissume.

EPIGNOMUS. STICHUS.

E. Quom bene re gesta salvos convortor domum: i. s. III, 1.
Neptuno gratis habeo et Tempestatibus;
Simul Mercurio, qui me in mercimoniis
Iuvit lucrisque quadruplicavit rem meam.
Olim quos abiens adfeci aegrimonia,
Eos laetantis nunc faciam adventu meo:

360. V.: *Postea u. multigenerum multa.* Vett., in his Pal.: *Post haec.* Post 363 haec habet cod. Ambros.:
. . . . , *est tandem aliquando inportunam exigere.*
Fortasse:
Pinac. Sine, sis, me . . . . Pan. Quid *est?* Pinac. *Tandem aliquando inportunum exigere* hunc abs te. t. t.
365. V. nullis numeris: *Ridiculosissimos.* Dudum Acid. correxerat. Cf. vel 359. 366 — 368. vulgo post 371 positi leguntur, cum satis appareat, 365 cum 3 sequentibus uno tenore dici. 363. V. *Hercules.* 370. V. *simul* pro *simitu* legitur, et *citus. Citius* edd. nonnullae vett., in his Sarracenia a. 1499. 372. V.: *I, i intro.* Pal.: *Panacium.*

Nam iam Antiphonem conveni adfinem meum,
Cumque eo reveni ex inimicitia in gratiam.
Videte, quaeso, quid potest pecunia!
Quoniam redisse bene re gesta me videt
Magnasque adportavisse divitias domum:
Sine advocatis ibidem in cercuro, in stega,
In amicitiam atque in gratiam convortimus,
Et hic hodie apud me cōenat et frater meus;
Nam heri ambo in uno portu fuimus; sed mea
Hodie soluta est navis aliquanto prius.
Age, duc has intro, quas mecum adduxi, Stiche.
St. Here, si ego taceam, seu loquar: scio, scire te,
Quam multas tecum miserias multaverim;
Nunc hunc diem unum ex multis illis miseriis
Volo me eleutheriam capere advenientem dōmum.
E. Et ius et aequom postulas: sumas, Stiche,
In hunc diem; te nil moror; abi, quo lubet.
Cadum tibi veteris vini propino. St. Papae,
Ducam hodie amicam! E. Vel decem, dum de tuo.
Ubi coenas hodie, sid hanc rationem institas?
St. Amicam ego habeo Stephanium hinc e proxumo,
Tui fratris ancillam; eae condixi in symbolam
Ad coenam ad eius conservom Sagarinum Syrum.
Eadem est amica ambobus; rivales sumus.
E. Age, abduc eas intro. Hunc tibi dedo diem.
St. Meam culpam habeto, nisi perexcruciavero.
Iam hercle ego per hortum ad amicam transibo meam,
Mi hanc occupatum noctem; eadem symbolam
Dabo et iubebo ad Sagarinum coenam coqui,
Aut egomet ibo atque obsonabo obsonium.
Atque, id ne vos miremini, homines servolos
Potare amare atque ad coenam condicere:
Licet hoc Athenis nobis. Sed, quom cogito:
Quamde in dividiam veniam, est etiam hic ostium

387. Vett.: *bene re gesta.* V.: *re b. g.* 394. V.: *abduc*, frustra quidem asperato versu. 395. Sic Pal. et MSS. V.: *sive ego tac.* 396. MSS.: *mulcaverim.* 397. Sic Pal. V.: *ex illis multis.* 403. V. *si*, hiante versu. 405. V.: *eo.* Post 413 versum 5 alios habet codex Ambros., sed vix legendos, hoc modo:

1. . . . .
2. . . . . *nam meae*
3. *At* . . . . . *ego cum ven* . . . . .
4. *Dari ut eum verberabundum adducam domum.*
5. *Parata* . . . *faciam ut sit egomet* . . . *moror*

Atque id etc.

417. V.: *Potius quam in div.*

Aliud posticum nostrarum harumce aedium, et
Posticam partem magis utuntur aedium;
Ea ibo obsonatum, eadem referam obsonium
Per hortum: utroque conmeatus continet.
Ite hac secundum, vos, me. Ego hunc lacero diem!

GELASIMUS. EPIGNOMUS.

Ge. Libros inspexi: tam confido, quam potest, i. s. III, 2.
Me meum obtenturum regem ridiculis meis.
Nunc interviso, iamne a portu advenerit:
Ut eum advenientem dictis meis deleniam.
E. Hic quidem Gelasimus est parasitus, qui venit.
Ge. Auspiciod hodie optumo exivi foras:
Mustela murem abstulit praeter pedes.
Quom strenad obscaecavit: spectatum hoc mihi est.
Nam ut illa vitam reperit hodie sibi,
Item me spero facturum. Augurium haec facit.
Epignomus hic quidem est, qui adstat: ibo atque adloquar.
Epignome, ut ego te nunc conspicio lubens!
Ut prae laetitia lacrumae prosiliunt mihi!
Valuistin' usque? E. Sustentatum est sedulo.
Ge. Bene atque amice dicis. E. Di dent, quae velis.
Ge. Propino tibi salutem plenis faucibus.
— Coenem illi apud te, — quoniam salvos advenis.
E. Vocata est opera nunc quidem; tam gratia est.
Ge. Promitte. E. Certum est. Ge. Sic fac, inquam. E. Certa rest.
Ge. Lubente me hercle facies. E. Idem ego istuc scio.
Quando usus veniet: fiet. Ge. Nunc ergo usus est.
E. Non edepol possum. Ge. Quid gravare? Censeas:
Nescio quid vero habeo in mundo. E. I modo;
Alium convivam quaerito tibi in hunc diem.
Ge. Quin tu promittis? E. Non graver, si possiem.
Ge. Unum quidem hercle certum promitto tibi:
Lubens accipiam certo, si promiseris.
E. Valeas. Ge. Certumne est? E. Certum: coenabo domi.

426. V.: *deliniam*. 435. V.: *praesiliunt*. 437. Verba *Di dent, quae velis*, Gelasimo tribuuntur in vulgatis, contra usum quidem in hoc genere formularum. 439. *Coenem illi apud te.* Sic MSS. Dicit haec parasitus submissa voce, ne audiantur ab Epignomo, qui vocatum se ad coenam putat apud parasitum. Vulgo obtinuit glossema *Coenabis apud me.* 440. Cod. Ambros.: *Locata.* 444. Sic vett., in his Pal. Vulgo, secundum Acid.: *Censeo Eas: nescio* etc.

GE. Quandoquidem tu ad me non vis promittere:
Vin' ad te ad coenam veniam? E. Si possim: velim;
Verum hic apud me coenant alieni novem.
GE. Haud postulo equidem med in lecto adcumbere.
Scis tu, med esse imi subselli virum.
E. At ii oratores sunt popli, summi viri;
Ambracia veniunt huc legati publice.
GE. Ergo oratores populi, summates viri,
Adcumbent summi; ego infimatis infimus.
E. Haud aequom est, te inter oratores accipi.
GE. Equidem hercle orator sum; sed procedit parum.
E. Cras de reliquiis nos volo. Multum vale.
GE. Perii hercle vero plane, nihil obnoxie!
Uno Gelasimo minus est, quam dudum fuit.
Certum est mustelae posthac nunquam credere:
Nam incertiorem nullam novi bestiam.
Quaene ipsa decies in die mutat locum,
Eam auspicavi ego in re capitali mea?
Certum est amicos convocare: ut consulam,
Qua lege nunc me — esurire oporteat.

ANTIPHO. PAMPHILIPPUS. EPIGNOMUS.

AN. Ita me di bene ament measque mihi bene servassint filias, t. t. c. IV, 1.
Ut mihi volupe est, Pamphilippe, quia vos in patriam domum
Rediisse ambos bene re gesta video, te et fratrem tuom.
PAM. Satis abs te accipiam, nisi videam mihi te amicum esse, Antipho;
Nunc, quia te mi amicum experior esse, credetur tibi.
AN. Vocem ego te ad me ad coenam, frater tuos nisi dixisset mihi,
Te apud se coenaturum hodie, cum me ad se ad coenam vocat;
Et mage par fuerat, me vobis dare coenam advenientibus,

451. Vett.: *Q. tuam non v. p.* V. secundum Iunt. Ald.: *Q. operam t. n. v. p.* 451, 452. Hos inter versus A. Maius haec reperit in cod. Ambros.:
Sed quoniam nihil processit, at ego ha (*ud* Mai.) *ero.*
Apertiorem (Mai.: *aget*) *vix ita plane loquar.*
Fort.: — — — — — *domi.*
GELAS. *Sic quoniam nil processit, atque ego haereo:*
Apertiore, age, vis via et plane loquar?
Quandoquidem etc.
467. V.: *quae ne et ipsa* (Pal.: *quę netipsa*) etc. 475. V.: *creditur.*
477. V.: *coen. esse.*

Quam promittere med ad illum, nisi nollem advorsarier.
Nunc, me gratiam abs te inire verbis, nil desidero;
Cras apud me eritis, et tu et ille, cum vostris uxoribus.
PAM. Et apud me perendie: nam ille heri in hunc iam vocaverat
Me diem. Sed satin' ego tecum pacificatus sum, Antipho?
AN. Quando ita rem gessistis, uti vos vellem amicosque addecet:
Pax commerciumque est mecum: nam hoc tu facito cogites:
Ut quoique homini res paratae, amici sunt; lassae labant?
Itidem amici conlabascunt. Res amicos invenit.
E. Iam redeo. Nimia est voluptas, si diu abfueris, domum
Si redieris, si tibi nulla est aegritudo animo obviam.
Nam ita me absente familiarem rem uxor curavit meam,
Omnium exilem atque inanem fecit me aegritudinum.
Sed eccum fratrem Pamphilippum, incedit cum socero suo. i. t.
PAM. Quid agitur, Epignome? E. Quid tu? quamdudum a portu venis t. t. c.
Huc? PAM. Longissume. E. Postilla iam iste est tranquillus tibi?
AN. Magis quam mare, quo ambo estis vecti. E. Facis, ut alias res soles.
Hodiene exoneramus navem, frater? PAM. Clementer volo.
Nosmet potius nos vicissatim oneremus voluptatibus.
Quam mox cocta est coena? Inpransus ego sum. E. Abi intro ad me et lava.
PAM. Deos salutatum atque uxorem modo intro devortor domum.
E. Apud nos, eccillam, festinat cum sorore uxor tua.
PAM. Optumum est: iam istoc morae minus erit. E. Iam ego apud te ero.
AN. Priusquam abis, praesente ted huic apologum agere unum volo.
E. Maxume. AN. Fuit olim, quasi ego sum, senex; ei filiae

479. V.: *nollem ei adv.* 484. V.: *amicos atque addecet.* Non semel sic erratum est in libris. 485. V.: *P. c. est vobis mecum.* 486. Libri versu ὑπερμέτρῳ: *Ut cuique h. res parata est, firmi amici sunt: si res lassa labat* (Pal. et vett. edd.: *lassae labant*) etc. 488. V.: *si diu abf. a domo, Domum si red.*, ut emendata non emendatis adscribere solent librarii. 493. V.: *in portum.* Cf. 392, 425. 497. V.: *Nosmet pot. oneremus viciss. volupt.* Sed vett., in his Pal.: *N. pot. on. nosmet v. v.* 500. V.: *eccilla*, hiante versu. Cf. 492, Poen. 75, etc.

Duae erant, quasi nunc meae sunt; eae erant duobus nuptae fratribus,
Quasi nunc meae sunt vobis. **Pam.** Miror, quo evasurust apologus.
An. Erat minori illi adulescenti fidicina et tibicina; i. t.
Peregre advexerat, quasi nunc tu. Sed ille erat coelebs senex, t. t. c.
Quasi ego nunc sum. **Pam.** Perge porro. Praesens hic quidem apologust.
An. Dein senex ille illi dixit, quoius erat tibicina,
Quasi ego nunc tibi dico. **Pam.** Ausculto atque animum advorto sedulo.
An. „Ego tibi meam filiam, bene quicum cubitares, dedi:
„Nunc mihi reddi ego aequom esse abs te, quicum cubitem, censeo."
Pam. Quis istuc dicit? an ille quasi tu? **An.** Quasi ego nunc dico tibi. i. t.
„Imo duas dabo," inquit ille adulescens, „una si parum est; t. t. c.
„Et si duarum poenitebit," inquit, „addentur duae."
Pam. Quis istuc, quaeso? an ille quasi ego? **An.** Is ipse quasi tu. Tum senex i. t.
Ille, quasi ego: „Si vis," inquit, „quatuor sane dato, t. t. c.
„Dum equidem hercle, quod edant, addas: meum ne contruncent cibum."
Pam. Videlicet senem fuisse parcum illunc, qui dixerit;
Quoniam ille illi pollicetur, qui im cibum poposcerit.
An. Videlicet fuisse illum nequam adulescentem, qui eloco,
Ille ubi poscit, denegavit, dare se granum tritici.
Quin hercle aequom postulabat ille senex, quandoquidem
Filiae ille dederat dotem, accipere pro tibicina.
Pam. Hercle illic quidem certo adulescens docte vorsutus fuit,
Qui seni illi concubinam dare dotatam noluit.
An. Senex quidem voluit, si posset, indipisci de cibo; i. t.
Quia nequit: qua lege licuit, velle dixit fieri. t. t. c.
„Fiat," ille inquit adulescens. — „Facis benigne," inquit senex.
„Habeon' rem pactam?" inquit. — „Faciam ita," inquit, „ut fieri voles."

506. *Erat* vet. cod. Camerar. Decurt.: *aere*. An *Esse*. 508. Pal.: *Perge, obsecro. Praesens* etc. 516. *Tum* non legitur in MSS. 519. Fort.: *Vid. parcum fuisse senicem ill., q. d.* Cf. Clitell. fragm. 21. Lipsii Antiqu. Lectt. 1, 19. 520. V. dura contractione: *qui eum*. 522. Sic Pal. V.: *se dare*. 523. V.: *Hercle quia aequ*. Emend. Acid. 530. Id haud nolebat Acid. V.: *factam*.

Sed ego ibo intro et gratulabor vostrum adventum filiis;
Post lautum ibo in pyelum (ibi fovebo senectutem meam);
Post, ubi lavero, otiosus vos operiar adcubans —
Pam. Graphicum mortalem Antiphonem! ut apologum fecit! quam fabre!
Etiam nunc scelestus sese ducit pro adulescentulo!
Dabitur homini amica, noctu quae in lecto occentet senem:
Namque edepol aliud quidem illi quid amica opus sit, nescio.
Sed quid agit parasitus noster Gelasimus? etiam valet?
E. Vidi edepol hominem haud perdudum. Pam. Quid agit? E. Quod famelicus.
Pam. Quin vocavisti hominem ad coenam? E. Adveniens ne quid perderem.
Atque eccum tibi lupum in sermone! praesens esuriens adest. i. t.
Pam. Ludificemur hominem. E. Capti consili memorem mones. t. t. c.

GELASIMUS. PAMPHILIPPUS. EPIGNOMUS.

Ge. Sed (id, quod occepi narrare vobis) quom hic non adfui, t. t. c. IV, 2.
Cum amicis deliberavi iam et cum cognatis meis:
Ita mi auctores fuere, ut egomet me hodie iugularem fame.
Sed videon' ego Pamphilippum cum fratre Epignomo? Atque is est.
Adgrediar hominem. Sperate Pamphilippe, o spes mea,
O mea vita, o mea voluptas, salve! Salvom gaudeo
Peregre te in patriam redisse salvo. Pam. Salve, Gelasime.
Ge. Valuistin' bene? Pam. Sustentavi sedulo. Ge. Edepol gaudeo.
Edepol nae egomet modium mihi nunc mille esse argenti velim!
E. Quid eo tibi opust? Ge. Hunc ad coenam hercle ut vocem, te non vocem.
E. Ted advorsum fabulare illuc quidem. Ge. Ambos ut vocem.

532. V.: *P. ibo lavatum in Pilum. Pyelum*, πυελὸν, est, a Lambino. 535. V.: *Ut* (vet. cod. Camer. *it*, Decurt. et vett. edd. *id*) *iam nunc scel. esse d. p. a. Sese* posuit Douza Centur. p. 528. Acidalii commentum hoc *Ut etiam nunc* etc. ἄμετρον est. 536. Ita Pistoris. V.: *q. in l. accendet s.* 539. V.: *vocasti.* 543. Soloece libri: *S. ita, quod occoepi* etc. 547. Fort.: *Spectate.* 548. Pessime legitur: *Saluom gaudeo Peregre te in patriam redisse saluom.* 553. V. pravis numeris: *Advorsum te.* Cf. Bacch. 95, Pers. 198, Poen. 269.

E. Edepol te vocem lubenter, si superfiat locus.
Ge. Quin tu? stans obstrusero aliquid strenue. E. Imo unum hoc potest.
Ge. Quid? E. Ubi convivae abierint: tum venias . . . . Ge. Vae aetati tuae!
E. Una lautum, non ad coenam, dico. Ge. Di te perduint!
Quid ais, Pamphilippe? Pam. Ad coenam hercle alio promisi foras.
Ge. Quid? foras? Pam. Foras vero hercle. Ge. Qui, malum, tibi lasso lubet
Foris coenare? Pam. Utrum tu censes? Ge. Iube domi coenam coqui i. t.
Atque ad illunc renuntiari. Pam. Solus coenabo domi?
Ge. Non enim solus; me vocato. Pam. At ille ne suscenseat,
Mea qui causa sumtum fecit. Ge. Facile excusari potest.
Mihi modo ausculta; iube coenam domi coqui. E. Non me quidem
Faciet auctore, hodie ut illum decipiat. Ge. Non tu hinc abis?
Nisi me non perspicere censes, quid agas. Cave, sis, tu tibi:
Nam illic homo tuam hereditatem inhiat, quasi esuriens lupus.
Non tu scis, quamde ecflictentur homines noctu hic in via?
Pam Tanto pluris qui defendant, ire advorsum iussero.
Ge. Non i! non i! E. Quid tanto opere suades, ne bitat? Ge. Iube
Domi mihi tibi tuaeque uxori celeriter coenam coqui.
Si hercle faxis: non, opinor, dices, deceptum fore.
Pam. Per hanc tibi coenam incoenato, Gelasime, esse hodie licet. i. t.
Ge. Ibisne ad coenam foras? Pam. Apud fratrem coeno in proxumo. t. t. c.
Ge. Certumne est? Pam. Certum. Ge. Edepol te hodie lapide percussum velim!
Pam. Non metuo: transibo per hortum; non prodibo in publicum. i. t.
E. Quid agis, Gelasime? Ge. Oratores tu accipis; habeas tibi. t. t. c.
E. Tua pol refert. Ge. Enim, si quid mea refert, opéra utere;

555. Ita Boxhorn. interpunxit. V.: *Quin tu.* Fort.: *Quin tam* (h. e. tamen) *stans* etc. 563. Ita Pal. V.: *domi coenam.* 570. V.: Epign. *Non it, non it: quia t. o. s. ne ebitat* (Pal.: *ne e bitat*). 578. V.: *Tua pol refert enim.* Gel. *Si quidem mea ref.*

Posce. E. Edepol tibi, opinor, locum etiam uni conspicor, ubi
Adcubes .... PAM. Sane faciundum censeo. GE. O lux oppidi!
E. Si arte poteris adcubare. GE. Vel inter cuneos ferreos,
Tantulum loci, ubi catellus cubet, id mihi sat erit loci.
E. Exorabo aliquo modo: veni. GE. Huccine? E. Imo in carcerem:
Nam hic quidem meliorem Genium tuom non facies. — Eamus, tu.
PAM. Deos salutabo modo; post ad te continuo transeo.
GE. Quid igitur? E. Dixi equidem, in carcerem ires. GE. Quin si iusseris,
Eo quoque ibo. E. Di inmortales, hic quidem in summam crucem
Coena aut prandio perduci potis. GE. Ita ingenium est meum:
Quicumvis depugno multo facilius quam cum fame.
Non ergo isti apud te? E. Satis spectata est mihi iam tua facilitas: t. t.
Dum parasitus mi atque fratri fuisti, rem confregimus. t. t. c.
Nunc ego mihi nolo ted e Gelasimo Catagelasimum.
GE. Iamne abis tu? — Gelasime, vide, quid est capturus consili! —
Egone? — Tu nae. — Mihine? — Tibi nae. Vides, ut annona est gravis. i. t.
Vides, benignitates hominum ut periere et prothymiae.
Vides, ridiculos nihili fieri atque ipsos parasitarier. —
Nunquam edepol me vivom quisquam in crastinum inspiciet diem: t. t. c.
Nam mihi iam intus potione iuncea onerabo gulam,
Neque ego hoc conmittam, homines ut me mortuom dicant fame.

S T I C H U S.

More hoc fit atque stulte mea sententia: i. s. V, 1

579. Ita Palmer. V.: *Posse.* 582. V.: *Tantillum l. u. c. c., id m. sat est loci.* MSS.: *id m. saterest loci.* 582. V.: *postea.* 586. *si* recte additum a Paraeo. 588. V.: *potest.* 590. Sic MSS., nisi quod habent *ego* pro *ergo.* V.: PA. *N. ergo is tu? ap. me s. sp. est m. i. tua felicitas.* 593. V.: *I. abisti?* 594. V.: *E.? tune? m.? tibine?* 597. Sic vet. cod. Camerar. V.: *prospiciet.* 598 *iuncea.* Praeclara lectio codicis Ambrosiani et, nisi multum fallor, etiam Palatini libri. V.: *vincea*, lapsu proclivi. Iunco ad funes Graeci utebantur. Plin. H. N. 19, 2. etc.

Si quem hominem exspectant, eum solent provisere,
Qui hercle illa causa nihilo veniet ocius.
Idem ego nunc facio, qui proviso Sagarinum,
Qui nihilo veniet ocius tam hac gratia.
Iam hercle ego decumbam solus, si ille huc non venit,
Cadum modo hinc a me huc cum vino transferam;
Postilla adcumbam. Quasi nix, tabescit dies. —

SAGARINUS. STICHUS.

SA. Salvete, Athenae, quae nutrices Graeciae! i. s. V, 2.
Herilis terra patria, te video lubens!
Sed amica mea et conserva quid agat Stephanium,
Cura est; ut valeat. Nam Sticho mandaveram,
Salutem ut nuntiaret ei atque ut diceret,
Me hodie venturum, ut coenam coqueret temperi.
Sed Stichus est hic quidem. ST. Fecisti, here, facetias,
Cum hoc donavisti dono tuom servom Stichum.
Proh di inmortales, quot ego voluptates fero,
Quot risiones, quot iocos, quot savia,
Saltationes, blanditias, prothymias!
SA. Stiche, quid fit? ST. Hem! — Euge, Sagarine lepidissume!
Fero convivam Dionysum mihique et tibi:
Namque edepol coena dicta est; locus liber datust
Mihi et tibi apud vos: nam apud nos est convivium;
Ibi voster coenat cum uxore adeo et Antipho;
Ibidem herus est noster. Hoc mihi dono datum est.
SA. Quis summanavit aurum? ST. Quid id ad te attinet?
Proin' tu lavare propera. SA. Lautus sum. ST. Optume:
Sequere ergo med hac intro. SA. Ego vero sequor.
ST. Volo eluamus hodie. Peregrina omnia
Relinque: Athenas nunc colamus! Sequere me.
SA. Sequor et domum redeunti principium placet:
Bona scaeva strenaque obviam occessit mihi.

602. V.: *Q. h. i. c. nihil ocius venit.* 604. V.: *Q. nihil ocius venit tamen hac g.* Pal.: *veniet.* In vet. cod. Camerar. hoc fuisse dicitur, a manu 2: *Qui nihilo citius venit t. h. g.*, et sic ipse Camer. 607. V.: *Postea accumbam. quasi senex tab. d.* MSS.: *qua senex.* Cf. Merc. 202. 619. V.: SA. *Stiche.* ST. *hem.* SA. *quid fit?* 625. Ita Palmer. in Spicileg. Lampad. Gruter. 4. p. 881. et Meurs. Exercc. crit. 1. p. 234. V.: *somniavit.* 630. Sic Acid. V.: *redeundi.*

STEPHANIUM.

Mirum videri nemini vostrum volo, spectatores, i. t. c. V, 5.
Quid ego hinc, quae illic habito, exeam: faciam vos certiores.
Domo dudum huc arcessita sum: quoniam nuntiatum est,
Istarum venturos viros: ibi festinamus omnes,
Lectis sternendis studuimus munditiisque adparandis.
Inter illud tam negotium meis curavi amicis,
Sticho et conservo Sagarino meo, coena cocta ut esset.
Stichus obsonatust; ceterum ego curando id adlegavi.
Nunc ib'o hinc et amicos meos curabo hic advenientis.

SAGARINUS, STICHUS.

Sa. Agite, ite foras! a. V, 4.
Ferte pompam! Cado te praeficio, Stiche. c. t.
Omnimodis tentare certum est nostrum hodie convivium. t. t. c.
St. Ita me di ament, lepide accipimur, quom hoc recipimur in loco.
Quisquis praetereat, comissatum volo vocari. Sa. Convenit, i. t.
Dum quidem hercle quisque veniat cum suo vino: nam hinc quidem hodie t. t.
Pollucturae praeter nos iactura dabitur nemini. t. t. c.
Nosmet inter nos ministremus monotrophe. Hoc convivium est
Pro opibus nostris satis commodule nucibus, fabulis, ficulis,
Olea in tryblio, lupillis, comminuto crustulo.
Sat est! bas. i.
Servo homini modeste melius facere sumtum quam ampliter. t. t. c.
Suom quemque decet. a.
Quibus divitiae domi sunt, scaphio, cantharis, bibunt, batiolis; t. t.
At nos nostro Samiolo poterio tam vivimus,

643. *tentare.* Sic, vel *temptare*, quod idem est, libri vett., etiam Iunt. Ald. Pal.: *tempere.* Lipsium secuti dederunt *temperare.* V. quoque: *Omnibus modis.* Cf. Bacch. 350, Palmer. l. l. ad 625, pag. 706. 644. V.: *accipiemur, recipiamur.* Scripti: *accipiamur, recipiamur.* 648. Fort.: *monotrope*, μονοτρόπως, simpliciter, sumtu simplici. 650. Pal.: *Oleae interiplio lupillo.* (hoc habent etiam vett. edd.) V.: *lupilli.* 654. Pal.: *batiohis.* Alii MSS. et vett. edd.: *batiochis.* Fort.: *batiacis.* Ceterum legitur: *et cantharis.*

Nos tamen ecficimus pro opibus nostra moenia. i. s.
Amicae uter utrubi adcumbamus? St. Abi tu sane superior. i. t.
Atque adeo (ut tu scire possis, factum) ego tecum hoc divido: t. t. c.
Vide: utram tibi lubet etiamnum capere, cape provinciam.
Sa. Quid istuc est provinciae? St. Utrum Fontinali, an Libero, i. t.
Imperium te inhibere mavis? Sa. Nimio liquido Libero.
Sed amica mea et tua dum comit, dum sese exornat, nos tamen
Volo ludere inter nos. Strategum te facio huic convivio.
St. Nimium lepide in mentem venit. Potius in subsellio t. t. c.
Cynice accipimur, quamde in lectis? Sa. Imo enim hic mage dulciust.
Sed interim, stratege noster, cur hic cessat cantharus? i. t.
Vide, quot cyathos bibimus. St. Tot, quot digiti sunt tibi in manu. t. t. c.
Sa. Cantio est: *ἢ πέντε πῖν', ἢ πῖνε τρί', εἰ μὴ τέτταρα:*
Tibi propino decuma. Fontem tibi tute inde, si sapis.
Bene vos! bene nos! bene te! bene me! bene nostram etiam Stephanium!
St. Bibe, si bibis. Sa. Non mora erit apud me. St. Edepol convivi sat est;
Modo nostra huc amica accedat. Id abest; aliud nil abest.
Sa. Lepide hoc actum est. Tibi propino cantharum. Vinum tu habes;
Nimis vellem aliquid pulpamenti. St. Si horum, quae adsunt, poenitet,
Nihil est. Tene aquam. Sa. Melius dicis. Nil moror cupedia.
Bibe, tibicen! age, si quid agis! bibendum hercle hoc est! ne nega! as. t. d. i. d.
Quid hoc fastidis, quod faciundum vides tibi esse? quin bibis?
Age, si quid agis! accipe, inquam! non hoc inpendet publicum.
Haud tuom istuc est, vereri ted. Eripe ore tibias!
St. Ubi illic biberit: vel servato meum modum, vel tu dato: i. t.

662. V.: *dumque se exornat.* Pal.: *dum cenat dumque* etc. 665. Sic vett. V.: *accipiemur*, quae est interpretatio. 668. V.: *Cantio est graeca: ἢ πέντε πῖν', ἢ τρὶς πῖν', ἢ μὴ τέτταρα* Πῖνε τρί' ex Athenaeo sumsit Turneb. Adverss. 16, 11. 669. V.: *T. p. decuma fonte: tibi* etc. *Fontem*, aquam. 677. V.: *Quid hic fast.* 679. V.: *ex ore.*

Nolo ego nos pro summo bibere: nulli re erimus postea. t. t. c.
Namque edepol quamvis desubito vel cadus vorti potest.
SA. Quid igitur? Quamquam gravatus fuisti: non nocuit tamen.
Age, tibicen, quom bibisti, refer ad labia tibias!
Suffla celeriter tibi buccas, quasi proserpens bestia!
Agedum, Stiche: uter demutassit, poculo multabitur.
ST. Bonum ius dicis. Inpetrare oportet, qui aequom postulat. i. t.
SA. Age ergo, observa! Si peccassis: multam hic retinebo eloco.
ST. Optumum atque aequissumum oras. Hem tibi hoc primum omnium! t. t. c.
Haec facetia est, amare inter se rivalis duos,
Uno cantharo potare et unum scortum ducere.
Hoc memorabile est: ego tu sum, tu es ego; unanimi sumus;
Unam amicam amamus ambo; mecum ubi est, tecum est tamen;
Tecum ubi autem est, mecum ibidem est; neutri neuter invidet.
SA. Ohe, iam satis est! nolo obscaeves. Catuli ut ludunt, nunc volo.
Vin' amicam huc evocemus? Ea saltabit. ST. Censeo.
SA. Mea suavis, amoena, amabilis, ad tuos amores, Stephanium, i. t.
Foras egredere! satis mihi pulcra es. ST. At enim pulcerruma.
SA. Fac nos hilaros hilariores opera atque adventu tuo! t. t. c.
Peregre advenientes te expetimus, Stephaniscidium, mel meum, as. a. d. t. d. c.
Si amabilitas tibi nostra placet, si ambo accepti tibi sumus!

STEPHANIUM. SAGARINUS. STICHUS.

STE. Morem vobis geram, meae deliciae. Nam ita c. t. V. 1.
Me Venus amoena amet, c. d.
Ut ego iamdudum huc exissem simitu vobiscum foras, t. t. c.

681. Sic legendum secundum Brant. et Gruter. V.: *N. releri-mus post.* 684. V.: *quando bib.;* sed *quando* o porrectum habere solet. V. quoque secundum Non.: *labias*, ingratissimo ὁμοιοτελεύτῳ. Pal.: *labeas.* 686. Sic vet. cod. Camerar. V.: *quia aequ. p.* 694. V.: *mec. ibi autem est: neuter utri invidet.* 695. „*Nolo obscaeves* usitata formula est infausta deprecantium.“ Ita Pistoris, quem secutus sum h. l. V.: *N. obcaedes.* 698. Fort.: *At mihi pulcerruma.* 704. V.: *hic.*

Nisi me vobis exornarem: nam ita ingenium est muliebre:
Bene quom lauta, tersa, ornata, ficta est: inficta est tamen.
Nimioque sibi mulier meretrix reperit odium ocius
Sua inmunditia, quam in perpetuom ut placeat munditia sua.
SA. Nimium lepide fabulata est. ST. Veneris mera est oratio. —
Sagarine! SA. Quid est. SP. Totus doleo. SA. Totus? Tanto miserior.
STE. Utrubi adcumbo? SA. Utrubi tu vis? STE. Cum ambobus volo: nam ambos amo.
ST. Vapulat peculium! actum est! fugit hoc Libertas caput!
STE. Date mihi locum, ubi adcumbam, amabo, si quidem placeo. Tum ibi
Cupio cum utroque bene mihi esse. ST. Dispereo.... SA. Quid ais? STE. Quid ergo? t. t.
ST. Ita me di ment, nunquam enim fiet hodie, haec quin saltet tamen! — t. t. c.
Age, mulsa mea suavitudo, salta! saltabo ego simul.
SA. Nunquam edepol med istoc vinces, quin ego ibidem pruriam.
STE. Si quidem mihi saltandum est: tum vos date, bibat, tibicini.
ST. Et quidem nobis. SA. Tene, tibicen, primum; postideo loci,
Si hoc eduxeris, proinde, ut consuetus antehac, celeriter
Lepidam et suavem cantionem aliquam occipito cinaedicam,
Ubi perpruriscamus usque ex unguiculis. — Inde huc aquam. —
Tene tu hoc; educe. Dudum placuit potio: i. s.
Nunc minus gravate iam accipit. — Tene, tu. — Interim,
Meus oculus, da mihi savium, dum illic bibit,
Prostibuli est autem, stantem stanti savium
Dare amicum amicae! ST. Euge, euge! — Sic furi datur!
[Quid igitur? Quanquam gravatus: non nocuit tamen.]
SA. Age, iam infla buccas. ST. Nunc iam aliquid suaviter
Redde cantionem vino pro veteri novam.
SA. Qui Ionicus aut cinaedicus, qui hoc tale facere possiet? i. t.

706. V.: *infecta.* 713. *Tum ibi.* Libri: *tum mihi*; sed *mihi* sequitur. An uterque servus respondet mulieri: *Tu mihi* (places). 714. Ita legendum esse suspicabatur H. Stephanus. V.: *Quid ego?* 721. Sic Mediol. a. 1500. et ipse Taubm. V.: *cantationem.* 725. Sic vest. V. secundum Taubm.: *Dudum haud placuit potio.*

Si istoc me vorsu viceris: alio me provocato! i. t. c.
Fac tu hoc modo! St. At tu hoc modo! Sa. Babae! St. Tatae! Sa. Papae! St. Pax!
Sa. Nunc pariter ambo. Omnis voco cinaedos, contra stetìs!
Satis esse nobis non magis potis est quam fungo imber.
St. Intro hinc abeamus nunc ïam: saltatum satis pro vino est.
Vos, spectatores, plaudite atque ite ad vos comissatum.

733. sequ. V.: — *contra Satis, esse nobis non magis* etc. Pal. et vett.: *contra statis esse* etc.

TRINUMUS.

ARGUMENTUM.

Thesaurum abstrusum abiens peregre Charmides i. s.
Remque omnem amico Callicli mandat suo.
Istoc absente male rem perdit filius:
Nam et aedis vendit. Has mercatur Callicles.
Virgo indotata soror istius poscitur.
Minus quo cum invidia ei det dotem Callicles,
Mandat, qui dicat, aurum ferre se a patre.
Ut venit ad aedis: hunc deludit Charmides
Senex, ut rediit; quoius nubunt liberi.

Vers. 9. Pal.: *cuius nubunturire.* Vet. cod. Camerar.: *nubunt' eri.* Mediol. a. 1500.: *nubuntur.* Fort.: *cuius aere nubitur.*

DRAMATIS PERSONAE.

LUXURIA.
INOPIA.
MEGARONIDES.
CALLICLES.
LYSITELES.
PHILTO.
LESBONICUS.
STASIMUS.
CHARMIDES.
SYCOPHANTA.

PROLOGUS.

LUXURIA. INOPIA.

LUXURIA.

Sequere hac me, gnata: ut munus fungaris tuom.
IN. Sequor; sed finem fore quem dicam nescio.
LU. Adest: hem, illae sunt aedes! I intro nunc iam.
Nunc, ne quis erret vostrum, paucis in viam
Deducam, si quidem operam dare promittitis.
Nunc igitur primum, quae ego sim et quae illaec siet,
Huc quae abiit intro, dicam, si animum advortitis.
Primum mihi Plautus nomen Luxuriae indidit;
Tum illanc mihi gnatam esse voluit Inopiam.
Sed, ea quid huc introierit inpulsu meo,
Accipite et date vacivas auris, dum eloquor.
Adulescens quidam est, qui in hisce habitat aedibus;
Is rem paternam me adiutrice perdidit.
Quoniam ei, qui me alat, nil video esse reliqui:
Dedi meam gnatam, quicum aetatem exigat.
Sed, de argumento ne exspectetis fabulae,
Senes, qui huc venient, hi rem vobis aperient.
Huic nomen graece est Thesauro fabulae;
Philemo scripsit; Plautus vortit barbare,
Nomen Trinumo fecit. Nunc vos hoc rogat,
Ut liceat possidere hanc nomen fabulam.
Tantum est. Valete! adeste cum silentio!

MEGARONIDES.

Nae, amicum castigare ob merita, nunc male   i. s. I, 1.

V. 1. *Sequ. hac me, gnata.* Sic vett. edd. Nonii Libri Plautini: *Sequere me, mea gn.* 6. Ita vet. cod. Camerar. V.: *primum igitur.* 9. V.: *Tum hanc.* Cf. 6. 14. Minus recte libri: *aleret.*
Vers. 1. Pal.:

eamicum castigare ob merita non mala *noxia*
Inme neest facinus etc.

In vetere cod. Camerar. scriptum fuisse dicitur *meritam noxiam.* V.: *Nae am. cast. ob meritam noxiam Immune est fac.* Sed *noxia* vel *noxiam* glossema haud dubie est verbi *merita*, quod idem sonat. *Male*, valde, sed in re ingrata.

Inmoene est facinus, verum in aetate utile
Et conducibile. Nam ego amicum hodie meum
Concastigabo pro conmerita noxia
Invitus, ni id me invitet ut faciam fides.
Nam hic nimium morbus mores invasit bonos:
Ita plerique omnes iam sunt intermortui.
Sed, dum illi aegrotant, interim mores mali,
Quasi herba inrigua, subcrevere uberrume,
Neque quidquam hic vile nunc est, nisi mores mali;
Eorum licet iam messem metere maxumam;
Nimioque hic pluris pauciorum gratiam
Faciunt pars hominum, quam id, quod prosit pluribus.
Ita vincunt illud conducibile gratiae,
Quae in rebus multis obstant odiosaeque sunt
Remoramque faciunt rei privatae et publicae.

CALLICLES. MEGARONIDES.

CA. Larem corona nostrum decorari volo. i. s. I, 2.
Uxor, venerare: ut nobis haec habitatio
Bona fausta felix fortunataque evenat, —
Teque ut, quam primum possit, videam ecmortuam.
ME. Hic ille est, senecta aetate qui factust puer,
Qui admisit in se culpam castigabilem.
Adgrediar hominem. CA. Quoia vox prope me sonat?
ME. Tui benevolentis, sid ita es, ut ego volo;
Sin aliter es, inimici atque irati tibi.
CA. O amice, salve, atque aequalis! ut vales,
Megaronides? ME. Et tu edepol salve, Callicles.
Valen'? valuistin'? CA. Valeo et valui rectius.
ME. Quid agit tua uxor? ut valet? CA. Plus, quam ego volo.
ME. Bene hercle est, illam tibi valere et vivere.
CA. Credo hercle, te gaudere, si quid mihi mali est.
ME. Omnibus amicis, quod mihi est, cupio esse item.
CA. Eho, tua uxor quid agit? ME. Inmortalis est:
Vivit victuraque est. CA. Bene hercle nuntias,
Deosque oro, ut vitae tuae superstes suppetat.
ME. Dum quidem hercle tecum nupta sit: sane velim.
CA. Vin' conmutemus? tuam ego ducam et tu meam?
Faxo haud tantillum dederis verborum mihi.
ME. Enim tu, credo, mi inprudenti obrepseris.

9. G. Hermann.: *succrevere*. V.: *succreverunt*. 19. Ita Herm. V.: *eveniat*. 24. Libri: *si*. 30. Libri, in ordinem recepto glossemate: *bene valere*. 32. V.: *idem*. 39. Inepte libri: *Namque enim*. *Namque* est glossema elegantis verbi *Enim*.

Ca. Nae tu hercle faxo haud scies, quam rem egeris.
Me. Habeas, ut nactus: nota mala res optuma est:
Nam ego nunc si ignotam capiam, quid agam, nesciam.
Edepol proinde ut bene vivitur, diu vivitur.
Sed hoc animum advorte atque aufer ridicularia:
Nam ego dedita opera huc ad te advenio. Ca. Quid venis?
Me. Malis te ut verbis multis multum obiurgitem.
Ca. Men'? Me. Numquis est hic alius praeter me atque te?
Ca. Nemo est. Me. Quid igitur rogitas, tene obiurgitem,
Nisi tute mihi me censes dicturum male?
Nam si in te aegrotant artes antiquae tuae,
Sive inmutare vis ingenium moribus,
Aut si demutant mores ingenium tuom,
Neque eos antiquos servas, ast captas novos:
Omnibus amicis morbum tu incuties gravem,
Ut te videre audireque aegroti sient.
Ca. Qui in mentem venit tibi istaec dictá dicere?
Me. Quia omnis bonos bonasque adcurare addecet,
Suspicionem et culpam ut ab se segregent.
Ca. Non potis utrumque fieri. Me. Quapropter? Ca. Rogas?
Ne admittam culpam, ego meo sum promus pectori;
Suspicio est in pectore alieno sita.
Nam nunc ego si te subripuisse suspicer
Iovi coronam de capite e Capitolio,
Quod in culmine adstat summo; si id non feceris,
Atque id tamen mihi lubeat suspicarier:
Qui tu id prohibere me potes, ne suspicer?
Sed istuc negoti scire cupio, quidquid est.
Me. Haben' tu amicum aut familiarem quempiam,
Quoi pectus sapiat? Ca. Edepol (haud dicam dolo)
Sunt, quos scio esse amicos; sunt, quos suspicor;
Sunt, quorum ingenium atque animus non pote noscier,
Ad amici partem an ad inimici pervenat:
Sed tu ex amicis certis mi es certissimus.
Si quid scis me fecisse inscite aut inprobe:
Si id non me adcusas, tute obiurgandus. Me. Scio.
Et, si alia huc causa ad te adveni, aequom postulas.
Ca. Expecto, si quid dicas. Me. Primodum omnium
Male dictitatur tibi volgo in sermonibus:
Turpilucricupidum te vocant cives tui;

59. V.: *N. potest.* 71, 72. Libri ἀμέτρως: *S. q. ingenia a. animos non possum noscere, Ad am. p. an ad in. perveniant.* Vet. cod. Camerar.: *pervenat.* 75. *non me* Herm. V.: *Si id me non accusas, tute ipse obi. es.* Me. *scio.* 77. Sic alibi codd. V.: *Primumdum.*

Tum autem sunt alii, qui te volturium vocant:
Hostisne an civis comedis, parvi pendere.
Haec quom audio dici in ted: excrucior miser.
CA. Est atque non est mi in manu, Megaronides:
Quin dicant, non est; merito ut ne dicant, id est.
ME. Fuitne hic tibi amicus Charmides? CA. Est et fuit.
Id ita esse ut credas, rem tibi auctorem dabo.
Nam postquam hic eius rem confregit filius,
Seque ad paupertatem ipse protractum videt,
Suamque filiam esse adultam virginem,
Simul eius matrem suamque uxorem mortuam:
Quoniam hinc iturus ipse est in Seleuciam,
Mihi conmendavit virginem gnatam suam
Et rem suam omnem et conruptum illum filium.
Haec, si inimicus esset, credo, haud crederet.
ME. Quid tu? adulescentem quom esse conruptum vides,
Qui tuae mandatus est fidei et fiduciae,
Quin eum restituis? quin ad frugem conrigis?
Ei re operam dare te fuerat aliquanto aequius,
Si qui probiorem facere possis; non, uti
In eandem tute accederes infamiam,
Malumque ut eius cum tuo misceres malo.
CA. Quid feci? ME. Quod homo nequam. CA. Non istuc meum est.
ME. Emistin' te adulescente has aedis? — Quid taces?
Ubi nunc tute habitas? CA. Emi atque argentum dedi,
Minas quadraginta, adulescenti ipsi in manum.
ME. Dedisti argentum? CA. Factum, neque facti piget.
ME. Edepol fide adulescentem mandatum malae!
Dedisti hoc pacto ei gladium, qui se occideret.
Quid secus est aut quid interest, dare te in manus
Argentum amanti homini adulescenti, animi inpoti,
Qui exaedificaret suam inchoatam ignaviam?
CA. Non illi argentum ego redderem? ME. Non redderes,
Neque de illo quidquam neque emeres neque venderes,
Nec, qui deterior esset, faceres copiam.
Inconciliastin' eum, qui mandatust tibi?
Ille, qui mandavit, eum exturbasti ex aedibus?
Edepol mandatum pulcre et curatum probe!
Crede huiic tute: tuam rem melius gesserit.

88. V.: *Videtque ipse ad paup. protr. esse se.* 94. Sic Pal. et vett. edd., in his Mediol. a. 1500. V.: *si mihi inim.* 98. V.: *rei.* 107. V.: *fidei.* 108. V.: *Dedistine h. p.* (MSS.: *facto*) *g., q. se occ.?* 118. V.: *C. huic tute: suam iam mel. rem g.* Pal. et vett. edd; *iam suam.*

Ca. Subigis maledictis me tuis, Megaronides,
Novo modo adeo, quod meae concreditum est
Taciturnitati clam fidei et fiduciae,
Ne enuntiarem quoiquam neu facerem palam,
Ut mihi necesse sit iam id tibi concredere.
Me. Mihi quod credideris, sumes, ubi posiveris.
Ca. Circumspicedum te, ne quis adsit arbiter
Nobis, et, quaeso, identidem circumspice.
Me. Ausculto, si quid dicas. Ca. Si taceas, loquar.
Quoniam profectus hinc est peregre Charmides,
Thesaurum demonstravit mihi in hisce aedibus,
Hic in conclavi quodam . . . . Sed circumspice.
Me. Nemo est. Ca. Numorum Philippeum ad tria millia.
Id solus solum per amicitiam et per fidem
Flens me obsecravit suo ne gnato crederem,
Neu quoiquam, unde ad eum id posset permanascere.
Nunc si ille huc salvos revenit: reddam suom sibi;
Si quid eo fuerit: certe illius filiae,
Quae mihi mandata est, habeo dotem unde dem:
Ut eam in se dignam conditionem conlocem.
Me. Proh di inmortales, verbis paucis quam cito
Alium fecisti me, alius ad te veneram!
Sed ut occepisti, perge porro proloqui.
Ca. Quid tibi ego dicam, qui illius sapientiam
Et meam fidelitatem et celata omnia
Pene ille ignavos funditus pessumdedit?
Me. Quidum? Ca. Quia, rure dum sum ego unos sex dies,
Me absente atque insciente, inconsultu meo,
Aedis venalis hasce inscribit literis.
Me. Adesurivit mage et inhiavit acrius
Lupus; observavit: dum dormitaret canes,
Gregem universim voluit totum avortere.
Ca. Fecisset edepol, ni haec praesensisset canes.
Sed nunc orare ted ego vicissim volo:
Quid fuit officium meum me facere, face sciam.
Utrum indicare me ei thesaurum aequom fuit,
Advorsum quam eius me obsecravisset pater?
An ego alium paterer dominum fieri hisce aedibus?
Qui emisset, essetne eius ea pecunia?
Emi egomet potius aedis; argentum dedi

120. V.: *ut quod.* 124. V.: *posueris.* 134. V.: *Neve.* 136. Libri: *certo.* 150. V.: *universum.* Pal. *uouit.* Edd. vett. *tecum* pro *totum*, unde Acid. et Herm.: *secum.* 152. Fort.: *S. n. or. ego te vicissatim volo.* Cf. Poen. pr. 46, Stich. 497. *Orare* pro vulgato *rogare* praebuit Pal.

Thesauri causa: ut salvom amico traderem;
Neque adeo hasce emi mihi neque usurae meae;
Illi redemi rursum, a me argentum dedi.
Haec, seu sunt recta seu pervorse facta sunt,
Egomet fecisse confiteor, Megaronides.
Hem mea tibi malefacta! hem avaritiam meam!
Hascine propter res maledicas famas ferunt?
ME. Pausa. Vicisti castigatorem tuom;
Occlusti linguam! nihil est, qui respondeam.
CA. Nunc ego te quaeso, ut me opera et consilio iuves
Communicesque hanc mecum meam provinciam.
ME. Polliceor operam. CA. Ergo ubi eris paulo post?
ME. Domi.
CA. Numquid vis? ME. Cures tuam fidem. CA. Fit sedulo.
ME. Sed quid ais? CA. Quid vis? ME. Ubi nunc adulescens habet?
CA. Posticulum hoc recepit, quom aedis vendidit.
ME. Istuc volebam scire. I sane nunc iam.
Sed quid ais? quid nunc virgo? nempe apud te est? CA. Ita est,
Iuxtaque eam curo cum mea. ME. Recte facis.
Num, priusquam abeo, me rogitaturus? ME. Vale. —
Nihil est profecto stultius nec stolidius
Neque mendaciloquius neque argutum magis
Neque confidentiloquius neque periurius,
Quam urbani adsidui cives, quos scurras vocant.
Atque egomet me adeo cum illis una ibidem traho,
Qui illorum verbis falsis acceptor fui,
Qui omnia se simulant scire, nec quidquam sciunt;
Quod quisque in animo habet aut habiturust, sciunt;
Sciunt, quid in aurem rex reginae dixerit;
Sciunt, quid Iuno fabulata est cum Iove;
Quae neque futura, neque facta, illi tam sciunt;
Falson' an vero laudent, culpent, quem velint,
Non flocci faciunt, dum illud, quod lubeat, sciant.
Omnes mortales hunc aiebant Calliclem
Indignum civitate hac esse vivere,
Bonis qui hunc adulescentem evortisset suis:

160. Ita Herm. V.: *nec usurae.* 162. V.: *H. sunt, s. recte s. p. f. s.* 165. V.: *H. me pr. res maledicta differunt?* Vett.: *H. me pr. r. maledictas famas ferunt.* Correxit Herm. Sed malim *serunt.* 177. Sic vett. edd. V.: *rogaturus.* Fort.: *N. pr. abbito.* 186. V.: *Sc. id, quod in aurem* etc. Correxit Herm. 187. V.: *Sc., quod* etc. 188. V.: *Q. n. f. n. f. sunt, tamen illisc.* 192. Sic vett. edd. MSS.: *I. c. h. esset viv.* V.: *I. c. h. esse et viv.*

Ego de eorum verbis famigeratorum, inscius,
Prosilui amicum castigatum innoxium.
Quodsi exquiratur usque ab stirpe auctoritas.
Unde quidque auditum dicant; nisi id adpareat,
Famigeratori res sit cum damno et malo;
Hoc ita si fiat: publico fiat bono:
Pauci sint faxim, qui sciant, quod nesciunt,
Occlusioremque habeant stultiloquentiam.

LYSITELES.

Multas simitu res in meo corde vorso; b. t. II, 1.
Multum in cogitando dolorem indipiscor;
Ego me concoquo et macero et defetigo;
Magister mihi exercitor animus hinc est.
Sed hoc non liquet neque satis cogitatum est,
Utram potius harunc mihi artem expetessam,
Utram aetati agundae arbitrer firmiorem:
Amorine me an re obsequi potius par sit;
Utra in parte plus sit voluptatis vitae
Ad aetatem agundam. b. d.
De hac re mihi satis haud liquet; nisi hoc sic faciam, opinor: i. t. c.
Utramque rem simul exputem; iudex sim reusque ad eam rem.
Ita faciam! ita placet! i. h.
Omnium primum Amoris artis eloquar, quemadmodum expediant. t. t.
Nunquam Amor quemquam nisi cupidum hominem postulat se in plagas
Coniicere; eos cupit, eos consectatur; subdole blanditur;
Consulit ab re blandiloquentulus, harpago, mendax, cuppes, avarus,
Despoliator elegans, latebricolarum hominum conruptor,
Blandus inops, celatum indagator: nam cum quis clam amat, t. t. c.
Quom sagittatis extemplo saviis percussus est:
Eloco res foras labitur, liquitur. cr. t.

197. V.: *quicquid.* Corr. Acid. et Herm. 204. V. *egomet me,* emendatum verbum non emendato librariis adscribentibus, more suo. 202 — 211. recte descripsit Herm. 220, 221. V.: *Bland., in., celati* (MSS. *celatum,* h. e. celatorum) *indag. nam qui ab eo, quod amat* (Pal.: *namque ad quod clamat;* Sarracen.: *nam cum quis clam amat*, quod expressimus), *Quam extemplo sav. sag. perc. est,* etc. 222. Hunc versum ex vulgatis ἀμέτροις eruit Herm.

„Da mihi hoc, mel meum, si me amas, si audes!" c. t. c.
Ibi ille cuculus: „Ocelle mi, fiat! amphibr. t.
Et istuc et si amplius vis dari, dabitur."
Ibi illa pendentem ferit: iam amplius orat;
Non sat id est mali, quod ecbibit, comest, sumti facit, t. t. c.
Ni amplius etiam datur mox. t. d.
Ducitur familia tota: vestiplici, unctor, auri custos, t. t.
Flabelliferae, sandaligerulae, cantrices, cistellatrices,
Nuntii, renuntii, raptores panis et peni. t. t. c.
Fit ipse, dum illis comis est, inops amator. i. tr. h.
Haec ego quom ago cum meo animo et recolo, ubi qui eget, quam preti sit parvi: t. t.
Apage te, Amor! non places! nil te utor, quamquam illuc est dulce.
Esse et bibere dat Amor amara, tibi quod satis aegre siet: t. t. c.
Fugit forum, fugat tuos cognatos, fugat ipse a suo i. t.
Se contuitu, neque eum sibi volunt amicum dici. i. t. c.
Mille modis amor ignorandust, procul adhibendust, abstinendus: t. t.
Nam qui in amorem praecipitavit, peius perit, quam si saxo salias. as. t. d. i. d. h.
Apage, sis, Amor! tuas res tibi habe, Amor! mihi amicus ne fuas unquam!
Sunt tam, quos miseros maleque habeas, tibi quos obnoxios fecisti.
Certum est ad frugem adplicare t. d.
Animum, quanquam ibi animo labos grandis capitur. b. t.
Haec sibi boni expetunt: rem, fidem, honorem, cr. t. c.
Gloriam et gratiam. Hoc probis pretium
Est. Eo mihi magis cum probis potius
Quam lubet cum inprobis vivere vanidicis.

227. V.:
— — — — non sat
Id est mali, ni amplius etiam, quod ebibit, quod comest,
Quod facit sumpti. nox datur? ducitur etc.
Legendum esse *mox* pro *nox*, quae vocabula saepe sibi invicim offecere, locoque suo mota esse verba *ni amplius etiam datur mox*, fuse probavi in commentario. Cf. 309. 229. MSS.: *vestiplice*, edd. vett.: *vestipicii;* vulgo: *vestispicae*. 234. Male sic interpungunt hunc locum: — *dulce Esse et bibere. Amor amara dat tibi satis, quod aegre sit.* 237. V.: *neque enim eum sibi am. vol. dici.* In vetere cod. Camerar. omissum erat *enim*. 238. V.: *adhibendus est atque abstinendus.* 244. *fidem* non liquescit.

PHILTO. LYSITELES.

Ph. Quo illic homo foras se penetravit ex aedibus? Ly. Pater, adsum. as. t. d. i. d. c. II, 2.
Impera, quod vis: neque tibi ero in mora, neque me latebrose
Abs tuo conspectu occultabo. t. d.
Ph. Feceris par tuis ceteris factis, c. t. c.
Si patrem percoles tuom per pietatem.
Nolo ego cum inprobis te viris, gnate mi, c. t.
Neque in via neque in foro ullum sermonem exsequi. i. t.
Novi ego hoc seculum, moribus quibu' sit. c. t. c.
Malus bonum malum esse volt, ut sit sui similis; i. tr. h.
Turbant, miscent mores mali, rapax, avarus, invidus; t. t. c.
Sacrum profanum, publicum privatum habent, hiulca gens. i. t.
Haec ego doleo; haec sunt, quae med excruciant; as.t.d.br.i.h.
Haec dies noctisque tibi canto ut caveas.
Quod manu nequeunt tangere, tantum fas habent, manus quo abstineant; t. t.
Cetera rape, trahe, fuge, late! Lacrumas haec mihi, quom video, eliciunt,
Quia ego ad hoc genus duravi hominum. Quin prius me ad pluris penetravi?
Nam hi maiorum mores laudant; eosdem lutulant, quos conlaudant.
Hisce ego de artibus gratiam facio cr. t. c.
[Neu colas, neu imbuas ingenium]:
Meo modo et moribus vivito antiquis;
Quae ego tibi praecipio, ea facito. t. d.
Nihil ego istos moror fatuos mores as. c. d. t.
Turbidos, quis boni dedecorant se.
Haec tibi si mea imperia capesses: multa in pectore bona consident. t. t.
Ly. Semper ego usque ad hanc aetatem ab ineunte adulescentia t. t. c.
Tuis servivi servitutem imperiis, praeceptis, pater.
Pro ingenio ego me liberum esse ratus sum; pro imperio tuom.
Meum animum tibi servitutem servire, aequom censui.
Ph. Qui homo cum animo inde ab ineunte aetate depugnat suo,

254. *serm.* non eliditur. 261. V.: *non queunt.* 264. *quos conlaudant.* Haec absunt a Palatino et veteribus edd. 265. Soloece libri: *H. e. te art. g. f.* 269. V.: *et turb.* 772. Similiter libri: *et praec.*

Utrum ita se esse mavelit, ut eum animus aequom censeat,
An ita potius, ut parentes eum esse et cognati velint;
Si animus hominem pepulit: actum est: animo servit, non sibi;
Si ipse animum pepulit: dum vivit, victor victorum cluet.
Tu si animum vicisti, potius quam animus te: est, quod gaudeas.
Nimio satius est, ut opust, te ita esse, quam ut animo lubet.
Qui animum vincunt, quam quos animus, semper probiores cluent.
Ly. Istaec ego mihi semper habui aetati tegumentum meae,
Ne penetrarem me usquam, ubi esset damni conciliabulum,
Ne noctu irem obambulatum, neu suom adimerem alteri.
Ne aegritudinem tibi, pater, parerem, parsi sedulo.
Sarta tecta tua praecepta usque habui mea modestia.
Ph. Quid exprobras, bene quod fecisti? Tibi fecisti, non mihi. i. t.
Mihi quidem aetas acta est ferme; tua istuc refert maxume. t. t. c.
Benefacta benefactis aliis pertegito: ne perpluant.
Is probus est, quem poenitet, quam probus sit et frugi bonae;
Qui ipsus sibi satis placet, nec probus est nec frugi bonae;
Qui ipsus se contemnit, in eo est indoles industriae.
Ly. Ob eam rem haec, pater, autumavi, quia res quaedam est, quam volo
Ego me abs te exorare. Ph. Quid id est? Veniam dare iam gestio.
Ly. Adulescenti huic genere summo, amico atque aequali meo,
Minus qui caute et cogitate suam rem tractavit, pater,
Bene volo ego illi facere, si tu non nevis. Ph. Nempe de tuo?
Ly. De meo: nam quod tuom est, meum est: omne meum est autem tuom.
Ph. Quid is? egetne? Ly. Eget. Ph. Habuitne rem? Ly. Habuit. Ph. Qui eam perdidit?
Publicisne adfinis fuit an maritumis negotiis?
Mercaturamne an venalis habuit, ubi rem perdidit?
Ly. Nihil istorum. Ph. Quid igitur? Ly. Per comitatem edepol, pater;
Praeterea aliquantum animi causa in deliciis disperdidit.
Ph. Edepol hominem praedicatum ferme familiariter,

278. Sic Herm. V.: *perpulit, seruibit* (Pal.: *seruauit.*) 286. V.: *Neu.* 290. vulgo post 292 legitur. 291. V.: *non poen.* Corr. Gronov. in nota, quem secutus etiam est Herm.

Quiquidem nusquam per virtutem rem confregit atque eget!
Nil moror eum tibi esse amicum cum eiusmodi virtutibus.
Ly. Quia sine omni malitia est, tolerare egestatem eius volo.
Ph. De mendico male meretur, qui ei dat, quod edit aut bibat:
Nam et illuc, quod dat, perdit, et illi prodit vitam ad miseriam. i. t.
Non eo dico hoc, quin, quae tu vis, ego velim et faciam lubens; t. t. c.
Sed ego hoc verbum quom illi quoidam dico, praemonstro tibi:
Ut ita te aliorum miserescat, ne tui alios misereat.
Ly. Deserere illum et deiuvare in rebus advorsis pudet.
Ph. Pol pudere quam pigere praestat, totidem litteris.
Ly. Edepol deum virtute dicam, pater, et maiorum et tua
Multa bona bene parta habemus: bene si amico feceris,
Ne pigeat fecisse; ut potius pudeat, si non feceris.
Ph. De divitiis magnis si quid demas, plus fit, an minus?
Ly. Minus, pater; sed civi inmuni scis quid cantari solet?
Quod habes, ne habeas, et id, quod non habes, habeas, malum;
Quandoquidem nec tibi bene esse potes pati neque alteri.
Ph. Scio equidem istuc ita solere fieri; verum, gnate mi,
Is est inmunis, quoi nihil est, qui munus fungatur suom. i. t.
Ly. Deum virtute habemus, et qui nosmet utamur, pater, t. t. c.
Et aliis qui comitati simus benevolentibus.
Ph. Non edepol tibi pernegare possum quidquam, quod velis.
Quoius egestatem tolerare vis? Loquere audacter patri.
Ly. Lesbonico huic adulescenti, Charmidai filio,
Qui illic habitat. Ph. Qui comedit, quod fuit, quod non fuit?
Ly. Ne opprobra, pater: multa homini eveniunt, quae volt, quae nevolt.
Ph. Mentire edepol, gnate, atque id nunc facis haud consuetudine:
Nam sapiens quidem pol ipse fingit fortunam sibi:
Eo ne multa, quae nevolt, eveniunt, nisi fictor malust.
Ly. Multa est opera opus ficturae, qui se fictorem probum

309. V.: *aut quod bibat.* Cf. 227. 320. V.: *civi immunifico scis.* MSS.: *c. immuni inmunifico* (Pal.: *inmimi inmunificos*) Corr. Gruter. etc. 321. V.: *et illud.* 329. V.: *Charmidae.* Senserat vitium Taubm. Vid. not. ad Epid. 497. 331 — 339. recte digessit Acid., probante etiam Hermanno, qui versus vulgo hoc ordine leguntur: 331, 339, 338, 332 — 337. 334. V.: *malus siet.*

Vitae agundae esse expetit; sed hic admodum adulescentulus.
Ph. Non aetate, verum ingenio apiscitur sapientia.
Sapienti aetas condimentum est; sapiens aëtati cibust. —
Agedum, eloquere, quid dare illi nunc vis. Ly. Nil quidquam, pater;
Tu modo ne me prohibeas accipere, si quid det mihi.
Ph. An eo egestatem ei tolerabis, si quid ab illo acceperis?
Ly. Eo, pater. Ph. Pol ego istam volo me rationem edoceas. Ly. Licet.
Scin' tu illunc, quo genere gnatus sit? Ph. Scio, adprime probo.
Ly. Soror illi est adulta virgo grandis: eam cupio, pater,
Ducere uxorem. Ph. Sine dote? Ly. Sine dote. Ph. Uxoremne? Ly. Ita;
Tua re salva. Hoc pacto ab illo summam inibis gratiam,
Neque commodius ullo pacto ei poteris auxiliarier.
Ph. Ego indotatam ted uxorem ut patiar....? Ly. Patiundum est, pater; i. t.
Et eo pacto addideris nostrae lepidam famam familiae. t. f. c.
Ph. Multa ego possum docte dicta et quamvis facunde loqui:
Historiam veterem atque antiquam haec mea senectus sustinet;
Verum ego quando te et amicitiam et gratiam in nostram domum
Video adlicere, etsi advorsatus tibi fui, istac iudico:
Tibi permitto; posce; duce. Ly. Di te servassint mihi!
Sed adde ad istam gratiam unum. Ph. Quid id est autem unum? Ly. Eloquar, i. t.
Tu ad eum adeas; tu concilies; tute poscas. Ph. Eccere! t. t. c.
Ly. Nimio citius transiges; firmum omne erit, quod tu egeris.
Gravius tuom erit unum verbum ad eam rem, quam centum mea.
Ph. Ecce autem in benignitate hoc reperi negotium! —
Dabitur opera. Ly. Lepidus vivis. Haec sunt aedes; hic habet;
Lesbonico est nomen: age, rem cura. Ego te opperiar domi.
Ph. Non optuma haec sunt neque, ego ut aequom censeo; i. s.
Verum meliora sunt quam quae deterruma.
Sed hoc unum consolatur me atque animum meum,
Quia, qui nil aliud, nisi, quod sibi soli placet,
Consulit advorsum filium, nugas agit:

337. Sic Herm. V.: *adipiscitur.* 338. V.: *Sapientiae.* (Pal. *Sapientia*) *aetas.* 345. V.: *Uxorem?* Corr. Herm. 350. V.: *docta.* 356. V.: *Tute ad e. a.; tute conc.*

Miser ex animo fit, factius nihilo facit.
Suae senectute is acriorem hiemem parat,
Quom importunam illanc tempestatem conciet.
Sed aperiuntur aedes, quo ibam: commode
Ipse exit Lesbonicus cum servo foras.

LESBONICUS. STASIMUS. PHILTO.

Le. Minus quindecim dies sunt, quom pro his aedibus i. s. II, 3.
Minas quadraginta accepisti a Callicle
Estne hoc, quod dico, Stasime? St. Quom considero:
Meminisse videor fieri. Le. Quid factum est eo?
St. Comesum, expotum, exunctum, elotum in balineis;
Piscator, pistor, abstulit, lanii, coqui,
Olitores, myropolae, aucupes. Confit cito,
Quam si formicis tu obicias papaverem,
Nisi tu inmortale rere esse argentum tibi.
Le. Minus hercle in istis rebus sumtum est sex minis.
St. Quid, quod dedisti scortis? Le. Ibidem una traho.
St. Quid, quod defrudavi? Le. Hem, ista ratio maxuma est!
St. Non tibi illud adparere, si sumas, potest?
Sero atque stulte, prius quod cautum oportuit,
Postquam comedit rem, post rationem putat.
Le. Nequaquam argenti ratio conparet tamen.
St. Ratio quidem hercle adparet; argentum οἴχεται.
Minas quadraginta accepisti a Callicle,
Et ille aedis abs te accepit mancupio. Le. Admodum.
Ph. Pol, opino, adfinis noster aedis vendidit.
Pater quom peregre veniet: in porta est locus,
Nisi forte in ventrem filio conrepserit.
St. Trapezitae mille drachumarum Olympicum,
Quas de ratione debuisti, redditae.
Le. Nempe quas spopondi. St. Imo quas dependi, inquito.
Quas sponsione pro tu exactus nuper es
Pro illo adulescente, quem tu esse aibas divitem.
Le. Factum. St. Ut quidem illud perierit. Le. Factum id quoque est.
Nam nunc eum vidi miserum, et me eius miseritum est.
St. Miseret te aliorum, tui nec miseret nec pudet.

372. Sic Pal. et edd. vett. V.: *hisce.* 379. Sic iidem libri. V.: *obiicias.* 380. vulgo post 384 inculcatur. 383. Ita vet. cod. Camerar. V.: *defraudavi.* 384. V. haec non interrogantur. 391. Sic Herm. secundum Acid. V.: *opinor.* 397. V.: *Q. sp.* (vett. *Qua sp.*) *pronuper tu ex. es.* Corr. Acid. Par. 398. V.: *q. tu aiebas esse div.* 401. V.: *tui te nec.*

Ph. Tempus adeundi est. Le. Estne hic Philto, qui advenit?
Is hercle est ipsus. St. Edepol nae ego istunc velim
Meum fieri servom cum suo peculio.
Ph. Herum atque servom plurimum Philto iubet
Salvere, Lesbonicum et Stasimum. Le. Di duint
Tibi, Philto, quaecunque optes. Quid agit filius
Ph. Bene volt tibi. Le. Edepol mutuom mecum facit.
St. Nequam illud verbum est „Bene volt," nisi qui bene facit.
Egoque volo esse liber; nequidquam volo.
Hic postulet frugi esse; nugas postulet.
Ph. Meus gnatus me ad te misit: inter se atque vos
Adfinitatem ut conciliarem et gratiam.
Tuam volt sororem ducere uxorem; et mihi
Sententia eadem est et volo. Le. Haud nosco tuom?
Bonis tuis rebus meas res inrides malas.
Ph. Homo ego sum, homo tu es: ita me amabit Iupiter!
Neque te derisum veni neque dignum puto;
Verum hoc, ut dixi, meus me oravit filius,
Ut tuam sororem poscerem uxorem sibi.
Le. Mearum me rerum novisse aequom est ordinem.
Cum vostris nostra non est aequa factio:
Adfinitatem vobis aliam quaerite.
St. Satin' tu sanus mentis aut animi tui,
Qui conditionem hanc repudies? nam illunc tibi
Ferentaneum esse amicum inventum intellego.
Le. Abin' hinc dierecte? St. Si hercle ire occipiam: vetes.
Le. Nisi me aliud quid vis, Philto: respondi tibi.
Ph. Benigniorem, Lesbonice, te mihi,
Quam nunc experior esse, confido fore:
Nam et stulte facere et stulte fabularier
Utrumque, Lesbonice, in aetate haud bonum est.
St. Verum hercle hic dicit. Le. Oculum ego ecfodiam tibi,
Si verbum addideris! St. Hercle quin dicam tamen:
Nam sic si non licebit, luscus dixero.
Ph. Ita tu nunc dicis, non esse aequiparabilis
Vostras cum nostris factiones atque opes?
Le. Dico. Ph. Quid nunc? si in aedem ad coenam veneris,
Atque ibi, opulentus tibi par forte ut venerit,
Adposita coena sit, popularem quam vocant,
Si illi congestae sint epulae a clientibus,
Si quid tibi placeat, quod illi congestum siet,
Edisne, an incoenatus cum opulento adcubes?

410. V.: *Ego quoque*, occultato pronomine. Non raro *que* valet *quoque*. Vid. I. F. Gronov. ad Liv. 1, 26. extrem. 415. Sic vett. V.: *haut nosco t.*

Le. Edim, ni vetet ille. St. At pol ego, etiamsi vetet,
Edim atque ambabus malis expletus vorem;
Et, quod illi placeat, praeripiam potissumum,
Neque ei concedam quidquam de vita mea.
Verecundari neminem apud mensam decet:
Nam ibi de divinis atque humanis cernitur.
Ph. Rem fabulare. St. Non tibi dicam dolo:
Decedam ego illi de via, de semita,
De honore populi; verum quod ad ventrem attinet,
Non hercle hoc longe, nisi me pugnis vicerit.
Coena hac annona est sine sacris hereditas.
Ph. Semper tu hoc facito, Lesbonice, cogites,
Id optumum esse, tute uti sis optumus;
Si id nequeas, saltem ut optumis sis proxumus.
Nunc conditionem hanc, quam ego fero et quam abs te peto,
Dare atque accipere, Lesbonice, te volo.
Dei divites sunt: deos decent opulentiae
Et factiones; verum nos homunculi
Salillum animae, quam quom extemplo amisimus:
Aequo mendicus atque ille opulentissumus
Censetur censu ad Acheruntem mortuos.
St. Mirum ni, illuc ni tecum divitias feras,
Ubi mortuos sis, ita sis, ut nomen cluet.
Ph. Nunc ut scias, hic factiones atque opes
Non esse neque nos tuam neglegere gratiam:
Sine dote posco tuam sororem filio.
Quae res bene vortat! Habeon' pactam? Quid taces?
St. Proh di inmortales, conditionem quoiusmodi!
Ph. Quin fabulare „Di bene vortant! spondeo?"
St. Eheu, nil usus ubi erat dicto: „Spondeo"
Dicebat; nunc hic, quom opus est, non quit dicere.
Le. Quom adfinitate vostra me arbitramini
Dignum: habeo vobis, Philto, magnam gratiam;
Sed, etsi hercle graviter cecidit stultitia mea,
Philto, est ager sub urbe hic nobis; eum dabo
Dotem sorori; nam is de stultitia mea
Solus superfit praeter vitam reliqüos.
Ph. Profecto dotem nil moror. Le. Certum est dare.
St. Nostramne vis nutricem, here, quae nos educat,
Abalienare a nobis? Cave, sis, feceris.
Quid edemus nosmet postea? Le. Etiam tu taces?
Tibi ego rationem reddam? St. Plane periimus,

444. V.: *E., nisi ille vetet.* 445. Pal.: *expletis.* 447. V.: *N. illi.* 462. V.: *S. a., qui cum e. a. Quam* pluribus in mentem venit. *Sal.* non eliditur. 465. V.: *Mirum, ni tu illuc* (MSS. *illum*) *t. d. f.*

Nisi quid ego comminiscor! Philto, te volo.
PH. Si quid vis, Stasime. ST. Huc concede aliquantum.
PH. Licet.
ST. Arcano tibi ego hoc dico: ne ille ex te sciat,
Neve alius quisquam. PH. Crede audacter quidlubet.
ST. Per deos atque homines dico, ne tu illunc agrum
Tuom siris unquam fieri neque gnati tui.
Ei re argumentum dicam. PH. Audire edepol lubet.
ST. Primum omnium olim terra quom proscinditur:
In quinto quoque sulco moriuntur boves.
PH. Apage! ST. Acheruntis ostium in nostro est agro.
Tum vinum, priusquam coctum est, pendet putidum.
LE. Consuadet homini, credo. Etsi scelestus est:
At mi infidelis est. ST. Audi cetera.
Post id, frumenti quom alibi messis maxuma est:
Tribus tantis illi minus redit, quam obseveris.
PH. Hem, istic oportet obseri mores malos,
Si in obserendo possint interfieri.
ST. Neque unquam quisquam est, quoius ille ager fuit,
Quin pessume ei res vorterit: quoium fuit,
Alii exulatum abierunt; alii ecmortui;
Alii se suspendere. Hem, nunc hic, quoius est,
Ut ad incitas redactus! PH. Apage a me istum agrum!
ST. Magis Apage dicas, si omnia a me audiveris:
Nam fulguritae sunt alternae arbores;
Acerrume moriuntur angina sues;
Oves scabrae sunt, tam glabrae, hem! quam haec est manus;
Tum autem Syrorum, genus quod patientissumum est
Hominum, nemo extat, qui ibi sex menses vixerit:
Ita cuncti solstitiali morbo decidunt.
PH. Credo istuc, Stasime, ita esse; sed Campas genus
Multo Syrorum iam antidit patientia.
Sed is est ager profecto, ut te audivi loqui,
Malos in quem omnis publice mitti decet.
Sicut Fortunatorum memorant insulas,
Quo cuncti, qui aetatem egerunt caste suam,
Conveniant: contra istoc detrudi maleficos
Aequom videtur, qui quidem istius sit modi.
ST. Hospitium est calamitatis. Quid verbis opust?
Quamvis malam rem quaeras: illic reperias.
At tu hercle et illi et alii cave, sis, dixeris,

492. V.: *rei.* 496. Ita secundum P. Scriverium Par., Herm. V.: *coactum.* 509. V.: *sunt hic alt.* Vett., ut nos. 514. V.: *Credo ego ist.* 517. V.: *S. iste est.* 524. Sic vett. V.: *quaerens.* 525. V. verba *At tu h. et illi et al.* Philtoni tribuuntur. Fort. *alii;* sed ferri potest lectio vulgata.

Me tibi dixisse hoc. Ph. Dixisti arcano satis.
St. Quin hic quidem cupit illum ab se abalienarier,
Si quidem reperire possit, quoi os sublinat.
Ph. Meus quidem nunquam fiet. St. Si sapies quidem. —
Lepide hercle de agro ego hunc senem deterrui:
Nam qui vivamus nihil est, si illum amiserit.
Ph. Redeo ad te, Lesbonice. Le. Dic sodes mihi,
Quid hic locutus tecum? Ph. Quid censes? Homo est:
Volt fieri liber; verum, quod det, non habet.
Le. Et ego esse locuples; verum nequidquam volo.
St. Licitum, si velles: nunc, quom nihil est, non licet.
Le. Quid tecum, Stasime? St. De istoc, quod dixti modo,
Si ante voluisses: esses; nunc sero cupis.
Ph. De dote mecum conveniri nil potest;
Quod tibi lubet, tute agito cum nato meo;
Nunc tuam sororem filio posco meo;
Quae res bene vortat! — Quid nunc? etiam consulis?
Le. Quid istic? quando ita vis: di bene vortant! spondeo.
Ph. Nunquam edepol quoiquam tam expectatus filius
Natus, quam est illud Spondeo natum mihi.
St. Di fortunabunt vostra consilia. Ph. Ita volo.
I hac, Lesbonice, mecum: ut coram nuptiis
Dies constituatur. Eadem haec confirmabimus.
Le. Sed, Stasime, abi huc ad meam sororem ad Calliclem:
Dic, hoc negoti quomodo actum est .... St. Ibitur.
Le. Et gratulator meae sorori. St. Scilicet.
Le. Dic Callicli, mi ut convenat,.... St. Quin tu i modo!
Le. De dote ut videat, quid opus sit facto. St. I modo!
Le. Nam certum est, me sine dote haud dare.... St. Quin tu i modo!
Le. Neque enim illi damno unquam esse patiar.... St. Abi modo!
Le. Meam neglegentiam .... St. I modo! i modo!
Le. Neque

527. V. *sese.* 528. V.: *posset, cuius os s.* MSS.: *p. cuius subl.* 529. V.: *Meus quidem hercle n. f.* 536. Sic Herm. V.: *quoniam n. est.* 537. V.: *dixisti.* 538. V.: *antea.* 539. Ita Par. Herm. secundum Acid. V.: *convenire nihil potes*, quod ne latinum quidem est. Quos tamen in eo libros sequi se dicat Acid., nescio cum Taubmanno. 540. Recte Herm.: *Quod.* V.: *Quid.* 544. *tam* non legitur in MSS., quod male omisit Gron. 547. sequ. vulgo leguntur post 551. 552. V.: *me ut conveniat.* Vidit hic aliquid Acid., sed male existimavit, ista verba significare *quomodo me deceat.* 556. Verba *i modo* iterari posse intellexit Acid. ad sarciendum versum. Sic et Herm. Sed pro vulgatis *O pater*, quae ex sequentibus huc protracta sunt, ubi nihil ad sententiam conferunt, ob hanc ipsam ponendum intellexi *Neque*, quod interceptum videtur a sequente verbo.

Aequom videtur, quin, quod peccarim.... St. I modo!
Le. Potissumum mihi id obsit. St. I modo! Le. O pater,
En unquam adspiciam te? St. I modo! i modo! i modo!
Le. Tu istuc cura, quod ego iussi. Iam hic ero.
St. Tandem inpetravi, abiret. Di, vostram fidem,
Edepol re gesta pessume gestam probe,
Siquidem ager nobis salvos est! Etsi admodum
In ambiguo est etiam nunc, quid de hac re fuat.
Sed si alienatur: actum est de collo meo:
Gestandus peregre clypeus, galea, sarcina!
Ecfugiet ex urbe, ubi erunt factae nuptiae;
Ibit aliquo istac maxumam in malam crucem
Latrocinatum, aut in Asiam, aut in Ciliciam.
Ibo huc, quo mi imperatum est, etsi odi hanc domum,
Postquam exturbavit hic nos nostris aedibus.

CALLICLES. STASIMUS.

Ca. Quomodo tu istuc, Stasime, dixti? St. Nostrum herilem filium t. t. c. III, 1.
Lesbonicum suam sororem despondisse. Hoc modo.
Ca. Quoi homini despondit? St. Lysiteli, Philtonis filio,
Sine dote. Ca. Sine dote ille illam in tantas divitias dabit?
Non credibile dicis. St. At tu edepol nullus creduas,
Si hoc non credis: ego credidero.... Ca. Quid? St. Me nihili pendere.
Ca. Quamdudum istuc aut ubi actum est? St. Eloco hic ante ostium;
Tam modo, inquit Praenestinus. Ca. Tanton' in re perdita,
Quam in re salva, Lesbonicus factus est frugalior?
St. Atque equidem ipsus ultro venit Philto oratum filio.
Ca. Flagitium quidem hercle fiet, nisi dos dabitur virgini.
Postremo edepol ego istam rem ad med attinere intellego.
Ibo ad meum castigatorem atque ab eo consilium petam.
St. Propemodum, quid illic festinet, sentio et subolet mihi:
Ut agro evortat Lesbonicum, quando evortit aedibus.
O here Charmide, quam absenti hic tua res distrahitur tibi!
Utinam te redisse salvom videam: ut inimicos tuos

560. Hic versus post 548 legitur in libris. 571. Ita Herm. V.: *ex nostris aed.* 572. Sic idem. V.: *dixisti*, verbaque *Nostrum — desp.* Callicli tribuuntur, quodneque Lambino placuit. 575. Sic vett. V.: *despopondisse*, quo non indiget metrum.

Ulciscare! ut mihi, ut erga te fui et sum, referas gratiam!
Nimium difficile est reperiri amicum ita, ut nomen cluet,
Quoi tuam quom rem credideris, sine omni cura dormias.
Sed generum nostrum ire eccillum video cum adfini suo.
Nescio quid non satis inter eos convenit: celeri gradu
Eunt uterque; illic reprehendit hunc priorem pallio i. t.
Haud aneuscheme adstiterunt! Huc aliquantum abscessero: t. t. c.
Est lubido orationem audire duorum adfinium.

LYSITELES. LESBONICUS. STASIMUS.

Ly. Sta eloco! noli avorsari, neque te occultassis mihi! t. t. c. III, 2.
Le. Potin', ut me ire, quo profectus sum, sinas? Ly. Si in rem tuae,
Lesbonice, esse videatur gloriae aut famae: sinam.
Le. Quod est facillumum, facis. Ly. Quid id est? Le. Amico iniuriam. i. t.
Ly. Neque meum est, neque facere didici. Le. Indoctus quam docte facis! t. t. c.
Quid faceres, si quis docuisset te, ut sic odio esses mihi,
Qui bene simulas facere mihi te, male facis, male consulis?
Ly. Egone? Le. Tu nae! Ly. Qui male facio? Le. Quod ego nolo, id quom facis.
Ly. Tuae re bene consulere cupio. Le. Tun' mi es melior, quam egomet mi? t. t.
Sat sapio; satis, in rem quae sint meam, ego conspicio mihi. t. t. c.
Ly. An id est sapere, ut qui beneficium, benevolentem, repudies?
Le. Nullum beneficium esse duco id, quod, quoi facias, non placet.
Scio ego et sentio ipse, quid agam, nec modo se officium migrat,
Nec tuis depellor dictis, quin rumori serviam.
Ly. Quid ais? nam retineri nequeo, quin dicam ea, quae promeres.
Itane tandem tibi maiores famam tradiderunt tui.

595. V.: *Haud illi euscheme*, quod ineptum. Pal.: *Haud inuscce mea*, et similiter vet. cod. Camerar. 598. V.: *tuam*. Frustra Lamb. *gloriam aut famam*. 603. Libri et minus eleganter, et temere mutato metro: *Q: b. cum sim*. 604. V.: *Quid m. f.?* Corr. Acid. 605. V.: *Tu*. 607. Libri: *benevolente*. Lamb. Par. Herm.: *a benevolente*. 609. Sic Pal. et scripti. V.: *neque a me off. m.*

Ut virtute eorum anteparta per flagitium perderes,
Atque honoris posterorum tuorum ut vendax fieres?
Tibi paterque avosque facilem fecit et planam viam
Ad quaerundum honorem; tu fecisti, ut difficilis foret,
Culpa maxuma et desidia tuisque stultis moribus.
Praeoptavisti, amorem virtuti ut tuom praeponeres;
Nunc te hoc pacto credis posse obtegere errata? Ah, non ita est!
Cape, sis, virtutem animo et corde expelle desidiam tuo.
In foro operam amicis da; haud in lecto amicae, ut solitus es.
Atque agrum istum tibi relinqui ego ob eam rem enixe expeto,
Ut tibi sit, qui te conrigere possis: ne omnino inopiam
Cives obiectare possint tibi, quos tu inimicos habes.
Le. Omnia ego istaec, quae tu dixti, scio. Vel exsignavero,
Ut rem patriam et maiorum meum foedarim gloriam.
Scibam, ut esse me deceret; facere non quibam miser;
Ita, vi Veneris victus, captus otio, in fraudem incidi;
Et tibi nunc, proinde ac merere, summas habeo gratias.
Ly. At operam sic perire meam et te haec dicta corde spernere, i. t.
Perpeti nequeo; simul me piget, pudere te parum; t. t. c.
Et postremo, nisi me auscultas atque hoc, ut dico, facis:
Tute pone te latebis facile, ne inveniat te honor;
In occulto iacebis, quom te maxume clarum voles. i. t.
Pernovi equidem, Lesbonice, tuom admodum imperitum ingenium; t. t.
Scio, te sponte non tuapte errasse, sed amorem tibi t. t. c.
Pectus obscurasse. Atque ipse amoris teneo omnis vias.
Ita amor est, balista ut iacitur: nil sic celere est neque volat;
Atque is mores hominum moros et morosos efficit:
Minus placet, mage quod suadetur; quod dissuadetur, placet.
Quom inopia est: cupias; quando eius copia est: tum non velis;
Ille, qui aspellit, is conpellit; ille, qui consuadet, vetat.
Insanum est malum indu hospitium devorti ad Cupidinem.
Sed te moneo, hoc etiam atque etiam ut reputes, quid facere expetas.
Si istuc, ut conari facis indicium: tuom incendes genus.

614. V.: *A. honori p. t. ut vindex f.?* 617. V.: *maxume.* 625. Sic Pal., nisi quod habet *dixisti.* Vulgo: *quae dixisti.* 627. Libri: *Sciebam.* 628. Sic edd. vett. V.: *vinctus.* 643. V.: *in hosp.* 645. V.: *Si i., ut conare, f. i.*

Tum igitur tibi aquae erit cupido, genus qui restinguas tuom.
At qui erit? — Si nactus: proinde ut corde amantes sunt cati,
Ne scintillam quidem relinques, genus qui congliscat tuom.
Le. Facile est inventu: datur ignis, tametsi ab inimicis petas.
Sed tu, obiurgans me a peccatis, rapis deteriorem in viam:
Meam vis sororem tibi dem; suades, sine dote. Hoc non convenit, i. t.
Me, qui abusus tantam sum rem patriam, porro in divitiis
Esse agrumque habere, egere illam autem: ut merito me oderit.
Nunquam alienis gravis erit, qui suis se concinnat levem.
Sicut dixi, faciam. Nolo, te iactari diutius.
Ly. Tanto meliust, te sororis causa egestatem exsequi?
Atque eum agrum me habere, quam te, tua qui toleres moenia?
Le. Nolo ego, mihi te tam prospicere, qui meam egestatem leves;
Sed, ut inops infamis ne sim: ne mi hanc famam differant,
Me germanam meam sororem in concubinatum tibi
Sic sine dote dedidisse, mage quam in matrimonium.
Quis me inprobior perhibeatur esse? Haec famigeratio
Te honestet, me conlutulet, si sine dote duxeris.
Tibi sit emolumentum honoris; mihi, quod obiectent, siet.
Ly. Quid? te dictatorem censes fore, si abs te agrum acceperim?
Le. Neque volo neque postulo neque censeo: verum tamen
Is honos est homini pudico, meminisse officium suom.
Ly. Scio equidem te, animatus ut sis studio; subolet, sentio:
Id agis, ut, ubi adfinitatem inter nos nostram adstrinxeris
Atque eum agrum dederis nec quidquam hic tibi sit, qui vitam colas,
Ecfugias ex urbe inanis, profugus patriam, cognatos, t. t.
Deseras, adfinitatem, amicos, factis nuptiis. t. t. c.
Mea opera hinc proterritum te meaque avaritia autument.
Id me conmissurum, ut patiar fieri, ne animum induxeris.
St. Non enim possum, quin exclamem: Euge! Euge, Lysiteles, πάλιν!

647. V.: *Atque erit, si nactus, proinde etc.* 661. V.: *dedisse.* Corr. Cam. Sic et Herm. 665. Sic Pal. hoc loco: nam versus 662, 663, 664 etiam post 674 ibi leguntur inculcati, ubi quidem is quoque liber ostendit vulgatam hanc scripturam *me autem.* 668. Sic Pal. Mediol. a. 1500. Pal. proprie: *ut sistudio.* V.: — *ut sis: video, sub., sent. Studio*, de industria, data opera.

Facile palmam habes; hic victus. Vicit tua comoedia. —
Hic agit magis ex argumento et versus meliores facit.
Etiam ob stultitiam tuam te tueris? Multam abomina.
Le. Tibi quid interpellatio aut in concilium huc accessio est? i. t.
St. Eodem pacto, quo huc accessi, abscessero. Le. I hac mecum domum,
Lysiteles: ibi de istis rebus plura fabulabimur. t. t. c.
Ly. Nihil ego in occulto agere soleo. Meus ut animust, eloquar:
Si mihi tua soror, ut ego aequom censeo, ita nuptum datur
Sine dote, neque tu hinc abiturus: quod meum erit, id erit tuom;
Sin aliter animatus es: bene, quod agas, eveniat tibi:
Tibi ego amicus nunquam ero alio pacto. Sic sententia est.
St. Abiit, hercle ille quidem. Ecquid audis, Lysiteles? Ego te volo. i. t.
Hic quoque abiit. Stasime, restas solus. Quid ego nunc agam, t. t. c.
Nisi ut sarcinam constringam et clypeum ad dorsum adcommodem,
Soccis fulmentas suppingi iubeam? Non sisti potest:
Video, caculam militarem me futurum haud longius,
Ut aliquem ad regem in saginam herus se coniexit meus.
Credo ad summos bellatores acrem — fugitorem fore,
Et capturum spolia ibi — illum, qui hero advorsus venerit;
Egomet autem, quom extemplo arcum sumsero mi et pharetram et sagittas, t. t.
Cassidem in caput, — dormibo placide indu tabernaculo. t. t. c.
Ad forum ibo: nudius sextus quoi talentum mutuom
Dedi, reposcam: ut habeam, mecum quod feram, viaticum. i. t.

MEGARONIDES. CALLICLES.

Me. Ut mihi rem narras, Callicles, nullo modo i. s. III, 3.
Pote fieri prorsus, quin dos detur virgini.
Cl. Namque hercle honeste fieri ferme non potest,
Ut eam perpetiar ire in matrimonium
Sine dote, quom eius rem penes me habeam domi.
Me. Paranda dos domi est; nisi expectare vis,

686. Pal.: *tibi ago am. nunquam tibi ero m. p.* 688. V.: *H. q. hinc ab.* 692. *Ut*, postquam. Sic Gruter. V.: *Aut aliquem. Coniexit* debetur Pareo: Libri: *conixit.* 694. V.: *pul. meo hero.* 700. V.: *Potest.* 704. Vo.: *Parata.*

Ut eam sine dote frater nuptum conlocet,
Post adeas tute Philtonem et dotem dare
Te ei dicas: facere id eius ob amicitiam patris.
Verum hoc ego vereor, ne istaec pollicitatio
Te in crimen populo ponat atque infamiam.
Non temere dicant te benignum virgini:
Datam tibi dotem, ei quam dares, eius a patre;
Ex ea te largitari neque ita, ut sit data,
Columem te sistere illi et detraxe autument.
Nunc si opperiri vis adventum Charmidis;
Perlongum est; huic ducendi interea abscesserit
Lubido; atque ea conditio hic vel primaria est.
CA. Nam hercle omnia istaec veniunt in mentem mihi.
ME. Vide, si hoc utibile magis atque in rem deputas,
Ut adeas Lesbonicum edoctum, ut res se habet.
CA. Ut ego nunc adulescenti thesaurum indicem
Indomito, pleno amoris ac lasciviae?
Minume, minume hercle vero! nam certo scio:
Locum quoque illum omnem, ubi situst, comederit,
Quem fodere metuo: sonitum ne ille exaudiat:
Ne ipsam rem indaget, dotem dare si dixerim.
ME. Quo pacto ergo? CA. Igitur clam dos depromi potest,
Dum occasio ei re reperiatur; interim
Ab homine amico alicunde argentum rogem.
ME. Potin' est ab amico alicunde exorari? CA. Potest.
ME. Gerrae! nae tu illud verbum actutum inveneris:
„Mihi quidem hercle non est, quod dem mutuom."
CA. Malum hercle — ut verum dicas, quam ut des mutuom.
ME. Sed vide consilium, si placet. CA. Quid consili est?
ME. Scitum, ut ego opinor, consilium inveni. CA. Quid est?
ME. Homo conducatur aliquis iam quantum potest
Ignota facie, quae non visitata sit,
Quasi sit peregrinus. CA. Quid is scit facere postea?
ME. Is homo exornetur graphice in peregrinum modum,
Quasi ad adulescentem a patre ex Seleucia
Veniat; salutem ei nuntiet verbis patris:
Illum bene gerere rem et valere et vivere,

712. V.: *E. e. larg. te illi, neque* etc. 713. Sic vett., nisi quod Pal. ostendit *columen.* 715. Sic vett. V. secundum Scioppium: *ducenti.* 716. Versus repertus in codice Ambros. Legitur autem ibi *huic* pro *hic*, quod ipsa sententia exposcit. 717. Idem liber: *Eadem omnia i. v. i. m. m.* 719. V.: *Ut adeam.* Corr. Acid. V. quoque: *edoceam.* 725. V.: *Neu.* Corr. Herm. 732. V.: *Malim.* Intelligendum *potius*, ut saepe. 735 — 747. hoc ordine leguntur: 735, 737, 738, 736, 744, 739 — 743, 745, 746, 747. Versu 736 *facie* sumsi a Sarraceno. V.: *facies.*

Et eum rediturum actutum. Ferat epistolas
Duas; eas nos consignemus, quasi sint a patre.
Ca. Falsidicum confidentem! — Quid tum postea?
Me. Det alteram illi, alteram dicat tibi
Dare sese velle . . . . Ca. Perge porro dicere.
Me. Seque aurum ferre virgini dotem a patre
Dicat; patremque id iussisse aurum tibi dare.
Tenes iam? Ca. Propemodo, atque ausculto perlubens.
Me. Tum tu igitur demum adulescenti aurum dabis,
Ubi erit locata virgo in matrimonium, ...
Ca. Scite hercle sane hoc! Me. Ubi thesaurum ecfoderis,
Suspicionem ab adulescente amoveris:
Censebit, aurum esse a patre adlatum tibi;
Tu de thesauro sumes. Ca. Satis scite et probe;
Quamquam hoc me aetatis sycophantari pudet.
Sed epistolas quando obsignatas adferet,
Si quidem obsignatas attulerit epistolas:
Nonne arbitraris, tum adulescentem anuli
Paterni signum nosse? Me. Etiam tu taces?
Sexcentae ad eam rem causae possunt conligi:
Quem habivit, perdidit; alium post fecit novom.
Iam si obsignatas non feret: dici hoc potest,
Apud portitorem eas resignatas sibi
Inspectasque esse. In huiusmodi negotio
Diem sermone terere, segnities mera est.
Quamvis sermones possunt longi texier.
Abi ad thesaurum iam confestim clanculum;
Servos, ancillas, amove; atque audin'? Ca. Quid est?
Me. Uxorem ipsam quoque hanc rem uti celes face:
Nam pol tacere nunquam quidquam est quod queat.
Quid nunc stas? quin te hinc amoves et demoves?
Aperi; deprome inde, auri ad hanc rem quod sat est;
Continuo operito denuo; sed clanculum,
Sicut praecepi; cunctos exturba aedibus.
Ca. Ita faciam. Me. At enim nimis longo sermone utimur:
Diem conficimus, quod iam properato est opus.
Nihil est, de signo quod vereare. Me vide.
Lepida illa est causa, ut conmemoravi, dicere,
Apud portitores esse inspectas. Denique
Diei tempus non vides? quid illunc putas
Natura illa atque ingenio? Iamdudum ebriust:
Quidvis probari poterit. Tum, quod maxumum est,

745. Sic vett. V.: *dicat alteram*, numeris quidem minus probis. 750. Sic Pal. V.: *id adul.* 759. *tum*: V.: *eum.* 760. Sic Pal. et vett. V.: *novisse?* 762. V.: *Illum, quem habuit, perdidit etc.*

Adferre, non petere hic se dicet. CA. Iam sat est.
ME. Ego scycophantam iam conduco de foro,
Epistolasque etiam consignabo duas,
Eumque ad adulescentem meditatum probe
Huc mittam. CA. Eo ego igitur intro ad officium meum.
Tu istuc age. ME. Actum reddam. Nugax sum, nisi!

C H A R M I D E S.

Salsipotenti et multipotenti Iovis fratri aetherei, Neptuno, t. t. IV, 1.
Laetus, lubens, laudes ago gratas gratisque habeo et fluctibus salsis,
Quos penes omnis boni potestas mei quidem fuit et meae vitae,
Quom suis me ex locis in patriam urbis cunam reducem faciunt.
Atque tibi ego, Neptune, ante alios deos gratis ago et habeo summas:
Nam te omnes saevomque severumque avidis moribus conmemorant,
Spurcificum, inmanem, intolerandum, vesanum; e g o contra opera expertus:
Nam pol placido te et clementi meo usque modo, ut volui, usus in alto.
Atque hanc gloriam tuam ante auribus nobilem iam acceperam ad homines:
Pauperibus te parcere solitum, divites damnare atque domare.
Abi, laudo: scis ordine, ut aequom est tractare homines. Hoc dis dignum est:
Semper mendicis modesti sint. t. d. h.

786. V. *Ep. iam c. d.* 789. MSS.: *nugaces sunt nisi.* Vulgo haec non leguntur. 790. *aetherei.* Libri: *et Nerei Neptuni.* 791, 792. V.: *L. l. l. ago, et grates gratiasque h. et f. s. Quos p. mei pot., bonis meis quid foret, et m. v.*, nec iuvant scripti, quorum Pal. haec habet: *Quom p. me pot. b. mis q. f. et m. v.* 793. Scripti: *Q. s. me ex l. in p. urbis cumam r.* (Pal.: *redeunt*) *f.* V.: *in p. urbisque moenia r. f.* *Cuna* legitur apud Prudentium. *Cunam*, incunabula. 794. V.: *Atque ego, Nept. tibi ante al. d. gratias ago atque hab. s.* 795. V.: *atque avidis.* 796. Supplem. Hermann. 797. V.: *usus sum in a.* 798. V.: *A. h. tuam glor. iam ante aur. acc., et nobiles apud hom.* *Nobilem* legendum esse vidit Brant. 801. Sic libri, nisi quod Pal. habet *sunt.* Sed vereor, ut haec incorruptae sint fidei. Fortasse Plautus dederat: *Semper medici sint modesti:* nam medici quoque *tractare* hominum corpora dicuntur; quorum medicorum ars comparari per iocum videtur cum divina potentia.

Fidus fuisti; infidum esse iterant: nam absque foret te, sat scio in alto t. t.
Distraxissent disque tulissent tui satellites me miserum
Foede bonaque item omnia una mecum caeruleos per campos
Passim: ita iam quasi canes, haud secus, turbines navem circumstabant
Venti; imbres fluctusque atque procellae infensae frangere malum, t. t.
Ruere antennas, scindere vela, ni tua propitia foret praesto
Pax. — Apage a me, sis! dehinc certum est me otio dare (satis partum habeo),
Quibus aerumnis deluctavi, filio dum divitias quaero.
Sed quis hic est, qui in plateam ingreditur cum novo ornatu specieque?
Simitu pol, quamquam domum cupio, hic opperiar, quam gerat rem.

SYCOPHANTA. CHARMIDES.

Sy. Huic ego die nomen Trinumo faciam: nam ego operam meam t. t. c. IV, 2.
Tribus nummis hodie locavi ad artis nugatorias.
Advenio ex Seleucia Macedonia Asia atque Arabia,
Quas ego neque oculis nec pedibus unquam usurpavi meis.
Viden', egestas quid negoti dat homini misero mali,
Qui ego nunc subigor, trium numorum causa ut has epistolas
Dicam ab eo homine me accepisse, quem ego, qui sit homo, nescio
Neque novi neque, natus necne is fuerit, id solide scio?
Ch. Pol hic quidem fungino genere est: capite se totum tegit. i. t.
Illurica facies videtur hominis; eo ornatu advenit. t. t. c.
Sy. Ille, qui me conduxit, ubi conduxit, abduxit domum;
Quae voluit, mihi dixit, docuit et praemonstravit prius,
Quomodo quidque agerem. Nunc adeo si quid ego addidero amplius:
Eo conductor melius de me nugas conciliaverit.
Ut ille me exornavit, ita sum ornatus. Argentum hoc facit. i. t.

808. V.: *Apage me sis. deinde hinc certum'st otio me dare* etc. *Ap. a me* dedit secundum Acidalium Herm. *Deinde hinc* nihil aliud est quam *dehinc*, siquidem recta vitiosis adscribere, his non deletis, solent librarii. 811. V.: *simul*, laborante quidem versu.

Ipse ornamenta a chorago haec sumsit suo periculo; t. t. c.
Nunc ego si potero ornamentis hominem circumducere,
Dabo operam: ut me esse ipsum plane sycophantam sentiat,
Ch. Quam mage specto, minus placet mi haec hominis facies. Mira sunt,
Ni illic homo est aut dormitator aut sector zonarius.
Loca contemplat, circumspectat sese atque aedis noscitat:
Credo edepol, quo nox furatum veniat, speculatur loca.
Magis lubido est observare, quid agat; ei re operam dabo.
Sy. Has regiones demonstravit mi ille conductor meus;
Apud illas aedis sistendae mihi sunt sycophantiae.
Foris pultabo. Ch. Ad nostras aedis hic quidem habet rectam viam: i. t.
Hercle opinor mi advenienti hac noctu agitandum est vigilias. t. t. c.
Sy. Aperite hoc, aperite! Heus, ecqui his foribus tutelam gerit?
Ch. Quid, adulescens, quaeris? quid vis? quid istas pultas? Sy. Heus, senex,
Census quom sum, iuratori recte rationem dedi.
Lesbonicum hic adulescentem quaero, in his regionibus
Ubi habitet, et item alterum ad istanc capitis albitudinem;
Calliclem aiebat vocari, qui has mihi dedit epistolas.
Ch. Meum gnatum hic quidem Lesbonicum quaerit et amicum meum,
Quoi ego liberosque bonaque conmendavi, Calliclem.
Sy. Fac me, si scis, certiorem, hice homines ubi habitent, pater.
Ch. Quid eos quaeris aut quis es aut unde es aut unde advenis?
Sy. Multa simul rogitas: nescio quid expediam potissumum.
Si unumquidquid singillatim et placide percontabere:
Et meum nomen et mea facta et itinera ego faxo scias.
Ch. Faciam ita, ut vis. Agedum, nomen primum tuom memora mihi.
Sy. Magnum facinus incipissis petere. Ch. Quid ita? Sy. Quia, pater,
Ante lucem si ire occipias a meo primo nomine,
Concubium sit noctis, priusquam ad postumum perveneris.
Ch. Opus facto est viatico ad tuom nomen, ut tu praedicas.

833. Libri: *mox.* Cf. Rud. 530. 839. V.: *ecquis.* 840. Ita vett. edd. Herm. V.: *Heu.* 841. Supplevit Acid. 850. V.: *Sin.* 855. V.: *ad postremum perv.* 856. Vett.: *O. f. est et viat.* V.: *O. face est et v.*

Sy. Est minusculum alterum, quasi vasculum vinarium.
Ch. Hic homo solide sycophanta est. Quid ais tu, adulescens? Sy. Quid est?
Ch. Eloquere, isti tibi quid homines debent, quos tu quaeritas?
Sy. Pater istius adulescentis dedit has duas mi epistolas
Lesbonici. Is mi est amicus. Ch. Teneo hunc manufestarium!
Me sibi epistolas dedisse dicit! Ludam hominem probe!
Sy. Ita ut occepi, si animum advortas, dicam. Ch. Dabo operam tibi.
Sy. Hanc me iussit Lesbonico, gnato suo, dare epistolam;
Et item hanc alteram suo amico Callicli iussit dare.
Ch. Mihi quoque edepol, quom hic nugatur, contra nugari lubet. —
Ubi ipse erat? Sy. Bene rem gerebat. Ch. Ergo ubi? Sy. In Seleucia. i. t.
Ch. Ab ipson' istas accepisti? Sy. E manibus dedit mi ipse in manus.
Ch. Qua facie est homo? Sy. Sesquipede quidam est quam tu longior. t. t. c.
Ch. Haeret haec res, si quidem ego absens sum quam praesens longior.
Novistin' hominem? Sy. Ridicule rogitas, quocum una cibum
Capere soleo. Ch. Quod ei est nomen? Sy. Quod edepol homini probo.
Ch. Lubet audire! Sy. Illi edepol — illi — illi — Vae misero mihi!
Ch. Quid est negoti? Sy. Devoravi nomen inprudens modo. i. t.
Ch. Non placet, qui amicos intra dentis conclusos habet. t. t. c.
Sy. Atque etiam modo vorsabatur mi in labris primoribus.
Ch. Temperi huic hodie anteveni. Sy. Teneor manufesto miser!
Ch. Iamne conmentatus nomen? Sy. Deum hercle me atque hominum pudet!
Ch. Vide, homo, ut hominem noveris. Sy. Tamquam me. Fieri istuc solet:
Quod manu teneas atque oculis videas, id desideres

861. V. *Is* abest. Sed vet. cod. Camer. et in rasura etiam Decurt.: *Lesbonicis*. Recte Par. et Herm.: *Is mi est am.* 869. *quidam.* MSS.: *quiddam.* V.: *quidem.* 872. V.: *Quid.* 880. V. *in manu;* sed *in* ortum haud dubie ex *m* littera sequente, ut saepe factum est.

Litteris reconminiscar. C est principium nomini.
Ch. Callias? Sy. Non est. Ch. Callippus? Sy. Non est. Ch. Callidemides?
Sy. Non est. Ch. Callinicus? Sy. Non est. Ch. Callimarchus? Sy. Nihil agis;
Neque adeo edepol floccifacio, quando egomet memini mihi.
Ch. At enim multi Lesbonici sunt hic: nisi nomen patris
Dices, non monstrare istos possum homines, quos tu quaeritas.
Quod ad exemplum est, coniectura si reperire possumus?
Sy. Ad hoc exemplum est: Ch — . Ch. An Chares? an Charmadas? num Charmides?
Sy. Hem, istuc erit! Qui istum di perdant! Ch. Dixi ego iamdudum tibi: i. t.
Bene te potius dicere aequom est homini amico, quam male. t. t. c.
Sy. Satin' intra labra atque dentis latuit vir minumi preti?
Ch. Ne male loquere absenti amico. Sy. Quid ergo ille ignavissumus
Mihi latitabat? Ch. Si adpellasses, respondisset, nomine.
Sed ipse ubi est? Sy. Pol eum reliqui ad Rhadaman Cecropia in insula. i. t.
Ch. Qui homo est me insipientior, qui, ipse egomet ubi sim, quaeritem? t. t. c.
Sed nil disconducit huic re? — Quid ais? quid hoc, quod te rogo?
Quos locos adisti? Sy. Nimium mirimodis mirabiles.
Ch. Lubet audire, nisi molestum est. Sy. Quin discupio dicere.
Omnium primum in Pontum advecti ad Arabiam terram sumus.
Ch. Eho, an etiam Arabia est in Ponto? Sy. Est. Non illa, ubi thus gignitur;

882. *Callias* secundum Palmerium dedit Herm. Libri: *Callicias*, quod nomen, inauditum Graecis, ortum videtur ex *Callias*, cum librarios, *Callias* pro eo, quod scripserat, *Callia*, legendum esse significaret. 888. Pal. et vett.: *Ad hoc exemplum est An chares an charmides min charmides.* V.: *Ad h. e. est, Char.* (H. *an Chares? an Charidemus? num Charmides?* in quibus Palmerii istud *Char* a metro versûs trochaici repudiatur; quod autem Acidalio placebat aliquando, *Charidemus*, nomini Charmidis longe dissimilius est nomen quam Charmadae, quod posui, ne bis idem diceret senex. 892. Libri: *loquare.* 894. V.: *S. i. u. est?* Syc. *pol illum rel. ad Rhadamantem in Cecropia insula.* De posito a me nomine *Rhadaman* a Rhadamas, quod libere Plautus finxit, conveniens illud quidem metro, vid. Charis. pag. 8. Putsch. 896. V.: — *huic rei. quid ais?* Syc. *quid?* Ch. *hoc te rogo.* Pal., Camerar. aliique, ut nos. 897. Libri: *miris modis.* Corr. Herm. 900. Sic vett. V.: *Non illaec, ubi tus g.*

Sed ubi absinthium fit atque cunila gallinacea.
Ch. Nimium graphicum hunc nugatorem! Sed ego sum insipientior,
Qui egomet, unde redeam, hunc rogitem, quae ego sciam atque hic nesciat;
Nisi quia lubet experiri, quo evasurust denique.
Quid tibi nomen est, adulescens? Sy. Pax, id est nomen mihi;
Hoc cotidianum est. Ch. Edepol nomen nugatorium!
Quasi dicas, si quid crediderim tibi: pax! periisse eloco.
Sed quid ais? quo inde isti porro? Sy. Si animum advortas: eloquar.
Ad caput amnis, quod de coelo exoritur sub solio Iovis.
Ch. Sub solio Iovis? Sy. Ita dico. Ch. E coelo? Sy. Atque e medio quidem.
Ch. Eho, an etiam in coelum escendisti? Sy. Imo horiola advecti sumus
Usque aqua advorsa per amnem. Ch. Eho, an etiam vidisti Iovem,
Callide? Sy. Isse ad villam aiebant servis depromtum cibum.
Mando porro.... Ch. Deinde porro nolo quidquam praedices,
Sy. Ego vero hercle. Ch. Si es molestus? nam pudicum neminem
Se praebere oportet, qui abs terra ad coelum pervenerit?
Sy. Dimittam, ut te velle video. Sed monstra hosce homines mihi,
Quos ego quaero, quibus me oportet has deferre epistolas.
Ch. Quid ais tu nunc? si forte ipsum Charmidem conspexeris
Illum, quem istas tibi dedisse conmemoras epistolas,
Norisne hominem? Sy. Nae tu me edepol arbitrare beluam,
Qui quidem non novisse possim, quicum aetatem exegerim.
An ille tam esset stultus, qui mihi mille numum crederet i. t.
Philippeum, quod me aurum deferre iussit ad gnatum suom
Atque ad amicum Calliclem, quoi rem aibat mandasse hic suam? t. t. c.

908. Pal.: *aduortes.* 913. Pal.: *Iovem calliclis ad uillam.* Vet. cod. Camerar.: *Callicli se ad v.* Priscae edd.: *Callidis ad v.* Vulgo, secundum Acidalium: Syc. *Alii dii isse ad v.* 914. MSS.: *Mande porro.* Vett. edd.: *Mandere p.* Vulgo secund. Camerar.: *Deinde porro.* Scripsi *Mando porro,* Mando porro tuae memoriae, quod magnificum novarum nugarum principium non ferens senex hominem interpellat. 915. Pal.: *o hercle sies mol.* V.: *Ego hercle, si es molestus.* Ch. *nam p. n.* 916. Vet. cod. Camerar.: *Pre oportet.* Decurt.: *ere op.* V.: *Esse op.* 918. Libri: *Hos ego qu.*, quod emendavit Acid. 919. V.: *eum ipsum.* Sequitur *illum*. 921. V.: *Noverisne.*

Mihi concrederet, ni me illic et ego illunc nossem adprobe?
CH. Enimvero ego nunc sycophantae huic sycophantari volo,
Si hunc possum illo mille numum Philippeo circumducere,
Quod sibi me dedisse dixit. Quem ego, qui sit homo, nescio,
Neque oculis ante hunc diem unquam vidi, eine aurum crederem,
Quoi, si capitis res sit, numum nunquam credam plumbeum?
Aggrediundust hic homo mi astu. — Heus, Pax, te tribus verbis volo.
SY. Vel trecentis. CH. Haben' aurum id, quod accepisti a Charmide?
SY. Atque etiam Philippeum, numeratum illius in mensa manu,
Mille numum. CH. Nempe ab ipso id accepisti Charmide?
SY. Mirum, quin ab avo eius aut proavo acciperem, qui sunt mortui.
CH. Adulescens, cedodum istuc aurum mihi. SY. Quod ego aurum dem tibi?
CH. Quod a me te accepisse fassus. SY. Abs te accepisse? CH. Ita loquor. i. t.
SY. Quis tu homo es? CH. Qui mille numum tibi dedi, ego sum Charmides. t. t. c.
SY. Neque edepol tu is es neque hodie is unquam eris, huic auro quidem.
Abi, sis, nugator: nugari nugatori postulas,
CH. Charmides ego sum. SY. Nequidquam hercle es: nam nihil auri fero.
Nimis argute obrepsisti in eapse occasiuncula:
Postquam ego me aurum ferre dixi, post tu factus Charmides;
Prius non tu eras, quam auri feci mentionem. Nihil agis.
Proin' tu te itidem rursum, ut Charmidatus es, recharmida.
CH. Quis ego sum igitur, si quidem is non sum, qui sum? SY. Quid id ad me attinet?
Dum ille ne sis, quem esse ego nolo, sis mea causa quilubet.
Prius non is eras, qui eras; nunc is factus, qui tum non eras.
CH. Age, si quid agis. SY. Quid ego agam? CH. Aurum redde. SY. Dormitas, senex.
CH. Fassus, Charmidem dedisse aurum tibi? SY. Scriptum quidem.
CH. Properas, an non, propere abire actutum ab his regionibus,

926. Sic vett. V.: *nisi.* 928. V. *Philippo.* 931. V.: *sict.* 933. V. gratis asperato versu: *haben' tu id aur.* 952. V.: *an non properas.*

Dormitator, priusquam ego hic te iubeo mulcari male?
Sy. Quamobrem? Ch. Quia illunc, quem ementitus es, ego sum ipsus Charmides,
Quem tibi epistolas dedisse aiebas. Sy. Eho, quaeso, an tu is es?
Ch. Is enimvero sum. Sy. Ain' tu tandem? is ipsus es? Ch. Aio. Sy. Ipsus es?
Ch. Ipsus, inquam, Charmides sum. Sy. Ergo ipsus es? Ch. Ipsissumus.
Abin' hinc ab oculis? Sy. Enimvero serio quoniam advenis: —
Vapulabis meo arbitratu et novorum aedilium.
Ch. At etiam maledicis? Sy. Imo, salvos quandoquidem advenis.
Di te perdant, si te floccifacio, an periisses prius!
Ego ob hanc operam argentum accepi; te macto infortunio.
Ceterum, qui sis, qui non sis, floccum non interduim.
Ibo ad illunc; renuntiabo, qui mihi tris numos dedit:
Ut sciat, se perdidisse. Ego abeo. Male vive et vale.
Quod di te omnes advenientem peregre perdant, Charmides!
Ch. Postquam ille hinc abiit: post loquendi libere i. s.
Videtur tempus venisse atque occasio.
Iamdudum meum ille pectus pungit aculeus,
Quid illi negoti fuerit ante aedis meas:
Nam epistola illa mihi concenturiat metum
In corde et, illud mille numum quam rem agat.
Nunquam edepol temere tinnit tintinnabulum;
Nisi qui illud tractat aut movet mutum: tacet.
Sed quis hic est, qui huc in plateam cursuram incipit?
Lubet observare, quid agat. Huc concessero.

STASIMUS. CHARMIDES.

St. Stasime, fac te propere celerem! recipe te ad dominum domum: t. t. c. IV, 3.
Ne subito metus exoriatur scapulis stultitia tua!
Adde gradum! adpropera! iamdudum factum est, quom abisti domo.
Cave, sis, tibi, ne bubuli in te cottabi crebri crepent.
Si aberis ab heri quaestione! ne destiteris currere!

956. Sic Pal. V.: *is ipsusne es?* 957. V.: *E. ipsusne es?* 958. V.: *Abi*, quod correxit Herm. Legitur quoque vulgo *scro*, sed in Pal. et vett. *serio.* 963. Pal.: *Sed erum qui sis.* Neque aliter vet. cod. Camerar. 974. Sic vett. edd. MSS.: *mutus tacet.* V.: *mutum est, tacet.* 981. V. *abieris*, quasi non abiisset Stasimus, qui iam redit domum.

Ecce hominem te, Stasime, nihili! satin' in thermopolio
Condalium es oblitus, postquam thermopotas gutturem?
Recipe te et recurre petere re recenti! Ch. Huic, quisquis est,
Curculio est exercitor; is hunc hominem cursuram docet.
St. Quid, homo nihili? non pudet te? tribusne te poteriis
Memoriae esse oblitum? an vero, quia cum frugi hominibus
Ibi bibisti, qui ab alieno facile cohiberent manus?
Theruchus fuit, Cerconicus, Crinus, Cercobolus, Collabus,
Oculicrepidae, cruricrepidae, ferriteri, mastigiae.
Inter eosne homines condalium te redipisci postulas,
Quorum heri unus subripuit currenti cursori solum?
Ch. Ita me di ament, graphicum furem! St. Quid ego, quod periit, petam,
Nisi etiam laborem ad damnum adponam epithecam insuper?
Quin tu, quod periit, periisse ducis? Cape vorsoriam!
Recipe te ad herum! Ch. Non fugitivost hic homo: commeminit domi.
St. Utinam veteres mores omnes, veteres parsimoniae,
Maiori hic honori potius essent, quam mores mali!
Ch. Di inmortales, basilica hic quidem facinora inceptat loqui!
Vetera quaerit! Vetera amare hunc, more maiorum, scias.
St. Nam nunc more nihilum faciunt, quod licet, nisi quod lubet;
Ambitio iam more sancta est, libera est a legibus;
Scuta iacere fugereque hostis more habent licentiam;
Petere honorem pro flagitio more fit. Ch. Morem improbum!
St. Strenuos praeterbitare more fit. Ch. Nequam quidem!
St. More leges perduxerunt iam in potestatem suam,
Mage qui sunt obnoxiosae, quam — parentes liberis.

983. Libri versu iugulato: *thermopotasti.* 987. Vulgatum *Memoria* dudum est cum emendavit Guil. 989. Libri *Crinnus.* Corr. Herm. V. quoque: *Cercobulus.* Sed vett. edd.: *Cercobolus*, quod quadrat ad versum. 992. V.: *Quorum eorum unus. Eri* pro *heri* scriptum sic videtur degenerasse. Cf Mil. 59 etc. 994. Vett. et Herm.: *apothecam.* 997. Scripti: *Ut vet. homines* (h. e. *omnes*, quae vocabula misceri solent), *vet. parsimoniae.* Cusi: *Ut vet. mores, vet. p.* Ex utrorumque lectionem meam concinnavi, itaque versum μείουρον redintegravi. 1000. Sic Herm. secundum Douzam Centur. p. 555. V.: *morem.* 1001. V. *mores nihil.* 1005. V.: *praeterire.* Sic alibi Plautus *perbitare* etc. 1006. V.: *Mores.* 1007. V.: *obnoxiosi.*

Eae miserae etiam ad parietem sunt fixae clavis ferreis,
Ubi malos mores adfigi nimio fuerat aequius.
Ch. Lubet adire atque adpellare hunc; verum ausculto perlubens
Et metuo, si conpellabo, ne al am rem occipiat loqui.
St. Neque istis quidquam lege sanctum est. Leges mori serviunt; i. t.
Mores autem rapere properant qua sacrum, qua publicum. t. t. c.
Ch. Hercle istis malam rem magnam moribus dignum est dari!
St. Nonne hoc publice animum advorti? Nam id genus hominum hominibus
Universis est advorsum atque omni populo male facit:
Male fidem servando illis quoque abrogant etiam fidem,
Qui nil meriti: quippe ex eorum ingenio ingenium horum probant.
Si quis mutuom quid dederit: fit pro proprio perditum.
Quom repetas: inimicum amicum beneficio invenias tuo.
Mage si exigere cupias: duarum rerum exoritur optio:
Vel illud, quod credideris, perdas; vel illum amicum amiseris. i. t.
Hoc qui venerit mi in mentem, re ipsa conmonitus modo.
Ch. Meus est hic quidem Stasimus servos: nam ego talentum mutuom
Quod dederam, talento inimicum mi emi, amicum vendidi.
St. Sed ego sum insipientior, qui rebus curem publicis
Potius, quam, id quod proxumum est, meo tergo tutelam geram.
Eo domum. Ch. Heus tu, adsta eloco! audi, heus tu! St. Non sto. Ch. At ego te volo stare. t. t.
St. Quid, si egomet te velle nolo? Ch. Ah, nimium, Stasime, saeviter! t. t. c.
St. Emere meliust, quoi imperes. Ch. Pol ego emi atque argentum dedi;
Sed si non dicto audiens est, quid ago? St. Da magnum malum.

1015. Sic edd. vett. et Herm. Scripti: *hominum omnibus*, quod male propagatum est. 1021. Fort.: *incipias*. 1024. *nam — vendidi*. Male haec tribuuntur Stasimo, cui quid rei est, servo, cum talento? aut, si habet, cur servit? Imo ex eius rei mentione, de qua ipse non semel verba fecerit domi, Charmides agnoscit servum suum. Illud autem, quo commonefactum se morum malorum dicit Stasimus, nihil aliud est quam annulus ipsi modo surreptus. 1031. V.: — *ago? Sta. damnum malum.* Correxit Guil. Quaest. in Trin. cap. 2.

Ch. Bene mones: ita facere certus. St. Nisi quidem es obnoxius.
Ch. Si bonus est: obnoxius sum; sin secus est: faciam, ut iubes.
St. Quid id me attinet, bonisne servis tu utare an malis?
Ch. Quia boni malique in ea re pars tibi est. St. Partem alteram
Tibi permitto; illam alteram ad me, quod boni est, adponito.
Ch. Si meritus: fiet. Sed respice ad me huc: ego sum Charmides.
St. Hem, quis est, qui mentionem facit, homo, hominis optumi?
Ch. Ipse homo optumus. St. Mare, terra, coelum, di, vostram fidem,
Satin' ego oculis plane video? estne ipsus, an non est? Is est!
Certe is est! is est profecto! O mi here exoptatissume,
Salve! Ch. Salve, Stasime. St. Salvom te.... Ch. Scio et credo tibi.
Sed omitte alia; hoc mihi responde. Liberi quid agunt mei,
Quos reliqui hic, filium atque filiam? St. Vivont, valent.
Ch. Nempe uterque? St. Uterque. Ch. Di me salvom et servatum volunt.
Cetera intus otiose percontabor, quae volo.
Eamus intro; sequere. St. Quo tu te agis? Ch. Quonam, nisi domum? i. t.
St. Hiccine nos habitare censes? Ch. Ubinam ego alibi censeam? t. t. c.
St. Iam.... Ch. Quid iam? St. Non sunt nostrae aedes istae. Ch. Quid ego ex te audio?
St. Vendidit tuos natus aedis.... Ch. Perii! St. Praesentariis
Argenti minis numeratis. Ch. Quot? St. Quadraginta. Ch. Occidi!
Quis eas emit? St. Callicles, quoi tuam rem conmendaveras,
Is habitatum huc commigravit nosque exturbavit foras.
Ch. Ubi nunc filius meus habitat? St. Hic in hoc posticulo.
Ch. Male disperii! St. Credidi, aegre tibi id, ubi audisses, fore.

1032. V.: *certum est.* Sed cf. Stasimi responsionem. 1037. V.: *Si eris meritus.* 1043. Ita Iunt. Ald. V.: *Omitto.* 1051. Sic Herm. V.: *Qui eas emit*, quod *κακόφωνον*.

CH. Ego miser minumis vehiculis sum per maria maxuma
Vectus capitali periclo, per praedones plurimos
Me servavi, salvos redii; nunc hic disperii miser
Propter eosdem, quorum causa fui hac aetate exercitus!
Adimit animam mi aegritudo: Stasime, tene me! ST. Visne aquam
Tibi petam? CH. Res quom animum agebat: tum esse obfusam oportuit.

CALLICLES. CHARMIDES. STASIMUS.

CA. Quid hoc hic clamoris audio ante aedis meas? i. s. IV, 4.
CH. O Callicles, o Callicles, o Callicles,
Qualine amico mea conmendavi bona!
CA. Probo et fideli et fido et cum magna fide.
Et salve et salvom te advenisse gaudeo.
CH. Credo omnia istaec, sid ita est, ut praedicas.
Sed qui iste est tuos ornatus? CA. Ego dicam tibi.
Thesaurum ecfodiebam intus dotem, filiae
Tuae quae daretur. Sed narrabo intus tibi
Et hoc et alia: sequere. CH. Stasime! ST. Hem! CH. Strenue
Curre in Piraeum, atque unum curriculum face.
Videbis iam illic navem, qua advecti sumus.
Iubeto Sangarionem, quae imperaverim,
Curare ut ecferantur; et tu ito simul.
Solutum est portitori iam portorium.
ST. Nihil est morae. CH. I, i, ambula! actutum redi!
ST. Illic sum atque hic sum. CA. Sequere tu hac me intro.
CH. Sequor. —
ST. Hic meo hero amicus solus firmus restitit,
Neque demutavit animum de firma fide;
Hic unus, ut ego suspicor, servat fidem,
Quamquam labores multos cepse censeo.

1056. Insulse libri: *Ego miser meis* (Pal. et MSS.: *miserum meis*) *periculis sum per maria maxuma Vectus capitali periculo.* 1068. V.: *Sed quis iste.* 1080 — 1082. Sic vett. edd., nisi quod pro versu 1082 duo in illis leguntur huiusmodi:

Quanquam labores multos
Ob rem eum ego cepisse censeo.

Pal.: *Neque d. an. de f. f. quamquam labores multos*
Sed hic unus ut ego suspicor seruat fidem
Ob rem laboremeum ego cepisse censeo.

L Y S I T E L E S.

Hic homo est hominum omnium praecipuos, voluptatibus gaudiisque antepotens: a. o. V, 1.
Ita commoda, quae cupio, eveniunt; quod ago, adsequitur, subit, subsequitur:
Ita gaudiis gaudia suppeditant. a. d.
Modo me Stasimus, Lesbonici servos, convenit; mihi dixit t. t.
Suom herum peregre huc advenisse. Nunc mi is propere conveniundus:
Ut, quae cum eius filio egi, ei re pater sit fundus potior.
Eo. Sed hae sonitu suo mihi moram obiciunt incommode. t. t. c.

CHARMIDES, CALLICLES. LYSITELES.

Ch. Neque fuit neque erit neque quemquam esse hominum in terra dum arbitror, t. t. c. V, 2.
Quoi fides fidelitasque amicum erga aequiparet suom:
Nam exaedificavisset me ex his aedibus absque te foret.
Ca. Si quid amicum erga bene feci aut consului fideliter:
Non videor meruisse laudem, culpa caruisse arbitror.
Nam beneficium homini proprium, quoi datur, praesumseris;
'Quod datum utendum, id repetundi copia est, quando velis.
Ch. Est ita ut tu dicis. Sed ego hoc nequeo mirari satis,
Eum sororem despondisse suam in tam fortem familiam,
Lysiteli quidem, Philtonis filio. Ly. Enim me nominat.
Ch. Familiam optumam occupavit. Ly. Quid ego cesso hos conloqui?
Sed maneam etiam, opinor: namque hoc commodum orditur loqui.
Ch. Vah! Ca. Quid est? Ch. Oblitus intus dudum tibi sum dicere;
Modo mi advenienti nugator quidam occessit obviam,
Nimis pergraphicus sycophanta; is mille numum se aureum
Meo datu tibi ferre et gnato Lesbonico aibat meo;
Quem ego nec, qui esset, noram, neque eum ante usquam conspexi prius.

1084. *subit* Acidalio debetur V.: *subest*. 1085. V.: *I. g. gaudium suppeditat*, metro nonnihil impedito. 1086. V.: *is mihi d.* 1087. V.: *advenisse Charmidem, Nunc mihi is* etc. 1089. V.: *sed fores hae sonitu s. m. m. obiiciunt i.* MSS.: *obiciunt.* 1095. Pal. et scripti: *N. b. h. pr. quod datur prosumpserit.* Olim cusi *N. b. h. p. quod datur, proprium erit*, V. secundum Camerar.: *N. b., h. p. quod datur, proprium sumpserit.* 1096. V.: *utendum est.* 1097. *nequeo.* Mire MSS.: *metuo.* 1103. V.: *accessit.* Corr. Guil. Quaest. in Pseud. cap. 2.

Sed quid rides? Ca. Meo adlegatu venit, quasi qui aurum mihi
Ferret abs te, quod darem tuae gnatae dotem: ut filius
Tuos, quando illi a me darem, esse adlatum id abs te crederet
Neu qui rem ipsam posset intellegere, thesaurum tuom
Me esse penes, et eum a me lege populi patrium posceret.
Ch. Scite edepol! Ca. Megaronides conmunis hoc meus et tuos
Benevolens conmentust. Ch. Quin nunc laudo consilium et probo.
Ly. Quid ego ineptus, dum sermonem vereor interrumpere,
Solus sto nec, quod conatus sum agere, ago? Homines conloquar.
Ch. Quis hic est, qui huc ad nos incedit? Ly. Charmiden socerum suom
Lysiteles salutat. Ch. Di dent tibi, Lysiteles, quae velis.
Ca. Non ego sum salute dignus? Ly. Imo salve, Callicles.
Hunc priorem aequom est me habere. Tunica propior pallio est.
Ch. Deos volo consilia vostra r e c t a recte vortere.
Filiam meam tibi desponsatam audio. Ly. Nisi tu nevis.
Ch. Imo haud nolo. Ly. Sponden' ergo tuam gnatam uxorem mihi?
Ch. Spondeo et mille auri Philippum dotis. Ly. Dotem nil moror.
Ch. Si illa tibi placet: placenda dos quoque est, quam dat tibi.
Postremo, quod vis, non duces, nisi illud, quod non vis, feres.
Ca. Ius hic orat. Ly. Inpetrabit te advocato atque arbitro.
Istac lege filiam tuam sponden' mi uxorem dari?
Ch. Spondeo. Ca. Et ego spondeo item hoc. Ly. Oh, salvete, adfines mei!
Ch. Atque edepol sunt res, quas propter tibi tamen suscensui.
Ca. Quid ego feci? Ch. Meum conrumpi quia perpessus filium.
Ca. Si id mea voluntate factum est: est, quod mihi suscenseas.

1110. Libri: *N. quis*, quod emendavit Acid. V.: *et thes.* 1111. V.: *atque eum.* 1115. Pal. et priscae edd.: *Qui nunc laudo.* V.: *Quin collaudo.* 1116. Ita Mediol. a. 1500. V.: *Charmidem.* 1128. V.: *idem.*

Sed sine, me hoc abs te inpetrare, quod volo. Ch. Quid id est? Ca. Scies:
Si quid stulte fecit, ut ea missa facias omnia.
Quid caput quassas? Ch. Cruciatur cor mi et metuo. Ca. Quidnam id est?
Ch. Quom ille ita est, ut esse nolo, id crucior; metuo, si tibi
Denegem, quod me oras, ne me te erga leviorem putes.
Miserum est, male promerita (ut merita) seni si ulcisci non licet. —
Non gravabor: faciam ita, ut vis. Ca. Probus es. Eo, ut illum evocem. —
Aperite hoc, aperite propere et Lesbonicum, si domi est,
Foras vocate: ita subitum est, propere quod eum conventum volo. i. t.

LESBONICUS. CHARMIDES. CALLICLES.

Le. Qui homo tam tumultuoso sonitu me subito excivit foras? i. t. V, 5.
Ca. Benevolens tuos atque amicus. Le. Satine salve? dic mihi. t. t. c.
Ca. Recte. Tuom patrem rediisse salvom peregre, gaudeo.
Le. Quis id ait? Ca. Ego. Le. Tun' vidisti? Ca. Et tute item videas licet.
Le. O pater, pater mi, salve! Ch. Salve multum, gnate mi.
Le. Si quid tibi, pater, laboris . . . . Ch. Nihil evenit, ne time;
Bene re gesta salvos redeo. Si tu modo frugi esse vis:
Haec tibi pacta est Calliclaï filia . . . . Le. Ego ducam, pater,

1136. V.: *ne te lev. erga me p.* 1137. Pal.: *Miserumst male promerit aut meritasinis ulc. n. l.* V.: *Miserum'st, m. promerita ut merita, si mihi* (vel *mi*) *ulc. n. l.* Patres audire solent senes in comoediis, suntque fere senes saevi et aegre placabiles. Ceterum hic versus post sequentem legitur in libris. 1140. V.: *evocate.* 1141. V.: *Quis.* 1142. Sic Herm. V.: *Satin'* (vel *Satin' est*, ut Pal. et vett. edd.) *salve?* 1144. V.: *idem.* 1148. V.: *Callicli.* Cf. 329.

Et eam, et si quam aliam iubebis. CH. Quamquam tibi suscensui.
CA. Miseria una uni quidem homini est adfatim. CH. Imo huic parum est:
Nam si pro peccatis centum ducat uxores, parum est.
LE. At iam posthac temperabo. CH. Dicis; si facies modo.
LE. Numquid causa est, quin uxorem cras domum ducam? CA. Optuma est.
Tu in perendinum paratus sis, ut ducas. Plaudite.

1149. V.: *Etiam et si id quam.* 1152. Sic vett. V.: *facias.* 1153. V.: *Optumum est, licet.*

TRUCULENTUS.

ARGUMENTUM.

Tres unam pereunt adolescentes mulierem, i. s.
Rure unus, alter urbe, peregre tertius;
Utque ista ingenti militem tangat bolo,
Clam supposivit sibi clandestino editum.
Vi magna servos est ac trucibus moribus:
Lupae ne rapiant domiui parsimoniam;
Et is tamen mollitur. Miles advenit,
Natique causa dat propensa munera.
Tandem cognoscit omnia compressae pater;
Utque illam ducat, qui vitiarat, convenit;
Suumque is repetit a meretrice subditum.

V. 4. Vulgo: *supposui.* 10. Pal.: *U. litam duc.*

DRAMATIS PERSONAE.

DINARCHUS.
PHRONESIUM.
GETA.
CALLICLES.
ASTAPHIUM.
STRATILAX.
STRATOPHANES.
STRABAX.
ANCILLA.
TONSTRIX.

PROLOGUS.

Perparvam partem postulat Plautus loci i. 1.
De vostris magnis atque amoenis moenibus,
Athenas quo sine arcis pletis conferat.
Quid nunc? daturin' estis, an non? — Adnuont.
Meditor quidem vobis me ablaturum sine mora.
Quid, si ae vostro quidpiam orem? — Abnuont.
Enim hercle in vobis resident mores pristini,
Ad denegandum ut celeri lingua utamini.
Sed hoc agamus, qua huc est ventum gratia.
Athenis tracto, ita ut hoc est proscenium,
Tantisper dum transigemus, hanc comoediam.
Hic habitat mulier, nomine quae est Phronesium;
Haec huius secli mores in se possidet:
Nunquam ab amatore postulat suo id, quod datum est;
Sed reliqüom dat operam ne sit reliqüom
Poscendo atque auferendo, ut mos est mulierum:
Nam omnes id faciunt, quom se amari intellegunt.
Ea se peperisse puerum simulat militi:
Quo citius rem ab eo aufert cum pulvisculo.
Quid multa? Vita sid huic superet mulieri,
Hisce anima etiam ad suam habentiam exterebrabitur.
* * * * * * * * * *

Vers. 3. Scripti: *sine arcus pletis;* edd. principes: *s. arcus peltis;* vulgo, secundum Cam., *s. architectis.* 5. V.: *equidem.* 7. MSS.: *Eum hercle.* V.; *En mehercle.* 10. Sic vett. *Tracto* pertinet ad verba *hanc com.* V.: *Athenae istae sunto, ita.* 15. Ita Cam. V.: *Sed reliquam.* 19. V.: *auferat.* 20, 21. Pal.: *quid multa Superet mulierem hiscum anima adeumhabenti erteteritur.* Vet. cod. Camerar., teste Pareo: *quid multa . Stuic sup. muliere his c. a. ad eum habenti erceteritur.* V. secundum Cam.: *Q. m.? aetas huic si sup. mulieri, Is cum an. ad eam habentiam everrerit.*

DINARCHUS.

Non omnis aetas ad perdiscendum sat est i. s. I, 1.
Amanti, dum id perdiscat, quot pereat modis;
Neque eam rationem eapse unquam edocet Venus,
Quam penes amantum summa summarum redit,
Quot amans exemplis ludificetur, quot modis
Pereat, quotque exoretur exorabulis,
Quot illic blanditiae, quot illic iracundiae
Sunt! quid ubi perclamandum, di vostram fidem! hui,
Quid periurandum est etiam, praeter munera!
Primodum merces annua; is primus bolust.
Ob eam tres noctes dantur. Interea loci
Ad aera aut vinum aut olivom aut triticum
Tentat, benignusne an bonae frugi sies.
Quasi in piscinam rete qui iaculum parat,
(Quando abiit rete pessum: adducit sinum;
Si inretit rete piscis: ne ecfugiant, cavet,
Tumque hic tumque illic inretitos inpedit
Piscis usque adeo, donicum eduxit foras:)
Itidem est amator. Si id, quod oratur, dedit
Atque est benignus potius quam frugi bonae:
Adduntur noctes. Interim ille hamum vorat.
Si semel amoris poculum accepit meri,
Eaque intra pectus se penetravit potio:
Extemplo et ipsus periit et res et fides.
Si iratum est scortum forte amatori suo:
Bis perit amator, ab re atque animo simul;
Sin potius alterum altero est, itidem perit:
Si raras noctis ducit, ab animo perit;
Sin increbravit, ipsus gaudet, res perit.
. . . . . iteca in aedibus lenoniis:
Priusquam unum dederis, centum, quae poscat, parat:

8. Pal.: *sunt quot sui perclamanda.* Vet. cod. Camerar.: *s. quid sui perclamanda,* in quibus illud *sui* fuisse videtur *iui*, h. e. *ibi.* 10. *merces.* V.: *miros.* Divinavit Gron. 11. *dantur.* Vet. cod. Cam.: *dutor.* Decurt.: *tutor.* V.: *utor.* 12. V.: *oleum.* 15. Sic vett. V.: *tum adducit.* 16. Pal. *sinietit rete.* V.: *Sin iecit r.* 17. Ita Ios. Scaliger, nisi quod copulas addidimus. Pal.: *dum huc dum illuc rete or imp.* V.: *D. h. d. i. reti eos imp.* 19. Male libri: *Sed, id* 22. V.: *mere.* 26. Vulgatum *periit* dudum alii correxerunt. 27. Pal.: *sin aliter alteri potius est idem perit.* V.: *sin alter alteri potior e., i. p.* 30. Ita vet. cod. Camerar., nisi quod habet *lenosis.* Decurt. et vett. edd.: *ita et in aed. lenosis.* V., secundum Cam.: *Ita disiplina in aedibus est lenoniis.* Fort. legendum est: Quasi *incitega in aedibus es lenoniis: Priusquam* etc. *Incitega* per iocum, quia crebro ad eam crateremque curritur vini hauriendi causa.

Aut periit aurum, aut conscissa pallula est,
Aut emta ancilla; aut aliquod vasum argenteum,
Aut vasum ahenum aliquod, aut lectus dapsilis,
Aut armariola Graeca, aut aliquid semper est,
Quod petat ea debeatque amans scorto suo.
Atque haec celamus damna nos industria,
Quom rem fidemque nosque nosmet perdimus,
Ne quid parentes neu cognati sentiant;
Quos, quom celamus, si faximus conscios,
Qui nostrae aetati tempestivo temperent,
Unde anteparta demus postpartoribus:
Faxim lenonum et scortorum pausa sit,
Et minus damnosorum hominum, quam nunc sunt, siet:
Nam nunc lenonum et scortorum plus fere
Quam olim muscarum est, quom caletur maxume:
Nam nusquam alibi si sunt, circum argentarias
Scorta et lenōnes quasi sedent quotidie.
Ea nimia est ratio: quippe qui certo scio,
Aeri plus scortorum esse iam quam ponderum.
Quos quidem quam ad rem dicam in argentariis
Referre haberi, nisi pro tabulis, nescio,
Ubi aera perscribantur usuraria
(Accepta dico: expensa ne qui censeat).
Postremo magno in populo, multis hominibus,
Re placida atque otiosa, victis hostibus,
Amare oportet omnis, qui, quod dent, habent.
Nam mi istaec meretrix, quae hic habet, Phronesium
Suom nomen omne ex pectore ecmovit meo.
[Phronesium, nam Phronesis est sapientia.]
Nam me fuisse huic fateor summum atque intumum;
Quod amantis multo pessumum est pecuniae.
Eadem, postquam alium reperit, qui plus daret,
Damnosiorem, me exinde amovit loco,
Quem manifesto odium sibi esse memorabat mala,
Babyloniensem militem. Is nunc dicitur

32. Sic vett. Vulgo: *Aut aurum periit.* 36. *petat ea.* MSS.: *petra.* V.: *pereat.* 37. Iidem: *A. h. cel. nos dammina ind.* V.: *A. h. c. nos damna una ind.* 43. Pal. et vett. edd.: *F. l. et s. plus est Et minus* etc. V.: *F. l. et sc. ut plus est, minus Et minus* etc. 45. V.: *plus est fere.* 48. V. *Scorti lenones.* 52. V.: *habere.* 54. V.: *Accipiat illico* (vett.: *dica*) *expensa, neque censeat.* Corr. Acid. 55. Vett.: *Postremo id* (quod fortasse fuit *postremod*) *magno in pop.* V.: *Postr. in m. p.* 58. V.: *Nam mi haec.* Ista *Phronesium, nam Ph. est sap.* merito damnat, tanquam glossema, G. Canter. Nov. Lectt. 7, 10. 64. MSS.: *qui manifesta ac odiosum sibi esse m. m.* V.: *Quem infestum ac odiosum* etc.

Venturus peregre. Eo nunc conmenta est dolum:
Peperisse simulat sese. Ut me extrudat foras,
Atque ut cum solo pergraecetur milite:
Eo esse simulat militem puero patrem;
Eo isti opus suppositum puerum pessumae.
Mihi verba retur dare sese! An me censuit
Celare se potesse, gravida si foret?
Nam ego Lemno advenio Athenas nudius tertius,
Legatus quo hinc cum publico imperio fui.
Sed haec quis mulier? Astaphium est ancillula.
Cum ea quoque etiam mihi fuit commercium.

ASTAPHIUM. DINARCHUS.

A. Ad foris auscultato atque adserva has aedis: as. 2 ith. I, 2.
Ne qui adventor gravior abeat, atque adveniat,
Neu manus qui attulerit sterilis ad nos intro,
Gravidas foras exportet. Novi ego hominum mores:
Ita nunc adulescentes sunt morati. Quippe
Ut semel adveniunt ad scorta congerrones:
Consulta sunt consilia. Quando intro advenerunt: i. tr. h.
Unus eorum aliquis osculum usque amicae t. tr.
Oggerit. Dum ille agit: ceteri sunt cleptae. as. cr. d. t. d. br.
Sin vident quempiam se adservare: obludunt,
Qui custodes oblectent per ioculum et ludum.
Saepe de nostro edunt, quod fartores faciunt.
Fit pol hoc, et pars spectatorum scitis, apud vos me haud mentiri. t. t.
Ibi est ibus pugnae et virtuti, de praedonibus praedam capere. b. s.
At nos rursum lepide gratiam referimus furibus nostris: t. t.
Nam ipsi vident, quo bona eorum adgerimus as. 2 i. h.
Loci; etiam ultro adgerunt ipsi ad nos.
Di. Me illis quidem haec verbis verberat: nam ego huc dona adcongessi. i. t. c.

77. Sic vett. edd. Etiam Camerarii codex antiquior: *adservas* (Decurt. *servas*) *aed.* V.: *serva.* 78. V. *Ne quis a. g. abeat quam adv.* Vet. cod. Cam.: *Ne q. a. g. abaetat qua adv.* Priscian. autem: De metris com. p. 1326. Putsch.: *ab atque adv.* Locum correxit Herm. in libro de metris. 81. *Quippe.* Libri: *quin ei.* 82. Vett.: *aut senex adv.* V.: *Ut simitu adv.* 85. Pal.: *dum illi agant Sin vident* etc. Sed vet. cod. Cam.: *d. i. agant s̄s̄ ceteri cleptae.* V. secundum Lamb. et Douzam fil.: *Dum illi agunt, quod agunt, sunt cet. cl.* 86. V.: *videant.* 89. Putide et soloece libri: *F. p. h. et p. sp. scitis pol haec vos me h. m.* 92. Vett., in his Pal.: *N. i. v., cum eorum agger. bona loqui. Etiam* etc. V.: *agg. bona: quin etiam* etc. Cf. Most. 932. 94. Vett. *huc*, non *huic*, ut vulgo.

A. Conmemini. Iam pol eumpse ego, si domi erit, mecum adducam.
Di. Heus, manedum, Astaphium, priusquam abis! as. 2 t. h.
A. Qui revocat? Di. Scies: respice huc. A. Quis est?
Di. Vobis qui bona multa esse volt. A. Dato,
Si esse vis. Di. Faxo erunt. Respice huc modo. as. cr. d. t. h.
A. Io, tu enicas me miseram, quisquis es! as. b. d. t. h.
Di. Pessuma, mane! A. I, optume: odiosus es. — as. 2 t. h.
Dinarchusne illic est? Atque is est. as. i. h. i.
Di. Is. Adeas: λυσιτελεῖ. Manum fer contra et pariter gradere. i. t. c.
A. Tibi servio atque sum audiens imperiis. Di. Tute quid agis?
A. Valeo et validum teneo. Peregre quoniam advenis: coenetur. as. t. d. i. d. c.
Di. Benigne dicis. Adsta! A. Enim, amabo, sine me, quo ire iussit. i. t. c.
Di. Eas. Sed quid ais? A. Quid vis? Di. Istic, quo inceptas b. t.
Iter, qui est? quem arcessis? A. Achivam obstetricem.
Di. Mala femina es. A. Solens sum ex disciplina. i. tr. c.
Di. Manufestam mendaci, mala, te teneo. A. Quid iam, amabo? i. t. c.
Di. Quia te adducturam huc dixeras eumpse, non eampse;
Nunc mulier facta est ex viro. Mala est praestigiatrix. —
Sed tandem loquere, quis is homo est, Astaphium! novos amator?
A. Nimis otiosum te arbitror hominem. Di. Quinam arbitrare?
A. Quia tuo vestimento et cibo alienis rebus curas.
Di. Vos mihi dedistis otium. A. Quid iam, amabo? Di. Expedibo.
Rem perdidi: cum re meum negotium abstulistis.

95. V.: *iam pol ego eum ipsum, si* etc. 103. Vett., in his Pal.: *is aduus lissi ittuli fert contra manum et par. grad.* V.: *it ad nos.* Di. *et tu fer c. m., et p. g.* 104. Pal. et MSS.: *inperis.* V.: *imperii.* 105. Pal.: *Per. quoniam advenis centur.* V.: *P. cum adv., coena detur.* (*coenaetur* [cum librarius *coenetur* legi vellet pro *coenatur*], *coendetur*, *coena detur.*) 106. Pal. et vett. edd.: *B. d. astate ambo.* Vet. cod. Cam.: *B. d. astat cum amabo.* 108. V.: *Archivam*, vel *Archinam*, ut Pal., inaudito nomine. Fort: *Argivam.* 109. MSS.: *Soles unies disciplinam.* V.: *Solens sum: ea est disciplina.* 111. *eumpse.* V.: *eum ipsum.* 114. V.: *N. o. arb. h. esse te.* Di. *quianam* (Pal. *q. Nam*) *arb.?* 116. MSS. et vett. edd.: *V. m. d. otiosum.* Di. *Q. i. am. expedibo.* V.: *Vos me otiosum reddidistis. — ego exped.* 117. Ita Non. Libri Plautini carent verbis *cum re.* V. secundum Guil.: *R. p. apud vos; cum re* etc.

Si rem servassem: fuit, ubi negotiosus essem.
A. An tute bene rem publicam aut amoris alia lege
Habere posse postulas, quin tu otiosus fias?
Di. Illa, haud ego, habuit publicum: pervorse interpretaris.
Nam advorsus legem a me ob meam scripturam pecudem cepit
Aeràque. A. Idem, quod tu facis, faciunt rem male gerentes:
Ubi non est, scripturam unde dent, incusant publicanos.
Di. Male vortit res pecuaria mihi apud vos; nunc vicissim
Volo habere aratiunculam pro copiad apud vos.
A. Non arvos hic sed pascuost ager; si arationes
Habituris: quae arari solent, ad pueras ire meliust.
Hunc nos habemus publicum; illi alii sunt publicani.
Di. Utrasque utrobidem percognovi. A. Istoc pol tu otiosus,
Quom et illi et hic pervorsus es. Sed utriscum rem esse mavis?
Di. Procaciores estis vos; sed illae periuriosae.
Illis perit quidquid datur, neque ipsis paret quidquam;
Vos saltem, si quid quaeritis, et bibitis et comestis.
Postremo illae sunt inprobae; vos nequam et gloriosae
Malaeque in nos. A. Illa omnia dicis tibi, Dinarche,
Et nostram et illarum vicem. Di. Qui istuc? A. Rationem dicam:
Quia, qui alterum incusat probri, se eumpse intueri oportet.
Tu a nobis sapiens nihil habes; nos nequam abs ted habemus.
Di. O Astaphium, haud istoc modo solita es me ante adpellare,
Sed blande, quom illuc, quod apud vos nunc est, apud me haberem.
A. Dum vivit: hominem noveris; ubi mortuost: quiescas.
Te, dum vivebas, noveram. Di. An me mortuom arbitrare?
A. Qui potis, amabo, planius? qui antehac amator summus
Habitust, illum ad amicam meras querimonias referre!
Di. Vostra hercle factum iniuria, quae properavistis olim

120. V.: *posse se post.* Pal.: *posses post.* 123. V. soloece: *rei.* Sequor edd. vett. 126. V.: *copia hic ap. vos.* Sed *hic* non legitur in priscis. 128. V.: *pueros*, et in sequentibus *Utrosque*, *illi periuriosi*, *illi sunt improbi*, *illorum* vicem. Sed agitur de puellis honestis et matrimonio. Ceterum Pal.: *melius est.* V.: *melius.* 131. V.: *illic.* 133. V.: *apparet.* 136. Vett.: *M. in n. illis* (Sarrac. *illi*) *ea omnia tibi d. Din.* V. secundum Camer.: *M.* Ast. *quae in nos illosque, ea omnia* etc. 144. V.: *potis est.* 145. V.: *istunc.*

Rapere. Otiose oportuit: diu ut essem incolumis vobis.
A. Amator similis oppidi est hostilis. Di. Quo argumento est?
A. Quamprimum expugnari pôtest amator, optumum amicae est.
Di. Ego fateor; sed longe alter est amicus atque amator.
Certe hercle quam veterrumus homini optumust amicus.
Non occiderunt hercule mihi etiam fundi et aedes,
A. Cur, obsecro, ergo ante ostium pro ignoto alienoque adstas?
I intro: haud alienus tu quidem es: nam ecastor neminem hodie
Mage amat corde atque animo suo, — si quidem habes fundum atque aedis.
Di. In melle sunt linguae sitae vostrae atque orationes;
Facta atque corda in felle sunt sita atque acerbo aceto.
E linguis dicta dulcia datis, corde amarefacitis
Amantis, si qui non danunt. A. Non didici fabulare.
Di. Non istaec mea benignitas docuit te fabulare,
Sed isti, qui cum geniis suis belligerant, parcipromi.
Mala es atque eadem, quae soles, inlecebra. A. Ut exspectatus
Peregre advenisti! Di. Ain', obsecro? A. Cupiebat te hera videre.
Di. Qui tandem? A. Te unum ex omnibus amat. Di. Euge, fundi et aedes,
Per tempus subvenistis! — Sed quid ais, Astaphium? A. Quid vis?
Di. Estne intus nunc Phronesium? A. Tibi quidem. Di. Valetne?
A. Imo edepol melius iam fore credo, te ubi videbit.
Di. Hoc nobis vitium maxumum est, quom amamus, tum perimus:
Si illuc, quod volumus, dicitur, palam quom mentiuntur,
Verum esse insciti credimus, ne ut aestuitemus ira.
A. Heia, haud ita est res! Di. Aiin' tu me amare? A. Imo unice unum.

149. Vett.: *potis est;* v.: *poti'st.* 150. V.: *aliter.* Corr. Acid. 152. V.: *Non hercle occ. m. et f. et aed.* 157. Pal.: *vacatque corda.* Vet. cod. Cam.: *fac atque c.* V.: *Lacteque: corda* etc. V. quoque, sec. Guil.: *felle s. lita;* sed vett., ut nos. 160. V.: *fabulari.* 163. V.: *nam obsecro?* 164. V.: *Quid t.?* 165. V.: *subv. mihi.* 166. V.: *tibi quidem intus.* 167. Quod v. abest, *iam* legitur in Pal. et vett. 170. V.: *nae* (vett.: *ne*), *ut in aestu, mutuamur ira.* 171. V.: *ain';* sed Pal. et scripti: *anin*, h. e. *aiin'*, quod versui convenit.

Di. Peperisse eam audivi. A. Obsecro, tace, Dinarche. Di. Quid iam?
A. Horresco misera, mentio quoties fit partionis:
Ita pene tibi Phronesium fuit. I intro iam, te amabo;
Vise illam atque opperire ibi. Iam exibit: nam lavabat.
Di. Quid ais tu? quae nunquam fuit praegnas, qui parere potuit?
Nam equidem uterum illi, quod sciam, nunquam extumere sensi.
A. Celabat metuebatque te, sibi ne aut persuaderes,
Ut abortioni operam daret, puerumve ut enecaret.
Di. Tum pol isti puero qui est pater? A. Babyloniensis miles,
Quoius nunc ista adventum expetit. Imo adeo, ut nuntiatum est,
Iam hic adfuturum aiunt eum. Nondum advenisse miror.
Di. Ibo igitur intro? A. Quippini? Tam audacter, quam domum ad te:
Nam tu edepol nunc noster es etiam, Dinarche. Di. Quam mox
Te recipis tu? A. Iam hic ero: prope est, profecta quo sum.
Di. Redi vero actutum: ego interim te apud vos opperibor.
A. Ha, ha, ha!
Eccere, quievi, quia introivit odium; tandem sola sum:
Nunc, quae lubebit, ut volam, loquar meo arbitratu. i. t. c.
Huic homini amanti neniam hera apud nos dixit de bonis:
Nam fundi et aedes obligatae sunt ob amoris prandium;
Verum apud istunc mea hera consilia summa eloquitur libere,
Magisque adeo ei consiliarius hic amicust quam auxiliarius.
Dum fuit: dedit; nunc nihil habet; quod habebat, nos habemus; i. t. c.
Iste id habet, quod nos habuimus. Humanum facinus factum est.
Actutum fortunae solent mutari. Varia vita est.

172. V.: *ah, obs.* 178. *aut* habent scripti; in vulgatis libris desideratur. 179. V.: *puerumque.* 180. V.: *quis est.* 184. Pal. et vett. edd.: *N. tu ed. noster sed iam nunc, Din.* V.: *N. tu ed. nost. es etiam iam nunc, Din.* 187. *Eccere* pro vulgato *hercle* (Pal.: *ercle*, quod illi etiam vicinius) ponendum esse, dudum viderunt docti, inprimis Palmer. Spicil. Lamp. Gruter. 4. p. 713. 188. V.: *N. quidem m. arb. loquar libere quae volam et quae lub.* Sic passim *ut volo, ut volui. Libere* est glossema. 189. V.: *mea hera.* Edd. autem priscae: *veniam.* Fort.: *H. h. a. mea h. ap. nos de bonis veniam dedit.* 191. V.: *hunc.* 194. Vett.: *Istinc id habet.* V.: *Iste nunc id hab.*

Nos divitem istunc meminimus atque iste pauperes nos;
Vorterunt sese memoriae. Stultus sit, qui id miretur.
Si eget: necesse est, nos pati. Aravit: aequom factum est.
Piaculum est, misereri nos hominum rem male gerentum.
Bonis oportet dentibus lenam esse probam: arridere,
Quisquis veniat, blandeque adloqui; male corde consultare, t. t.
Bene loqui lingua. Meretricem esse similem sentis condecet; i. t.
Quemquem hominem attigerit, profecto aut malum aut damnum dare. t. t. c.
Nunquam amatoris meretricem oportet causam noscere,
Quin, ubi nil det, pro infrequente eum mittat militia domum;
Neque erit quisquam unquam probus amator, nisi qui re inimicust suae. i. t.
Nugae sunt, nisi, modo quom dederit, dare iam lubeat denuo. t. t. c.
Is amatur hic apud nos, qui, quod dedit, oblitus sit datum;
Dum habeat, tum amet: ubi nil habeat, alium quaestum coepiat;
Aequo animo, ipse si nil habeat, aliis, qui habent, det locum.
Probus est amator, qui relictis rebus rem perdit suam. i. t.
At nos male agere praedicant viri solere secum, i. t. c.
Nosque esse avaras quaestuum. Qui male nos agimus tandem?
Nam ecastor nunquam satis dedit suae quisquam amicae amator;
Neque pol accepimus satis, neque ulla satis poposcit:
Nam quando sterilis est amator, satis si habere se negat, i. t.
Quod det, satin' nec satis accipimus, satis quom, quod det, non habet?
Semper datores novos oportet quaerere, i. s.

196. Sic vett. edd. V.: *N. div. eum mem.* 197. Vett.: *Vitiis* (sic Pal.; edd.: *vices*) *sit, quid ita miretur.* 198. Pal.: — *nos patiar auita Aequum me f. est.* Vett. edd.: *patier a uita aequ. f. e.* Cf. 126, 128, Asin. 848. V.: *nos patiatur ali; ita aequ. f. e.* Minus comicum foret *Erravit* secundum edd. vett. 199. V.: *rei.* Cf. 123. 203. V.: *dari.* 207. V.: *quod modo cum dederit.* 213. Pal.: *nosque esse av. quisim umquam Alienos ag. t.* Vet. cod. Camer.: *n. e. av. qui si nunquam alenos* (vett. edd.: *alienos*) *a. t.* V.: *N. e. avaras. quaeso, num qui male nos a. t.?* 216. sequ. Pal.: *nam q. st. est am. Datis* (vett. edd.: *satis*) *si negat se habere quod et soli nec satis accepimus* (vett. edd.: *accipimus*) *Satis cum q. d. n. h.* V. secundum Lamb.: *N. q. st. est am. a datis, improbus est. Si negat se hab. quod det, soli pernoctandum est. Satin',* nonne. Hoc vocabulum non semel depravatum est in Planto.

Qui de thesauris integris domus danunt;
Velut hic agrestis est adulescens, qui hic habet,
Nimis pol mortalis lepidus nimisque probus dator.
Satin' clam patre etiam hac nocte illac per hortum transilivit as. t. d. i. d. c.
Ad nos? Eum volo convenire. t. d.
Sed est huic unus servos violentissumus, i. s.
Qui, ubi quamque nostrarum videt prope aedis, ac si adgredias: i. t. c.
Item ut de frumento anseres, clamore absterret, abigit:
Ita est agrestis. Sed fores, quidquid futurum est, feriam.
Ecquis huic tutelam ianuae gerit? ecquis intus exit?

STRATILAX. ASTAPHIUM.

S. Quis illic est, qui tam proterve nostras aedis arietat, i. t. I, 3.
A. Ego sum. Respice ad me. S. Quid ego....? Nonne ego video....? Vae tibi! t. t. c.
Quid tibi ad hasce accessio aedis est prope aut pultatio?
A. Salve. S. Satis mi est tuae salutis; nil moror, non salveo:
Aegrotare malim quam esse tua salute sanior.
At volo scire, quid debetur hic tibi nostrae domi.
A. Conprime.... S. Spero meam quidem hercle; te, qui solitus, conprimat..
[Inprudens per ridiculum, ut rustico, suadet stuprum.]
A. Iram dixi, ut esse coepit. S. Sic dem, si is huc alteras.
A. Nimis quidem hic truculentus. S. Pergin' male loqui, mulier, mihi?
A. Quid tibi ego autem dico? S. Quia enim me truculentum nominas.
Nunc adeo, nisi abis actutum aut dicis, quid quaeras, cito:
Iam hercle ego hic te, mulier, quasi sus catulos, pedibus proteram!
A. Rus merum hoc quidem est. S. Pudendum et vero clurinum pecus,

219. *domus.* Scripti: *demus.* Vett. edd.: *dona.* V.: *demunt.* 222. *Satin'.* V.: *Sed is.* 225. V.: *hac si aggredias.* 227. V.: *Is item est agr.* 234. *At.* Pal.: *Aut;* vet. cod. Camer.: *Ad;* vulgo: *Id.* 235. Inepte libri: *tu quae solita es* (Pal. et vett.: *solitas*) *comprimas.* Corr. Lips. 236. V.: *I. d.* St. *ut esse coepit* (vet. cod. Camerar.: *cep*) *si dem, si est una altera* (idem cod.: *sistun alteram*). Notae formulae castigantium *Sic datur, Sic dabo. Alteras,* alias, apud veteres, secundum Festum. Cf. Most. 264. 239. V.: *ac dicis.* Vett. edd.: *at d.* 241. Sic vett. V.: *pudendumne?*

Rus tu mi opprobras, ut nacta es hominem, quem pudeat probri?
Adveni istuc, sis, tentatum cum exornatis ossibus!
Quia tibin' suaso infecisti, propudiosa, pallulam,
An eo bella es, quam clepsisti? Ar med advenias! A. Nunc places.
S. Quam me tibi velim. A. Mentire. Dices.... S. Quid? A. Quod te rogo?
S. Quos mancupio accipias, gesta tecum ahenos anulos!
A. Dignis dant. S. Laverna illaec scit, quas habes victorias.
A. Ne attigas me. S. Tangam te? Ita med amabit sarculum.
Ut ego ruri me hamaxari mavelim patulum bovem
Cumque eri noctem in stramentis pernoctare perpetem,
Quam tuas centum coenatas noctis mihi dono dari!
Sed quid apud nostras negoti, mulier, est aedis tibi?
Quid tu huc occursas, in urbem quotienscunque advenimus?
A. Mulieres volo convenire vostras. S. Quas tu mulieres
Mihi narras, ubi musca nulla femina est in aedibus?
A. Nullane istic mulier habitat? S. Rus, inquam, abierunt. A. Papae!
Quid clamas, insane? S. Abire hinc niproperas grandi gradu:
Iam ego istos fictos, compositos, crispos, cincinnos tuos
Unguentatos usque ex cerebro expellam! A. Quanam gratia?
S. Quia adeo foris unguentis uncta es ausa accedere,
Quiaque istas buccas tam belle purpurissatas habes.
A. Erubui mecastor misera propter clamorem tuom.
S. Itane? erubuisti? quasi vero corpori reliqueris
Tuo potestatem coloris ulli capiundi, mala.
Buccas rubrica, creta omne corpus intinxti tibi.
Pessumae estis! A. Quid est, quod vobis pessumae? S. Haec maxume.

242. Vulgo post 252 legitur. 243. V.: *advenisti huc sistentatum cum e. o.?* 244. V.: *Q. tibi insuaso.* MSS. *Q. t. resuasu.* Verum viderunt Acid. et Meurs. 245. V.: *An eo b. es, quia accepisti.* 246. V.: *Q.* (vett.: *Cum*) *me illi v.* As. *Mentiris.* St. *Dicis, quod* (Pal.: *quid quod;* vet. cod. Cam.: *quidquid*) *te r.* 247. V.: *Mancupium qui acc.* V. quoque: *penos annuos.* Pal. et vett. edd. *he (hae) an uos.* Hoc correxit Turneb. Advers. 10, 25. 248. V.: St. *Laviniae* (Pal.: *lauime*) *hic sunt, q. h. vict.* (h. e. praedas). 250. *patulum* vett.; v.: *patalem.* 251. Vett.: *C. ita noct.* 254. V.: *hoc. Quotienscunque* vett. 257. Scripti: *abierunt pabi.* V.: *ab. abi.* 261. V.: *fores nostras.* 266. V.: *B. rubricae; cera o..c. intinxit t.* Vett.: *rubriceta.* Corr. Pareus in lexico Plaut. 267. V.: *pessumae haec.* Sed vet. cod. Camerar.: *pess. haec ma. Haec,* vicina, Phronesium, δεικτικῶς.

Scio ego plus, quam me arbitrare scire. A. Quid id' est, obsecro,
Quod scias? S. Herilis noster filius apud vos Strabax
Ut pereat, ut eum inficiatis in malam fraudem et praemium.
A. Sanus si videare, dicam. Dicis contumeliam:
Nemo hominum hic solet perire apud nos; res perdunt suas;
Ubi perdiderunt res: abire hinc, si volunt, ocius licet.
Ego non novi adulescentem vostrum. S. Veron'? A. Serio.
S. Quid maceria illa ait, in horto quae est, quae in noctis singulas
Latere fit minor, qua is ad vos damni permensust viam?
A. Non mirum, ut vetust maceria, lateres si veteres ruont.
S. Aiin' tu, mala, lateres veteres ruere? Nunquam edepol mihi
Quisquam homo mortalis posthac duarum rerum creduit,
Ni ista ego vostra hero maiori facta denarravero.
A. Estne illic violentus? S. Suam non olim illic meretriculis
Moeniendis rem coëgit: verum parsimoniae
Duritiaeque; quae nunc ad vos clam exportatur, pessumae.
Hem tibi, o sexungula! male vivatis! — Egone haec mussitem?
Iam enim ego hercle ibo in forum atque haec facta narrabo seni:
Namque istuc ipse gestit: ergo coget examen mali. i. t.
A. Si ecastor hic homo sinapi victitet: non censeam t. t. c.
Tam esse tristem posse. At pol, hero benevolens ut is est suo.
Vortam illum ego! Quamquam violentust, spero mutari potest
Blandimentis, ornamentis ceteris meretriciis.
Vidi equidem exanimatas domitas fieri aeque alias beluas.
Nunc ad heram revidebo. Sed eccum odium progreditur meum.
Tristis exit: haud convenit etiam hic dum Phronesium.

273. Pal. et scripti: *si vol. ut uis licet.* Vett.: *si v. uti ius licet.* V.: *si v., nudis l.* 275. Sic vett. edd. V.: *Quin mac.* 276. Sic eaedem MSS.: *qua isti vos.* V.: *qua iste ad vos.* 281. V.: *S. non enim ille m.* 282. Sic Par., secundum Palmer. Lamp. Gruter. 4. p. 615. Scripti: *moniendis.* V.: *Muniendis.* 283. Pal. et vett. edd.: *q. nunc duo sciam exp.* V.: *q. n. ad vos iam exp.* 284. V.: *H. tu, o. s., m. vivitis.* 285. MSS.: *I. enim exercere ibi for.* V.: *I. en eccere ibi in* (vett. edd.: *ad*) *for.* 286. V.: *Neque ist. in se g., e. c. exanimem mali.* Corr. Lips. Ant. Lect. 4, 6. 289. V.: *Verum ego ill.* 291. Pal.: *V. e. exinem intum domito f. atque a. b.* V.: *V. e. ex iumentis domita f. atque a. b.* Cf. Cas. 463.

DINARCHUS. ASTAPHIUM.

Di. Piscis ego credo, qui usque, dum vivont, lavant, i. s. I, 4.
Minus diu lavare, quam haec lavat Phronesium.
Si proinde amentur mulieres, diu quam lavant:
Omnes amantes balneatores sient.
A. Non quis parumper durare opperirier?
Di. Quin hercle lassus iam sum durando miser.
A. Mihique prae lassitudine opus est ut lavem.
Di. Sed obsecro hercle, Astaphium, i intro ac nuntia,
Me adesse hic, propere, et suade, iam ut satis laverit.
A. Licet. Di. Audin' etiam? A. Quid vis? Di. Di me perduint,
Qui te revocavi! Non tibi dicebam. I modo.
A. Quid iam revocabas me, inprobe nihilique homo?
Quae passuum tibi mille peperit m o r a moram.
Di. Sed quid haec hic autem tamdiu ante aedis stetit?
Nescio quem praestolata est. Credo, militem.
Illum student iam: quasi volturii, triduo
Prius praedivinant, quo die esuri sient;
Illum inhiant omnes; illi est animus omnibus.
Me nemo magis respiciet, ubi istic venerit,
Quam si hinc ducentos annos fuerim mortuos.
Verum, Servire, salve! — Vae misero mihi!
Post factum plector, qui antepartum perdidi;
Verum nunc si qua mi obtigerit hereditas
Magna atque luculenta, nunc, postquam scio,
Dulce atque amarum quid sit ex pecunia:
Ita ego illam edepol servem, itaque parce victitem,
Ut — nulla faxim cis dies paucos siet,
Ego istos, qui nunc me culpant, confutaverim,
Sed aestuosas sentio aperiri fores,
Quae absorbent, quidquid venit intra pessulos.

PHRONESIUM. DINARCHUS.

Ph. Num tibi nam, amabo, ianua est mordax mea, i. s. I, 5.
Quo introire metuas, mea voluptas? Di. Ver vide!
Ut tota floret! ut olet! ut nitide nitet!

300. V.: *Mihi quoque.* 302. V.: *Me ad tu i prop.* 306. Pal. et vett. edd.: *Q. tibi m. pass.* (Pal. *passum*) *pep. more* (edd. *morae*). 312. V.: *ubi iste huc veu.* 314. Pal. et MSS: *Utrum servire salue est.* Vett. edd.: *Verum s. s. est.* Salutat servitium, quod iam serviendum ipsi est, in amore, postquam regno excidit. Verba proprie dicta passim pro nominibus usurpantur. 315. V.: *quia ante.* 322 MSS.: *Sed est uos adsentio ap. f.* Vett. edd.: *Sed adsentio ap. f.* V. secundum Camerarium: Sed est *vocis sat: sensio a. f.*

Ph. Qui tam infacetus, Lemno adveniens, qui tuae
Non des amicae, mi Dinarche, savium?
Di. Vah, vapulo hercule ego nunc, atque adeo male!
Ph. Quo te avortisti? Di. Salva sis, Phronesium.
Ph. Salve. Hiccine hodie coenas, salvos quom advenis?
Di. Promisi. Ph. Ubi tu coenabis? Di. Ubi tu iusseris:
Hic. Ph. Me lubente facies. Di. Edepol me magis.
Nempe tu eris hodie mecum, mea Phronesium?
Ph. Velim, si fieri possit. Di. Cedo soleas mihi!
Properate! auferte mensam! Ph. Amabo, sanun' es?
Di. Non edepol bibere possum iam: ita animo male est.
Ph. Mane: aliquid fiet. Ne abi. Di. Ah, adspersisti aquam!
Iam rediit animus. Deme soleas. Cedo, bibam.
Ph. Idem es ecastor, qui soles. Sed dic mihi,
Benene ambulasti? Di. Huc quidem hercle ad te bene,
Quom tui videndi copia est. Ph. Conplectere.
Di. Lubens. Ah, hoc est melle dulci dulcius!
Hoc tuis fortunis, Iupiter, praestant meae!
Ph. Dane savium. Di. Imo decem. Ph. Utine istuc pauperis,
Plus polliceri, quamde ego a te postulo?
Di. Utinam a principio re item parsissem meae,
Ut nunc reparco saviis! Ph. Si quid tibi
Conpendi facere possim: factum edepol velim.
Di. Lavisti iam? Ph. Pol mihi quidem atque oculis meis.
Num tibi sordere videor? Di. Non pol mihi quidem;
Verum tempestas (memini enim) quondam fuit,
Quom inter nos sorderemus alter alteri.
Sed quod ego facinus audivi adveniens tuom,
Quid tu hic me absente novi negoti gesseris?
Ph. Nam quid id est? Di. Primum quom tu es aucta liberis,

327. Sic vett. edd. V.: *inficetus.* 329. V.: *hercle.* 331. V.: *Hicne.* 341. Sic Pal. V.: *ambulavisti.* 342. V.: *Quoniam tui.* MSS.: *quam* (h. e. *quom*) *tui.* 342. Sic vett. edd., nisi quod ibi legitur *at. hoc.* Scripti: *hoc est me illi dulci d.* V.: *hoc est mel melle d. d.* 345. sequ. MSS.: *Dant suavium immo vel decem ut em* (vett. edd.: *utinam*) *istoc pauper esse Pl. pollicere quam ego a te post.* V.: *Dane s.? Di. I. v. d. Ph. haud istoc pauper es. Plus* etc. 348. V.: *reparcis.* 352. Recentiores: *memini cum q. f.* 353. Iidem: *sord. unus alteri.* 354. V.: *quid.* Correxit Acid. Versus 356, 358 et 359 accesserunt ex MS. Ambros. Legitur autem ibi:

Quid id est? Primum cum tuisses a. l.

— — — — — —

— — — — — —

Tu nunc supersus solus s. m. es.

Versu 355 mendosum *is* in *tuis* addito *es* correxit librarius, ut solet ea natio.

Quomque bene provenisti salva, gaudeo.
Ph. Concedite hinc vos intro atque operite ostium. —
Tu nunc superstes solus sermoni meo es;
Tibi mea consilia summa semper credidi.
Equidem nec peperi puerum nec praegnas fui;'
Verum adsimulavi, me esse praegnatem, haud eram.
Di. Quapropter, o mea vita? Ph. Propter militem
Babyloniensem, qui quasi uxorem sibi
Me habebat annum, dum hic fuit. Di. Ego senseram.
Sed quid istuc? quoi re id te adsimulare retulit?
Ph. Ut esset aliqui laqueus et redimiculum:
Reversionem ut ad me faceret denuo.
Nunc huc remisit nuper ad me epistolam:
Sese experturum, quanti sese penderem.
Si, quod peperissem, id educarem ac tollerem:
Bona sua habiturum me omnia. Di. Ausculto lubens.
Quid denique agitis? Ph. Mater ancillas iubet,
Quoniam nunc decimus mensis adventat prope,
Aliam aliorsum ire praemandare et quaerere
Puerum aut puellam, qui supponantur mihi.
Quid multa verba faciam? tonstricem Suram
Novisti, nostras quae nunc erga aedis habet?
Di. Novi. Ph. Haec, ut opera, circuimit per familias,
Puerum vestigat clanculum, ad me detulit.
Datum sibi esse dixit. Di. O merces malae!
Eum nunc non illa peperit, quae peperit prior;
Sed tu posterior. Ph. Ordine omnem rem tenes.
Nunc, ut praemisit nuntium miles mihi,
Non multo post hic aderit. Di. Num tu te interim
Quasi pro puerpera hic procuras? Ph. Quippini,
Ubi sine labore res geri pulcre potest?
Ad suom quemque aequom est quaestum esse callidum.
Di. Quid me futurum est, quando miles venerit?
Relictusne abs te vivam? Ph. Ubi illud, quod volo,
Habebo ab illo: facile inveniam, quomodo
Divortium et discordiam inter nos parem;
Post id ego tecum, mea voluptas, usque ero
Adsiduo. Di. Imo hercle vero adcubuo mavelim.
Ph. Quin dis sacruficare hodie pro puero volo

365. V.: *anno;* sed MSS.: *annoum*, quod eiusdem rei exemplum, cuius illud *suises* in annot. praecedente. 374. V.: *Quoniam iam*, ingrato quidem sono. Vet. cod. Camerar.: *Q. non.* 378. V., refragantibus libris vett.: *quae modo erga.* MSS. *quem* (quenĉ) *erga.* 385. V.: *nunc tu te int.* 393. Ita vett. V.: *Postidea.* Cf. 723, Cas. 42. Male quoque libri vulg.: *ego tota* (vett.: *totum*) *tecum.*

Quinto die, quo fieri oportet. Di. Censeo.
Ph. Non audes aliquod dare mihi munusculum?
Di. Lucrum hercle videor facere mihi, voluptas mea,
Ubi quidpiam me poscis. Ph. At ego, ubi abstuli.
Di. Iam faxo hic aderit; servolum huc mittam meum.
Ph. Sic facito. Di. Quidquid autem erit, boni consulas.
Ph. Ecastor munus te curaturum scio,
Quoius me non poeniteat, ut mittas mihi.
Di. Num quidpiam vis me aliud? Ph. Ut, quando otium
Tibi sit, ad me revisas. Di. Tu valeas. Ph. Vale.
Di. Proh di inmortales, non amantis mulieris,
Sed sociae unanimantis, fidentis, fuit
Officium facere, quod modo haec fecit mihi,
Suppositionem pueri quae mihi credidit,
Germanae quod sorori non credit soror.
Ostendit sese iam mihi medullitus,
Se mi infidelem nunquam, si vivat, fore.
Egone illam ut non amem? egone illi ut non bene velim?
Me potius non amabo, quam huic desiet amor.
Ego isti non munus mittam? Iam domo eloco
Iubebo ad istam quinque perferri minas;
Praeterea obsonari hic duntaxat ad minam.
Multo illi potius bene erit, quae bene volt mihi,
Quam mihimet, omnia qui mihi facio mala.

P H R O N E S I U M.

Puero isti date mammam. — Ut miserae matres sollicitaeque ex animo t. t. II, 1.
Sunt cruciantque! Edepol conmentum male! quomque eam rem in corde agito:
Nimio minus perhibemur malae quam sumus ingenio. as. 2 an.
Ego primum de me modo docta dicto b. t.
Quanta est cura in animo, quantum corde capio
Dolorem, dolus ne occidat morte pueri!
Mater dicta quod sum, eo magis studeo vitae,
Quia ausa hoc sum tantum dolum clam adgrediri.

405. *Tu* vulgo non legitur Pal.: *reuisast ualcas*, in qua scriptura voculam illam facile agnoscas. 407. Fort.: *sociai*. 412. Pal.: *ne vivat*. Vett. edd.: *dum vivat*. V.: *se viva*. 414. V.: *desit*. 415. V.: *inm modo ex hoc loco*. Corr. Guil. 417. V. *hic* deest. Vett. edd.: *dunt. hic minam*. 421. Sic vett., merito probante Palmerio Lamp. Gruter. 4. pag. 702. V.: *crucianturque*. 423. MSS.: *ego prima de me modo dicta dicito*. Etiam vett. edd.: *e. prima de me m. dicta*. V. secundum Palmer.: *e. prima domi modo docta dictito*. 427. V.: *Quae ausa*. Quod vulgo abest, *hoc* legitur in edd. vett.

Lucri causa avara probrum sum executa: as. b. d. i. h.
Alienos dolores mihi supposui.
Rem nullam oportet dolose adgrediri, as. i. h. b. d.
Nisi astute adcurateque exsequare.
Vosmet videtis iam, ut ornata incedo:
Puerperio aegram ego nunc me esse adsimulo.
Male quod mulier facere incepit, nisi si ecficere perpetrat: t. t. c.
Id illi morbo, id illi senio est, ea illi miserae miseria est; i. t.
Bene si facere incepit: eius eam cito odium percipit. t. t. c.
Nimis quam paucae sunt defessae, male quae facere occeperunt;
Nimis quam paucae ecficiunt, si quid facere occeperunt bene.
Mulieri nimio malefacere melius opus est, quam bene.
Ego quod mala sum, matris opera mala sum et meapte malitia,
Quae me gravidam esse adsimulavi militi Babylonio.
Eam nunc malitiam adcuratam miles inveniat volo.
Iste haud multo post, credo, aderit: nunc prius praecaveo sciens,
Eumque ornayi ornatum, ut, gravida quasi puerperio cubem.
Date mi huc stactam atque ignem in aram: ut venerem Lucinam meam.
Hic adponite atque abite ab oculis. — Eho, Pithecium,
Face ut adcumbam. Accede: adiutare sic decet puerperam. — i. t.
Soleas mihi duce, pallium iniice, Archylis, in med huc. Ubi es,
Astaphium? fer huc verbenam mihi thus et bellaria. t. t. c.
Date aquam manibus. Nunc ecastor ut venat miles velim.

STRATOPHANES. PHRONESIUM. ASTAPHIUM.

St. Ne exspectetis, spectatores, meas dum pugnas praedicem: t. t. c. II, 2.
Manibus duelli praedicare soleo, haud in sermonibus.
Scio ego, multos memoravisse milites mendacium:
Et Homeronidae et postilla mille memorari potest,

433. V., refragantibus vett.: *nisi id eff.* 439. Libri: *onus.* Cf. Mil. 680. 444. V., nulla quidem auctoritate, versuque periclitante: *n. gero ornatum.* 448. Fort.: *Sol. mi educe.* 450. Soloece libri: *ut veniret.* 454. Male Pistoris, quem vulgo sequuntur: *Et Hom. poetillae mille* etc.

Qui et convicti et condemnati falsis de pugnis sient.
Non laudandus est, qui credit, quae audit, plus quam quae videt;
Non placet, quom illi plus laudant, qui audiunt, quam qui vident:
Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem:
Qui audiunt, audita dicunt; qui vident, plane sciunt.
Non placet, quem scurrae laudant, manipulares mussitant,
Neque illi, quorum lingua gladiorum aciem praestringit domi. i. t.
Strenui nimio plus prosunt populo quam arguti et cati: t. t. c.
Facile sibi facunditatem virtus argutam invenit;
Sine virtute argutum civem mihi habeam pro praefica,
Quae alios conlaudat, eapse sese vero non potest.
Nunc ad amicam decumo mense post Athenas Atticas
Viso, quam gravidam reliqui meo conpressu, quid ea agat.
Ph. Vide, quis loquitur. A. Iam propinque miles, mea Phronesium,
Tibi adest Stratophanes: nunc tibi opust, aegram ut te adsimules. Ph. Tace:
Quid ad hoc egeo te, malum, admonitrice? an vincere me est maleficio? t. t.
St. Peperit mulier, ut ego opinor. A. Vin' adeam ad hominem? Ph. Volo. t. t. c.
St. Euge, Astaphium eccam it mi advorsum. A. Salve ecastor, Stratophanes.
Venire salvom.... St. Scio. Sed peperitne, obsecro, Phronesium? i. t.
A. Peperit puerum nimium lepidum. St. Ecquid mihi similist? A. Rogas? t. t. c.
Quin, ubi natust, machaeram et clypeum poscebat sibi.
St. Meus est: scio iam de argumentis. A. Nimium quidem similist! St. Papae!
Iam magnust? iamne legionem lectat? quem spoliare volt?
A. Here nudiusquintus natus est quidem ille. St. Quid tum postea? i. t.
Inter tot dies quidem hercle iam aliquid actum oportuit. t. t. c.
Quid illi ex utero exitio est priusquam poterat ire in proelium? i. t.

456. V.: *N. l. est quoi* (MSS. *cui*) *pl. cr. qui aud. q. qui vid* Vett. edd.: *quae audit, quae videt.* 465. V.: *se vero.* 469. Sic Pal. V.: *ut tu te.* 470. V.: *Q. adhuc eg. tui, m., ammonitricis?* 471. V. *ad* desideratur. Pal. et vett. edd.: *uina llea aut* (h. e. *ad*) *hom.* Pal.: *ut volo.* Fort.: *At volo*, quia subirata est Phronesium. 477. V.: *quam spol. velit.*

A. Consequere atque illam saluta et gratulare illi. St. Sequor. t. t. c.
Ph. Ubi illa est, obsecro, quae me hic reliquit? St. Ab se abisti? i. t. c.
A. Adsum; adduco tibi exoptatum Stratophanem. Ph. Ubi is est, obsecro? t. t. c.
St. Mars peregre adveniens salutat Nerienem uxorem suam.
Quom tu recte provenisti quomque es aucta liberis,
Gratulor, qui mihi tibique magnum donasti decus.
Ph. Salve, qui me interfecisti pene et vita et lumine,
Quique vim magni doloris per voluptatem tuam
Condidisti in corpus, quo nunc etiam morbo misera sum.
St. Heia, haud ab re, mea voluptas, iste tibi obvenit labos:
Filium peperisti, qui aedis spoliis opplebit tuas.
Ph. Multo ecastor magis oppletis tritici opust granariis:
Ne, ille priusquam spolia capiat, hic nos extinxit fames.
St. Habe bonum animum. Ph. Savium pete hinc, sis. Ah, nequeo caput
Tollere: ita dolui itaque ego nunc doleo, neque etiam queo
Pedibus mea sponte ambulare. St. Si plane ex medio mari
Savium tuom petere iubeas: petere haud pigeat, mel meum.
Id ita esse experta es nuncque experiere, mea Phronesium,
Me te amare: adduxi ancillas tibi eccas ex Suria duas;
Iis te dono. Adduce huc tu istas. Sed reginae istae domi
Suae fuerunt ambae; verum patriam ego excidi manu.
Iis te dono. Ph. Poenitetne, quot mi ancillae sunt iam,
Qui insuper nunc etiam adducas, quae mihi comedint cibum?
St. Hoc quidem hercle si ingratum est: cedo tu mi istam, puere, perulam. — i. t.
Hem, mea voluptas, attuli eccam pallam ex Panchaia tibi.
Tene tibi. Ph. Hoccine mi ob labores tantos tantillum dari? t. t. c.
St. Perii hercle miser! iam mihi auro contra constat filius,

482. Sic plane Pal. et vett. edd. V.: — *reliquit atque abstitit? Ab se*, ab ea. 486. V.: *dedisti.* MSS.: *deristi.* 494. Pal.: *suavium Sisp. etc. hinc abnequeo cap.* 495. *ego.* Fort.: *ergo.* 501. V.: *fuere.* 502. V.: *Poenitet te.* 503. Pal.: *quin etiammensuper adducas.* V.: *Quine etiam super.* Guil. volebat *insuper.* 504. V.: *ingrat. est donum.* Cf. 510. 505. Vett.: *ex pari gratia tibi*, ex quo Palmer. exsculpsit, quod vulgo legitur, *ὑπέρμετρον* illud quidem, ex *parva Graecia tibi.* Scriptum *-gaia* pro *-chaia* videntur habuisse pro compendio verbi *gratia.* *Panchaia* i littera liquescente pronuntiandum est.

Et iam nunc male perdit me. — Ad id purpuram ex Sarra tibi
Attuli et duos Ponto amictus. Tene tibi, voluptas mea.
Accipe hoc. — Abducite istasce hinc e conspectu Suras.
Ecquid amas me? Ph. Nihil ecastor, neque meres. St. Nilne huic sat est?
Nae mihi nunc verum quidem unum dixit! Viginti minis
Venire illaec posse credo dona, quae ei dono dedi.
Vehementer nunc mi est irata; sentio atque intellego;
Verum adibo. — Quid ais nunc tu? num me vis, voluptas mea,
Quo vocatus sum, ire ad coenam? mox ad te huc cubitum ivero.
Quid taces? — Planissume edepol perii! Sed quid illuc boni est?
Qui is homo est, qui ducit pompam tantam? Certum est, quo ferant,
Observare. Huic, credo, fertur; verum iam scibo magis.

GETA. PHRONESIUM. STRATOPHANES.

Ge. Ite, ite hac simul, mulieridamnigeruli, forasgerones, as. t. d. i. d. h. II, 3.
Bonorum exagogae! b. d.
Satin', si qui amat, nequit quin nihili sit as. 2 i. h.
Atque inprobis artibus se expoliat?
Nam hoc qui sciam, ne qui id quaerat ex me:
Domi est, qui facit inproba facta amator,
Qui bona habet pro stercore, metuit publicos: mundissumum fit. t. t.
Puras esse sibi volt aedis: domi quidquid habet, verritur ἔξω.
Quandoquidem ipsus perditust: secreto hercle equidem illum adiutabo,

508. V.: *Etiamnum me vilipendit.* MSS.: *E. mali pendit.* 509. Pal.: *attulituas ponto amoenas;* neque aliter vett. edd. V. tamen: *Attuli, et induvias Ponto amoenas*, quae vix latina. 510. V.: *abduce hasce*. 512. Pal.: *ne unum uerbum Quidem num dixit.* V.: *Ne mihi verb. quid. unum d.* 515. V.: *numne vis me, v. m.* 516. Verba *ad te* non habentur in Palatino. 518. V.: *Quis homo est, qui inducit.* 520. Sic vett.: nam quod scripti habent *mulierei*, vid. not. ad 356, 358. sequ. 365 etc. V. secundum Scalig.: *muli aeris damnigeruli.* 521. Pal.: *B. axagoce.* MSS. Lipsii et vett. edd.: *exagogae.* V.: *B. hamaxagogae.* 522. Scripti et vett. edd.: *S. se quis am.* V.: *Satinne qui am.* 524. V.: *ne quis.* 526. V., intrusis glossematis: *Q. b. sua pro st. habet, foras iubet ferri; metuit* etc. Cf. vers. sequ. 528. Sic vett. edd. MSS.: *perditum sit, perditum fit*, ut Pal. V.: *perditum se it.*

Neque mea quidem opera unquam hilo minus propere, quam pote, peribit.
Nam iam de hoc obsonio de mna una deminui modo t. t. c.
Quinque numos; mihi detraxi partem Herculaneam.
Nam hoc adsimile est, quasi de fluvio qui aquam derivat sibi:
Nisi derivetur, tamen omnis ea aqua abbitat in mare.
Nam hoc in mare abit misereque perit sine bona omni gratia. as. a. d. t. d. c.
Haec quom sic video fieri: subfuror, as. a i. h.
Suppilo, de praeda praedam capio.
Meretricem ego item esse reor, mare ut est: a. d.
Quod des, devorat, neque unquam abundat. t. tr. br.
Ast hoc saltem servat mare, quod ibi subest, etsi haud adparet; t. t.
Huic des quamtumvis: nusquam adparet neque datori neque acceptrici. i. t. h.
Veluti meretrix meum herum miserum blanditia sua in pauperiem t. t.
Intulit, bonis privavit, luce, honored atque amicis.
Attat eccam, adest propinque! Credo audisse haec me loqui. t. t. c.
Pallida est, ut peperit puerum. Adloquar, quasi nesciam.
Iubeo vos salvere. Ph. Noster Geta, quid agis? uti vales?
Ge. Valeo et venio ad minus valentem et, melius qui valeat, fero.
Herus meus, ocellus tuos, anteferre me haec iussit tibi
Dona, quae vides hos ferre, et has quinque argenti minas.
Ph. Pol haud perit, quod illunc tantum amo. i. tr. br.
Ge. Iussit orare, ut haec grata haberes tibi. c. t.
Ph. Grataque ecastor habeo. Iube auferri cr. t. c.
Intro, Cyame. — cr. h.
Ecquid auditis haec, quae imperata sunt? as. c. d. t. h.
Ge. Vasa nolo auferant: desiccari iube. c. t.
Ph. Inpudens mecastor. Ge. Quinam est? Egone? Ph. Tu. Ge. Bona fide? t. t. c.
Tune ais me inpudentem esse, ipsa quae sis stabulum flagiti?

529. Sic Lamb. V.: *nihilominus*. Pal.: *unquam nihili omnibus*. V. quoque: *quam potest*. 530. V.: *mina*. 533. V.: *abeat*. 534. Sic vett. V.: *sine omni bona g*. 535. V. *sic* non legitur. Addidit Par., cum in scriptis hoc reperisset: *haec cu.a video si fieri*. 539. V.: *quod illi subest*. Verba *etsi haud*, quae sententia requirere videbatur, intercepta fuerint ab utrinque vicinis. 548. *hos*. V.: *illos*. 551. Sic Pal. et vett. edd. V.: *Grata quaeque ec. hab*. 552. V.: *Intro i, Cyame*. 554. Vett.: *iubet*. V.: *lubet*. 555. V.: Ph. *Imp., m., quanti est negotii?* Ge. *tun' bona fide, Tune ais* etc. MSS.: *mecast. cuom est egori Tu bona f.*

Ph. Dic, amabo te, ubi est Dinarchus? Ge. Domi. Ph. Dic, haec ob dona. as. t. d. i. d. c.
Quae ad me misit, me illum amare plurimum hominum omnium ergo,
Meque honorem illi habere omnium maxumum, c. t.
Atque, uti veniat huc, obsecrare. Ge. Ilicet!
Sed quis illic nam homo est, qui ipsus sese comest,
Tristis, oculis malis? Animo hercle homo suo est miser,
Quisquis est. Ph. Dignus mecastor est. Ge. Nam quis est?
Ph. Non novisti, obsecro, qui illi apud med erat,
Huius pater. Usque abiectaculum cr. tr.
Iussit ali: mansi; auscultavi; observavi, inquam, — perulam. t. t. c.
Ge. Novi hominem nihili. Illic, quaeso, est? Ph. Illic. Ge. Me intuitur gemens.
Traxit ex intumo ventre suspirium. c. t.
Hoc vide: dentibus frendit, icit femur.
Num, obsecro, nam hariolus, qui ipsus se verberat?
St. Nunc ego meos animos violentos meamque iam iram ex pectore promam! t. t.
Loquere: unde es? quoius es? cur ausus mi inclementer dicere? t. t. c.
Ge. Lubitum. St. Istuccine mihi responsas? Ge. Hoc: non ego te floccifacio. t. t.
St. Quid tu? cur ausa es alium te dicere hominem amare? Ph. Lubitum est.
St. Ain' tandem? Istuc primum experiar. Tun' putili doni causa,
Olerum atque escarum et poscarum, moechum malacum, cincinnatum,
Umbraticolam, tympanotribam, amas, hominem non nauci? Ge. Quae haec res?
Meone hero, inprobe, tu maledicere audes, fons viti et periuri?
St. Verbum unum adde istoc: iam ego hercle te hic hac offatim conficiam!

557. V.: *istaec.* 558. V.: *miscrit.* 559. V.: *illum.* 563. *Nam quis est?* MSS.: *nequid est?* Vett. edd.: *ecquid est?* V.: *quid est?* 564. V.: *qui illic ap. me erat.* 565. Pal.: *huius pater usque ad iectaculum.* Vetus quoque liber Camer. *usque adectaculem.* V.: *h. pat. pueri illic est. U. ad ientaculum.* Sed verba *pueri illic est* absunt a veteribus tam scriptis quam impressis. *Abiectaculum* formatum ut *obiectaculum* apud Varronem, *spectaculum* etc. 566. Pal.: *observavi quem per nam.* V.: *obs.* Ge. *quem pernam Novi* etc. 567. V.: *intuetur.* 573. V.: *Lubido est.* 575. *putilli.* MSS.: *pentilli, pertilli.* V.: *tantilli.*

Ge. Tange modo: iam ego te hic agnum faciam et medium distruncabo!
Si tu ad legionem bellator cluis: at ego in culina clueo.
Ph. Si aequom facias: adventores meos non incuses mihi, quorum
Dona accepta et grata habeo, tuaque ingrata, quae abs te accepi.
St. Tunc pol ego et donis privatus sum et perii! Ge. Plane istuc est. t. t. c.
Ph. Quin nunc ergo hinc, odiose, is, omnibus confessus reus?
St. Perii hercle hodie, ni hunc a te abigo! Ge. Accede modo huc! adi huc modo! St. Etiam, t. t.
Scelus viri, minitare? quem ego offatim iamiam concipilabo!
Quid tibi huc ventio est? quid tibi hanc aditio est? c. t.
Quid tibi hanc notio est, inquam, amicam meam?
Emoriere ocius, si manu niceris!
Ge. Quin manu nicerim? St. Fac, quod iussim: mane:
Iam ego te hic offatim conficiam! Occidi optumum est.
Ge. Captio est; istanc machaeram longiorem habes, quamde haec est; t. t.
Sed verum sine domo petere, si quidem belligerandum est tecum.
Ibi demum ego tecum, bellator, arbitrum aequom ceperim. t. t. c.
— Sed ego cesso hinc me amoliri, ventre dum salvo licet?
Ph. Date soleas atque me intro actutum ducite: i. s.
Nam mihi de vento misere condoluit caput.
St. Quid mihi futurum est, quoi duae ancillae dolent,
Quibus te donavi? — Iamne abisti? Ph. Hem, sic datur!
St. Quo pacto? excludis? — Quaeso, potine planius,
Quam exclusus nunc sum? Pulcre ludificor! Sine!
Quantillo mi opere nunc persuaderi potest,
Ut ego his subfringam talos totis aedibus!
Num quidpiam avarum mutat morem mulierum?
Postquam filiolum peperit: animos sustulit
Nunc, quasi mihi dicat: „Nec te iubeo nec veto

581. *cluis.* V.: *clues.* Sed Pal. et vett. edd.: *ciuis.* V. quoque secundum cod. Rover., a Lipsio inspectum: *at ego in culina Ares.* Sed Pal. et ceteri scripti: *at e. in c. ciue* (h. e. *cluo*). Vett. edd.: *at e. in c. aves.* Recte Cam.: *at e. in c. clueo.* 585. V.: *Quid n. e. hic, od., es.* 586. V.: *nisi.* 590. V.: *Quid m. n.? St. F., q. iussi. mane. I. e. te h. o. c.* Ge. *occidi opt. est captio* etc. 593. V.: *sine dum pet.* 594. V.: *Ibo domum. Ibi*, tum. 596. V.: *Datin'.* Vett. edd.: *Date iam sol.* 599. Sic Pal. V.: *abiisti.* 603. V.: *hisce.* 604. V.: *mores.*

Introire in aedis." At ego nolo! non eo!
Ego faxo dicat me in diebus pauculis
Crudum virum esse. Sequere me hac. Verbum sat est.

STRABAX. ASTAPHIUM.

STR. Rus mane dudum hinc ire me iussit pater: i. s. III, 1.
Ut bubus glandem prandio depromerem.
Postilla venio: quom advenit, si dis placet,
Ad villam, argentum meo qui debebat patri,
Qui ovis mercatus tarentinas; quaerit patrem;
Dico esse in urbe; interrogo, quid eum velit;
Homo crumenam sibi de collo detrahit,
Minas viginti mihi dat; accipio lubens,
Condo in crumenam; ille abiit: ego propere minas
Ovis in hac crumena in urbem detuli.
Fuit edepol Mars meo periratus patri:
Nam oves illius haud longe absunt a lupis.
Nam ego istos urbanos mundulos amasios
Hoc ictu exponam atque omnis eiiciam foras.
Eradicare est certum cumprimis patrem,
Post id locorum matrem. Nunc hodie feram
Argentum ad hanc, quam mage amo quam matrem et patrem.
Tat, ecqui est? nulla est? ecqui hoc aperit ostium?
A. Quid istuc alienum est, amabo, mi Strabax,
Qui non extempulo ires? anne oportuit
Ita te quidem, qui es familiaris? STR. Ibitur:
Ne me morari censeas. A. Lepide facis.

STRATILAX. ASTAPHIUM.

S. Mirum videtur, ruri herilem filium i. s. III, 2.
Strabacen non redisse, nisi si clanculum
Conlapsus est huc in conruptelam suam.
A. Iam illic pol inclamabit me, si adspexerit.
S. Quid vis? quid? A. Quid? tuam expeto truculentiam.
S. Nimio minus saevos iam sum, Astaphium, quam fui;

612. V.: *Post illoc veni.* 614. V.: *Qui ov. Tar. erat merc. de patre. Quaerit* etc. 618. *propere* Iunt., et recte. Edd. primae: *perpere.* Scripti: *perpera, perperas,* ut vulgo. 622. V.: *Nunc ego.* 625. V.: *efferam.* Corr. Acid. 626. V.: *qu. matrem meam.* 627. V. *ecquis* utroque loco. 629. *ires?* Pal.: *Ire si anne op.* V.: *Q. n. extemplo intres?* 633. Sic Pal. V.: *rediisse.* 636. vulgo post 638 legitur.

Iam nenu sum truculentus; noli metuere.
Dic, impera mihi quidvis et quovis modo.
Novos habeo omnis mores; veteres perdidi.
Vel amare possum, vel iam scortum ducere.
A. Lepide mecastor nuntias. Sed dic mihi,
Haben'? S. Parasitum te fortasse dicere.
A. Intellexisti lepide, quid ego dicerem.
S. Heus tu, iam, postquam in urbem crebro conmeo,
Dicax sum factus; iam sum villator probus.
A. Quid id est, amabo? Istaec ridicularia
Cavillationes vis, opinor, dicere.
S. Ita; id pauxillum differt a cavillibus.
A. Sequere intro, amabo, mea voluptas. S. Tene tibi hoc;
Rabonem habeto: mecum ut hanc noctem sies.
A. Perii, rabonem? quam esse dicam hanc beluam?
Quin tu arrhabonem dicis? S. Ar facio lucri,
Ut Praenestinis conia est ciconia.
A. Sequere, obsecro. S. Strabacem hic opperiar modo,
Si ruri veniat. A. Is quidem apud nost hic Strabax.
Modo rure venit. S. Priusne quam ad matrem suam?
Heu edepol hominem nihili! A. Iamne autem, ut soles?
S. Imo nihil dico. A. I intro, amabo! cedo manum!
S. Tene. — In tabernam ducor devorsoriam,
Ubi male accipiar mea mihi pecunia.

D I N A R C H U S.

Neque gnatust neque progignetur neque potest reperirier, t. t. c. IV, 1.
Quoi ego nunc aut dictum aut factum melius quam Veneri velim.
Divi magni, ut ego sum laetus! ut laetitia differor!
Ita magna ad me nuntiavit Cyamus hodie gaudia:
Mea dona deamata acceptaque habita esse apud Phronesium.
Cum istuc iam volupe est, tum hoc nimio magnae melliniae mihi,
Militis odiosa ingrataque habita. Totus gaudeo!
Mea pila est: si repudiatur miles, mulier mecum erit.

638. V.: *I. non sum.* 643. V.: *Habent*, quod dudum Salmas' emendaverat. 645. Ita Camer. et Par. V.: *commoveo.* 646. V. *cavillator.* Corr. Muret. ap. Lips. Antiq. Lectt. 5, 7. 647. Sic vett. V.: *istaecce.* 649. MSS. et vett. edd.: *I. ut paux.* V., secundum Cam.: *I. ut p. differat a cavillulis.* 656. V.: *nos est hic.* 658. V.: *anne autem.* 659. MSS.: *Iamne nihil d.* 664. V.: *Dii;* deinde: *et laet.* 667. V.: *Cum hoc.* 669. *erit* placuit Taubmanno MSS.: *prit.* Edd. vett.: *perit.*

Salvos sum, quia pereo; si non peream, plane interbitem.
Nunc speculabor, quid ibi agatur, quis eat intro, qui foras
Veniat; procul hinc observabo, meis quid fortunis fuat.
Quia nil habeo: unum, animus, me movet. Omnia agam precario!

ASTAPHIUM. DINARCHUS.

A. Lepide ecficiam meum, hera, officium; vide intus modo ut tu tuom item ecficias: as. t. d. i. d. h. IV, 2.
Ama, id quod decet, rem tuam; istum exinani. b. t.
Nunc dum isti lubet, dum habet, tempus ei rei obsecundes. as. t. d. i. d. c.
Prome venustatem: amanti tuam: ut gaudia conpares. ch. t.
Ego hic interim restitrix praesidebo, b. t.
Istic dum sic faciat domum ad te exagogam;
Nec quemquam interim istoc ad vos, qui sit odio, intromittam. Tu perge, ut lubet, ludere istos. b. o.
Di. Qui est iste? Heia, Astaphium, indica, qui perit. A. Amabo, hiccine tu eras? i. t.
Di. Molestusne sum? A. Nunc magis, quam fuisti: b. t.
Nam nisi qui usui est nobis, nobis molestus.
Sed, obsecro, da mi operam, ut narrem, quae volam. i. s.
Di. Nam quid est? num mea refert? cr. tr. cat.
A. Non mu. Sed intus bolos quos dat! Di. Quid? novus amator quispiam? i. t.
A. Integrum et plenum adorta est thesaurum. Di. Quis est? cr. t.
A. Eloqnar; sed tu taceto. Novistine tu hunc Strabacem? t. t.
Di. Quidni? A. Solus summam habet hic apud nos. Nunc is fundust nobis. t. t.
Animo bono male perit. Di. Perii ego hercle item. i. s.
A. Stultus es, qui facta infecta facere verbis postules. t. t. c.
Thetis quoque etiam lamentando pausam fecit filio.

670. MSS.: *pane urient, pane uriem.* Vett. edd.: *plane esuriam.* V.: *plane intercam*, quod metro non sufficit. Corr. Acid. Cf. Capt. 616. 673. V.: *animos movit mihi.* Pal.: *animos moui mihi omnia a. p.* 678. MSS.: *E. int. hic restitricis praes.* V.: *E. int. h. restitrix his praes.* 679. V.: *Iste.* 680. V.: *ludin' istos?* Corr. Douza fil. 683. V.: *usu.* 684. Vet. cod. Camer.: *volom.* V.: *volo.* 688. Pal.: *novistin tun h. Str.* V.: *novisti tun' h. Str.?* 690. Pal. et vett. edd.: *A. b. male gerit.* Fecerunt: *A. b. male rem gerit.* Sed his responsio Dinarchi minus convenit. V. quoque: *idem.* 692. *pausam* legendum vidit Mercer. ad Non. p. 105. Vett.: *lausum.* V. *lessum.*

Dr. Non ego nunc intro ad vos mittar? A. Quidum quam miles magis?
Dr. Quia enim plus dedi. A. Plus enim es intromissus, quom dabas;
Sine vicissim, qui dant operam, ob id, quod dant, operam utier.
Litteras didicisti; quando scis: sine alios discere.
Dr. Discant, dum mihi argutari liceat: ne oblitus siem,
Quae didici. A. Interea, magister, dum tu commentabere,
Volt illa itidem commentari. Dr. Quid? A. Rem accipere identidem.
Dr. Dedi equidem hodie eii quinque argenti deferre minas;
Praeterea unam in obsonatum. A. Id enim istoc delatum scio:
De eo nunc bene sumus tua virtute minuma. Dr. Ut inimici mei
Bona edint istaec? Mortuom hercle me, quam id patiar, mavelim!
A. Malim inimicos mi invidere, quam med inimicis meis:
Nam invidere alii bene esse, tibi male esse, miseria est.
Qui invident, egent illi; quibus invidetur, ii rem habent.
Stultus. Dr. Quid id est? A. Opperire. Dr. Quid iam? A. Quia pol mavelim,
Dr. Non licet de obsonio meo me participem fieri?
A. Si volebas participari: auferres dimidium domum.
Nam itidem hic ut Acherunti ratio accepti scribitur:
Intro accipimus; quando acceptum est, non potest ferri foras.
Bene vale. Dr. Resiste! A. Amitte! sine! Dr. Mitte intro. A. Ad te quidem.
Dr. Imo istuc ad vos. A. Enim iri non potest. Dr. Nimium potest.
Sine experiri. A. Imo opperire: vis est experirier. i. t.
Dicam adesse, ni occupata est. Dr. Resta! — Exi! A. Frustra siet.

695. *operam* utrobique habent edd. aliquot antiquae, in his Mediol. a. 1500. V.: *operis utier.* 697. *argutari.* Scripti: *argentari*; vett. edd.: *commentari*, quae videtur esse interpretatio, ex sequentibus petita. 698. *Quae did.* Pal.: *Qui dedit.* V.: *Quod dedi.* 699. Libri: *V. interim illa.* 700. V.: *ei.* 702. Vett.: *sum.* Deinde edd.: *virtute.* Dr. *illine ut inimici.* Sed Pal.: *uirtutem ime ut iniem cimei.* Neque aliter vet. cod. Camer., nisi quod ibi scriptum erat *uirtutem imeme.* Cf. Pseud. 323. 703. V.: *quam ut id p.* 707. Sic MSS. et vett. edd. V.: *Stultus es.* 708. Pal.: *N. l. d. obsonii me p. f.* Et sic fere vett. V.: *N. l. de obs. mna me p. f.?* 712. V.: *Amitto intro.* 713. *iri.* MSS.: *irem*, quod initio fuisse videtur *ire enim.* 715. Vet. cod. Camerar.: *occup. est resistat ex ex frustra sit.* Decurt.: *occ. est resistat et fr. sit.* V.: *occ. est.* Dr. *resiste, hem!* As. *Fr. es.* *Resta* est a Grutero.

Di. Redin', an non? A. Redeam; sed vocat me, quae in me plus potest.
Di. Uno verbo eloquar: mittisne me intro? A. Mendax es! abi! i. t.
Unum aiebas; tria iam dixti verba, ac mendacia. t. t. c.
Di. Abiit! intro hinc ivit! Ego mihi haec ut patiar fieri?
Iam hercle ego tibi, inlecebra, ludos faciam clamore in via,
Quae accepisti advorsum legem a pluribus pecuniam!
Iam hercle apud magistratus omnis faxo erit nomen tuom;
Post id ego manum te iniiciam quadrupli, venefica,
Suppostrix puerum! Ego edepol iam tua probra aperibo omnia.
Nil mihi iam; perdidi omne, quod fuit: fio inpudens,
Nec mihi adest tantillum pensi iam, quos capiam calceos. —
Sed quid ego hic clamo? quid, si me iubeat intromittier?
Conceptis, me non facturum, verbis iurem, si velit. —
Nugae sunt. Si stimulos pugnis caedis: manibus plus dolet.
De nihilo est illi te irasci, quae te non flocci facit.
Sed quid hoc est? Proh di inmortales, Calliclem video senem,
Meus qui adfinis fuit, ancillas duas constrictas ducere,
Alteram tonstricem huius, alteram ancillam suam.
Pertimui! postquam una cura cor meum movit modo:
Timeo, ne malefacta antiqua mea sint inventa omnia.

CALLICLES. ANCILLA. TONSTRIX. DINARCHUS.

Ca. Egon' tibi male dicam aut adeo male velim? Ut animus meust, t. t. c. IV, 3.
Propemodum expertae estis, quam ego sim mitis tranquillusque homo.
Rogitavin' ego vos pendentis verberans ambas simul?
Conmemini; quo quidque pacto sitis confessae, scio.
Hic nunc volo scire eodem pacto: sine malo fateamini!
Quamquam vos colubrino ingenio ambae estis: edico prius,
Ne duplicis habeatis linguas: ne ego bilinguis vos necem;

716. V.: *plus potest, quam potes.* (vett.: *potest.*) 717. Sic recentiores, et recte, ut ex ancillae responsione colligas. 718. Pal.: *U. alebat stridia dixti uerba atque mend.* Sequor Camerarium. S littera in *stridia* pertinet ad *alebat*, qua significatur, *aiebas* legendum esse pro *aiebat*. Vid. not. ad 520 etc. 721. V.: *plurimis.* 725. Vett.: *Nihil me perdidi.* V.: *Nihili me; perd.* 736. V.: *aut tibi adeo.* 738. Vett.: *Rogitavi e. v. verberantes* (Pal.: *verberantis*) *has* (vel *bas*, inquit Par.) *pendentes simul.* V.: *Rogitavi e. v. verberantes et pendentes s.*

Nisi si ad tintinnaculos vos voltis educi viros.
An. Vis subigit verum fateri: ita lora laedunt brachia.
Ca. At si verum mi eritis fassae: vinclis exsolvemini.
Di. Etiam nunc, quid sit negoti, falsus incertusque sum;
Nisi quia timeo tamen. To. Ego nec, quid peccavi, scio.
Ca. Omnium primum diversae state. Hem, sic! istac volo,
Nunc ne inter vos significetis: ego ero paries. Loquere tu.
An. Quid loquar? Ca. Quid puerod actum est, mea quem peperit filia,
Meo nepoti? Capita rerum expedito. An. Istae dedi.
Ca. Iam tace. — Accepistin' puerum tu ab hac? To. Accepi. Ca. Tace:
Nil moror praeterea; satis es fassa. To. Inficias non eo,
Ca. Nam levorem tute scapulis istoc concinnas tuis. —
Conveniunt adhuc utriusque verba. Di. Vae misero mihi
Mea nunc facinora aperiuntur, clam quae speravi fore.
Ca. Loquere tu. Qui dare te huic puerum iussit? An. Hera maior mea.
Ca. Quid tu? cur eum accepisti? To. Hera med oravit minor,
Puer uti ferretur, eaque ut celarentur omnia.
Ca. Loquere tu. Quid eo fecisti puero? To. Ad meam heram detuli.
Ca. Quid de puero tua hera fecit? To. Herae meae extemplo dedit.
Ca. Quoi, malum, herae? An. Duae sunt istae. Ca. Cave tu, nisi quod te rogo mi! — t. t.
Ex te exquiro. To. Mater, inquam, filiae dono dedit. t. t. c.
Ca. Plus quam dudum loquere. To. Plus tu rogitas. Ca. Responde ocius:
Quid illa, quoi donatust? Inque. To. Supposivit. Ca. Quoi? An. Sibi i. t.
Pro filiolo. Ca. Ain'? pro filiolo? Di, obsecro vostram fidem, t. t. c.

744. V.: *subegit.* 748. V.: *istuc.* 750. V.: *puero factum;* sed MSS.: *puero datum.* Vett. edd.: *puero actum.* Verum vidit Grut. 751. V.: *expedite.* 753. V.: *sat. est.* 754. Libri: *livorem.* Corr. Pistoris. 758. Pal. *eram ero uit minor.* Et sic vere vett. V.: *hera mea rogavit me minor.* 759. Vett.: *P. ut ferr.* V.: *P. ut afferretur.* Fort.: *Puerus ut ferr.* 761. Sic vett. edd. Pal.: *cui te puero.* 762. Pal.: *catu nisi q. te r. nisi Ea te exquiro.* V.: *cave tu n. q. te r., nisi Ea quae exqu.* Sic alibi Noster: *cave mi mendaci quidquam,* ut ellipsibus scatet uterque Comicus. 764. Libri: *P. q. d. inquam* (Pal.: *inqua.*) *loqu.* Nempe huc forte aberravit verbum *inque* ex sequente versu, quod legitimo suo loco reposui, itaque duorum versuum numeros exaequavi. 766. V.: *P. f.* Ca. *Pro filiolo?* Sed MSS.: *Pro filiolotoni pro filiolo.*

Ut facilius alia, quam illa, unde est, puerum natum parit!
Haec labore alieno puerum peperit sine doloribus.
Puer quidem beatus: matres duas habet et avias duas. i. t.
Iam metuo, patres quot fuerint. Vide, sis, facinus muliebre! t. t. c.
An. Mage pol ad viros malitia haec pertinet quam ad mulieres:
Vir illanc, non mulier, praegnatem fecit. Ca. Item ego istuc scio. i. t.
Tu bona ei custos fuisti. An. Plus potest, qui plus valet. t. t. c.
Vir erat: plus valebat: vicit; quod petebat abstulit.
Ca. Et tibi quidem hercule idem attulit magnum malum.
An. De istoc ipsa, etsi tu taceas, reapse experta, intellego.
Ca. Nunquam te facere hodie quivi, ut, is quis esset, diceres.
An. Tacui; at nunc non taceo, quando adest: necesse est, indicem.
Di. Lapideus sum: conmovere me miser non audeo.
Res palam omnis est! meo illic nunc fiunt capiti comitia!
Meum illuc facinus, mea stultitia est! Timeo, quam mox nominer. i. t.
Ca. Loquere, filiam meam quis integram stupraverit? t. t. c.
An. Video ego te, propter malefacta qui es patronus parieti!
Di. Neque vivos neque mortuos sum, neque, quid nunc faciam, scio,
Neque, ut hinc abeam, neque, ut hunc adeam, scio! timore torpeo!
Ca. Dicin', an non? dic! An. Dinarchus, quoi illam prius desponderas.
Ca. Ubi is homo est, quem dicis? Di. Adsum, Callicles. Per tua obsecro
Genua, ut tu istuc insipienter factum sapienter feras.
Mihique ignoscas, quod animi inpos vini vitio fecerim.
Ca. Non places: in mutum culpam confers, quod nequit loqui.
Nam: si fabulare posset vinum: se defenderet.
Non vinum hominibus moderari, sed homines vino solent.
Qui quidem probi sunt; verum qui inprobus, si aquam subbibit,

767. *natum* legitur in edd. vett. Scripti: *ut num.* V.: *alienum*, quae vox statim sequitur. 772. V.: *Et idem ego i. sc.* 775. V.: *hercle.* 785. Pal.: *N. ut h. ab. ut neque Ad hunc adeam scio.* 791. Sic vett. V.: *fabulari.* Pal. propriè: *fabularem.* 792. Supplevit Cam. 793. MSS.: *verum Qui iam probus est si quam sibibit siue adeo carct te me tu tamen ab ingen. timidus est improbus.* V.: *v. q. improb. est, sive subbibit, sive a. car. temeto, tam ab ing. est impr.*

Sive adeo scatet temeto: tamen ab ingenio inprobust.
Di. Scio equidem, quae nolo, multa mi audienda ob noxiam.
Ego tibi me obnoxium esse fateor, culpae conpotem.
An. Callicles, vide, quaeso, homini, ne facias iniuriam:
Reus solutus causam dicit; testis vinctos attines.
Ca. Solvite istas. — Agite, abito tu domum, et tu autem domum.
Eloquere haec herae tu. Puerum reddat, si quis eum petat. —
Eamus, tu, in ius. Di. Quid vis in ius me ire? Tu es praetor mihi. i. t.
Verum te obsecro, ut tuam gnatam des mi uxorem, Callicles. t. t. c.
Ca. Eundem pol te iudicasse istanc quidem rem intellego:
Nam haud mansisti, dum ego darem illam; tute sumsisti tibi.
Nunc habeas, ut nactus: verum hoc ego te multabo bolo:
Sex talenta magna a dote demam pro ista inscitia.
Di. Bene agis mecum. Ca. Filium istinc tuom te meliust repetere.
Ceterum uxorem, quam primum potis, abduce ex aedibus.
Ego adeo iam illi remittam nuntium adfini meo:
Dicam ut aliam conditionem filio inveniat suo.
Di. At ego ab hac puerum reposcam: ne mox inficias eat —
Nihil est: nam ipsa haec ultro, ut factum est, fecit omnem rem palam.
Sed nimium pol opportune eapse eccam egreditur foras.
Nae ista stimulum longum habet, quae usque illinc cor pungit meum!

PHRONESIUM. DINARCHUS. ASTAPHIUM.

Ph. Blitea et lutea est meretrix, nisi quae sapit in vino ad rem suam. t. t. c. IV, 4.
Si alia membra vino madeant: cor sit saltem sobrium.
Nam mihi dividiae est, tonstricem meam sic mulcatam mále.

795. Ita Palmer. V.: *obnoxia.* 799. V.: *abite.* 800. Sic Pal. V.: *tuae.* 806. Pal.: *S. tal. malana detes* (h. e. dotis; cf. Pers. 395 etc.) *dem an* etc. Vett. fere *malana.* 808. V.: *potest.* 813. V.: *opp. ecce ab sese* eg. f. Vett.: *opportuna ecce ab se egr. f.*

Ea dixit, eum Dinarchi esse puerum inventum filium.
Ubi id audivi..... Di. It, quam penes est mea omnis res et liberi.
Ph. Video eccum, qui amans tutorem med adoptavit bonis.
Di. Mulier, ad te sum profectus. Ph. Quid agitur, voluptas mea?
Di. Non voluptas! aufer nugas! nil ego nunc de istac re ago.
Ph. Scio mecastor, quid vis, et quid postulas, et quid petis.
Me videre vis; me amare postulas; puerum petis.
Di. Di inmortales, ut planiloqua est! paucis ut rem ipsam attigit!
Ph. Scio equidem, sponsam tibi esse et filium ex sponsa tua,
Et tibi uxorem ducendam iam, et alibi iam animum tuom:
Ut me quasi pro derelicta sis habiturus. Sed tamen
Cogitato, mus pusillus quam sit sapiens bestia,
Uni qui aetatem cubili nunquam conmittit suam:
Quo si unum ostium obsidetur, aliud perfugium gerat.
Di. Otium ubi erit: de istis rebus tum amplius tecum loquar;
Nunc puerum redde. Ph. Imo amabo, ut hos dies aliquos sinas
Eum esse apud me. Di. Minume. Ph. Amabo. Di. Quid id opust? Ph. In rem meam est. i. t.
Triduom hoc saltem, dum miles aliquo circumducitur.
In eam rem. Re si quid habebo: tibi quoque etiam proderit.
Si aufers puerum: a milite tum omnis mihi spes animam ecflaverit.
Di. Factum cupio: nam re facere, si velim non est locus.
Nunc puerum utere et procura: quia, unde procures, habes.
Ph. Multum amo te ob istam rem ecastor. Ubi domi metues malum:
Fugito huc ad me. Saltem amicus mi esto manubiarius.
Di. Bene vale, Phronesium. Ph. Iam me tuom oculum non vocas?

818. *Esse* vulgo desideratur, quod invenit Acid., necessarium illud quidem versui. 819. V.: Din. *U. id audivit quam penes est m. o. r. et lib. Ph. Video* etc. 820. V.: V. *e., qui manstutorem me a. b.* Cf. Most. 229. Possit etiam legi *qui mas tutorem*, qui, mas seu vir cum sit, me foeminam tutorem bonis suis adoptavit, cum contra fiat ex lege. 823. *Vis* legitur in Pal. et vett. edd. *postulas* in his tantum. V.: *quid velis, et q. postules et q. petas.* 824. V.: *Me v. v., et me te am post.* 827. V.: *iam esse: alibi.* 831. V.: *Quia* (Pal. et vett. edd. *qua*) *Si un ost. obsideatur, a. p. gerit.* Fort. legendum est *perf. petat.* 834. Pal.: *Iure mea.* V.: *e re mea est.* 837. V.: *auferes* vitiato quidem metro. 839. V.: *puero.* 840. V.: *M amabo. te ob. i. r. mecastor.*

Di. Id quoque interim futatim nomen conmemorabitur.
Ph. Numquid vis? Di. Facultas operae mi ubi erit: ad te venero.
Ph. Ille quidem hinc abiit, abscessit: dicere. hic quidvis licet.
Verum est verbum, quod memoratur: Ubi amici ibidem opes.
Propter hunc spes etiam est, hodie tactum iri militem,
Quem ego ecastor mage amo quam me, — dum id, quod cupio, inde aufero:
Quia, quom multum abstulimus, haud adparet multum, quod datum est.
Ita sunt gloriae meretricum. A. Ah, tace! Ph. Quid est, obsecro?
A. Pueri pater adest. Ph. Sine eumpse adire huc! sine, si is est modo,
Sine adire eumpse, uti cupit, ad me hac recta, rectam si tenet!
Nae istum ecastor hodie astutis confexim fallaciis.

STRATOPHANES. ASTAPHIUM. PHRONESIUM. STRABAX.

St. Eo mi amare: fero supplicium damnis ad amicam meam! t. t. c. V.
Utut illuc acceptum est, prius quod perdidi: hoc addam insuper.
Sed quid video heram atque ancillam ante aedis? Adeunda haec mihi est.
Quid hic vos agitis? Ph. Ne me adpella. St. Nimium saevis. Ph. Sic sine. i. t.
Potin', ut mihi molestus ne sis? St. Quid id est, Astaphilitium? t. t. c.
A. Merito ecastor tibi suscenset. Ph. Egon'? Atque isti etiam parum

844. Sic vett. V.: *fac valeas. operae* etc. 846. Sic vet. cod. Cam. et ed. Paris. V.: *opus.* 847. Pal. et vett. edd.: *P. h. s. et. e. hod. tantum rim mil.* (Pal.: *litem.*) V.: *hodie * * rimilitem.* Emend. Petit. 849. V.: *Quae cum multum.* 850. *Vah.* V.: *aha.* Vett. edd.: *ha.* 851. Vett.: *sine eum ipse ad.* V.: *s. eum ipsum ad.* 852. Pal.: *S. eum ipse adire ut cup. ad me ad recta sitenent*, vel *tenet.* Et sic fere vett. V., secundum Sarrac.: *S. eum ipsum ad., ut cup., ad me hac recta. si venerit, Nae* etc. 853. Libri vett.: *Ne i. e. hod. hastis* (vel *astis*) *confectum fall. Astutis* dedit Sarrac., cum praestaret fortasse legere *vastis* (*bastis, hastis*); *confexim* Acidalio debetur. 855. V.: *acc. sit.* 858. V.: *P. es ut m. m. ne sies.* 859. Pal. et vett.: *suscenset legon atque ne* (nae) *isti etiam.*

Male volo. St. Ego, mea voluptas, si quid peccavi prius,
Supplicium ad te hanc mnam fero auri, si mihi rides Spice.
Ph. Manus vetat, priusquam penes sese habeat, quidquam credere.
Puero opust cibum; opus est autem matri, quae puerum lavit;
Opus nutrici autem: utrem ut habeat veteris vini largiter:
Ut dies noctisque potet; opus ligno; opus carbonibus;
Fasciis opus est, pulvinis, cunis, incunabulis;
Oleum opust; farina puero opust; opust totum diem;
Nunquam hoc uno die efficiatur opus, quin opus semper siet:
Non enim pote militaris puer setanio educier.
St. Respice ergo atque accipe hocce, qui istuc efficias opus. t. t. c.
Ph. Cedo, quamquam parum est. St. Addo unam mnam istuc postideo. Ph. Parum est.
St. Tuo arbitratu, quod iubebis, addabitur. Dan' savium?
Ph. Mitte me, inquam! odiosus! St. Nil fit; non amor; teritur dies.
Plus decem pondo auri morus pauxillisper perdidi!
Ph. Accipe hoc atque auferto intro. Str. Ubi mea amica est gentium?
Neque ruri neque hic quidquam operis facto; conrumpor situ:
Ita miser cubando in lecto hic exspectando obdurui.
Sed eccam video. Heus, amica, quid agis mihi? St. Quis ille homo? i. t.
Ph. Quem ego ecastor mage amo, quam te. St. Quam me? quam me? quomodo?
Ph. Hoc modo, ut molestus ne sis. St. Iamne abis, postquam aurum habes?
Ph. Condidi intro, quod dedisti. Str. Ades amica: te adloquor.
Ph. At ego ad ted ibam. Str. Ad me, delicia? Ph. Hercle vero serio.
Str. Quamquam ego tibi videor stultus: gaudere aliqui me volo:

861. V.: *minam;* deinde: *espice.* MSS.: *rides pice.* 865. Vet. cod. Cam.: *op. icno.* Decurt.: *opus istic non.* Aliquot libri vett.: *op. lignis.* Vid. Taubm. V.: *opu'st igne, op. est carb.* 869. V.: *N. e. possunt* (scripti *possum, possim,* ut Pal.) *militares pueri set.* (MSS.: *etauio*) *ed.* 871. Pal.: *C. q. p. e. adomne manuc istic poste parust.* V.: *C., q. p. e* St. *addam minam adhuc istic postea.* Ph. *p. e.* 872. Sic vett. V.: *T. a., q. i., id dabitur. da nunc sav.* 878. Scripti: *quid a. mille quis illic homo.* V.: *quid ag.?* St. *quis illic h.?* 879. Sic vett. V.: *mecastor.* (Pal.: *Q. e. ec. age amo.* V.: *magis amo.*)

Nam quamquam bella es, malo tuo es, nisi te ego aliqui gaudeo.
Ph. Vin' te amplectam et savium dem? Str. Quidvis facere gaudeam,
St. Meosne ante oculos illam ego patiar alios amplexarier?
Mortuom hercle me aio satius. Abstine hoc, mulier, manum,
Nisi si te manu mea in machaera et hunc vis emori.
Ph. Nil φλυαρεῖν satiust, miles, si te amari postulas,
Auro, haud ferro, deterreri potis est, ne amet, Stratophanes.
St. Qui, malum, bella aut faceta es, quae ames hominem istimodi?
Ph. Venitne in mentem tibi, quod verbum in cavea dixit histrio? i. t.
„Omnes homines ad suom quaestum callent, nec fastidiunt."
St. Hunccine hominem te amplexari, tam horridum atque squalidum?
Ph. Quamquam hic squalidus, quamquam hic horridus est: at est bellus mihi.
St. Dedi ego aurum. Ph. Mihi? Dedisti filio cibaria.
Str. Nunc, sid hanc tecum esse speras: alia opust auri mina.
St. Malam rem his, et magnam! Str. Magno opere serva tibi viaticum. i. t.
St. Quid ista debet tibi? Str. Tria. St. Quaenam? Str. Unguenta, noctem, savium.
Ph. Par pari respondet vero. — Verum nunc saltem, si amas, t. t. c.
Dan' tu mihi de tuis deliciis summis quid pauxillulum?
St. Quid ita? Ph. Abi! St. Aveo scire, quid dem. Dicdum. Si superet: feres.
Campas dicit. — Abi, abi: consultabis. — Isne tu huc, mi homo?
St. Volgo ad se omnis intromittit. — Abstine istac, tu, manum!

884. Vett.: *nisi tu ego a. g.* V.: *nisi tuo e. a. g.* 885. V.: *Vine te amplectar.* Gronov.: *facere.* V.: *face.* 887. Scripti: *M. h. medio sat.*, sicut a et d litterae non semel sibi invicem offecere. V.: *M. h. me duco sat.* 888. Sic item vett., nisi quod habent *mori*, et scripti *ui* pro *in.* V: *N. si te mea manubia et h. v. e.* 890. V.: *deterrere potes.* Scripti: *potest.* 893. Inepte libri: *call. et fast.* 895. Vett.: *Q. h. squalidus* (scripti: *qualis*) *est, q.* (Pal. *quam*) *hic horr. citus bellum hi.* V.: *Q. h. horridu'st, qu. h. squalidus't, scitus bellum init.* 896. Sic vett. V.: *Dedin' e. a.?* 897. V.: *si.* 899. V.: *Q. i. d., nisi tria?* St. *Quae tria nam?* Str. *U., n. s.* 901. Sic MSS. V.: *Da tu de tuis del.* 902. Pal.: *Q. ita ab auo est quod idem Dictum super fert.* Similiter edd. vett. V.: *Quid id, aï, amabo, est, quod dem? dicdum* etc. 903. Pal. et vett.: *C. dicit abaui, consultam istuc Mihi homo.* V.: *C. dicis: abi, abi: consultavi istuc.* St. *Mihi homo Cave* faxis etc. Nam iste versus hoc loco legitur in vulgatis libris.

Str. Cave faxis volnus . . . . . St. Tibi nam? Str. Quoi sunt dentes ferrei!
Iam hercle cum magno m a l o tu vapula, vir strenuos!
St. Dedi ego huic aurum. Str. At ego argentum. St. At ego pallam et purpuram.
Str. At ego ovis et lanam; et alia multa, quae poscet, dabo.
Melius, te minis certare mecum, quam minaciis.
Ph. Lepidus's ecastor mortalis, mi Strabax. Perge, obsecro! —
Stultus atque insanus damnis certant; nos salvae sumus.
St. Age, prior, tiro, aliquid da! Str. Imo tu prior perde et peri!
St. Hem tibi talentum argenti! Philippicum est. Tene tibi.
Ph. Tanto melior! Noster esto; sed de vostro vivito.
St. Ubi est, quod tu das? Solve zonas, provocator! Quid times? i. t.
Str. Tu peregrinus; hic e g o habito. — Num mea es? St. Nego. Ambula. t. t. c.
Str. Pecua ad hanc ego in crumena obligata defero.
St. Quid dedisti? — Ut distrinxi hominem! Str. Imo ego te vero. St. Qui dedi?
Ph. I tu intro, amabo, et tu vero ad me. Iam tu eris mecum quidem. i. t.
Str. Quid tu? quid, q u i d aiis? cum hoccine? St. N o n ego posterior dedi? t. t. c.
Ph. Tu dedisti; h i c iam daturust: istuc habeo; hoc expeto.
Verum utrique mos geratur amborum ex sententia.
Str. Fiat. Ut rem gnatam video: hoc accipiundum est, quod datur.
St. Meum quidem te lectum certe occupare non sinam. i. t.
Ph. Lepide mecastor aucupavi atque ex mea sententia,
Meamque ut rem video bene gestam, vostram rursus bene geram.
Re, amabo, si quid animatus's facere: faciam uti sciam. t. t. c.
Veneris causa adplaudite: eius haec in tutela est fabula.
Spectatores, bene valete, plaudite atque exsurgite.

905. V. sub militis persona: *cave f. v. tibi iam cui s. d. f.* 906. V.: *I. h. iam magno.* 915. V.: *provocatur.* Corr. Acid. 916. Pal.: *Habito nunc meos non ego ambulo.* V.: *habeo: timeo meos. non ego ambulo.* 918. Sic vett. V.: *P. ad h. collo in cr. ego obl. def.* 918. V.: St. *Quid dedi? ut d. h.* Str. *i. ego vero. q. d.* 919. Pal.: *in intro am. et tu uergo a me Cum tu e. m. q.* 926. Vett.: *Aeque utrem debere ne gestam vestram r. b. g.* In vulgatis *video* desideratur. 927. *Re amabo.* Scripti: *Romabo.* V. secundum Cam.: *Verum, amabo.* Possis etiam: — *geram: Redamabo. Si* etc.

M. A. PLAUTI
FABULARUM
FRAGMENTA.

LOCI EX COMOEDIIS,

QUAE EXTANT, CITATI, QUI TAMEN IN NOSTRIS HODIE CODICIBUS NUSQUAM COMPARENT.

AMPHITRUO.

1. Nec nobis praesente aliquis quisquam nisi servos . . .
   Non. v. Absente.
2. Optumo iure infringatur aula cineris in caput. t. t. c.
   Idem v. Aula.
3. Ne tu postules, matulam unam tibi aquai infundi in caput. t. t. c.
   Idem v. Matella.
4. Herus Amphitruo accupatus. Idem v. Occupatus.
5. Quaeso advenienti morbo ius medicabile. i. s.
   Enim tu certe aut larvatus aut cerritus es.
   Edepol hominem te miserum! medicum quaerita.
   Idem vv. Advenire et Cerriti.
6. Quoi? quae me absente, corpus volgavit suom? i. s.
   Idem v. Vulgavit.
7. Exiuravisti, te mihi dixe per iocum. i. s.
   Idem v. Exiurare.
8. Qui nequeas, nostrorum uter sit Amphitruo, decernere. t. t. c.
   Idem v. Decernere.
9. Nisi hoc ita factum est, proinde ut factum esse autumo: i. s.
   Non causam dico; verum ne insimules probri.
   Idem v. Autumare.
10. Manufestum hunc obtorto collo teneo furem. t. tr. vel as. 2 ith.
    Idem v. Furtum.

Amph. 1. Hic versus inculcatus a quibusdam est inter Amph. 661 et 662. 3. Ita Mercer. Vulgo: *matellam u. t. aquae.* Fort.: *Ne t. p., matellam t. a. i. c.* 5, 1. Vett. Nonii edd.: *Q. a. m. iure medicabis.* V.: *Quaese adveniente m. nunc medicum tibi.* 6. V.: *Quoique* (eaedem edd.: *Cuiusque*) *me* etc. 9, 2. V.: *verum qui insimulet probri.* Non. Paris. a. 1511.: *rerum non simules probari.* Neque aliter Ald., nisi quod habet *verum.*

11. Ibi scrobes ecfodito duplos sexagenos in dies. t. t. c.
Idem v. Scrobes. Priscian. l. 5 p. 657, l. 7 p. 751.

12. — Abiendi etiam nunc tibi est occasio. t. t. c.
Prisc. l. 11 p. 924.

13. Animam conprime. Non. v. Anima.

14. — De nocte sum profectus ad portum prosumia. t. t. c.
Fest. v. Prosumia. Non. c. 13. n. 17.

ASINARIA.

1. Qui etiam me miserum famosum flagitiis faciet suis. t. t c.
Non. v. Fama.

2. — Hic aderit, credo, congerro meus.
Idem v. Gerrae.

AULULARIA.

1. Nec noctu nec diu quietus unquam eram; nunc dormiam. i. t.
Idem v. Diu.

2. Non quidem ego, qua qua voluptate, sumsi nec tetigi. t.
Idem v. Sumere.

3. Homo ebriatus somno sanari solet. i. s.
Idem v. Ebriolare.

4. Qui mi olera cruda ponunt, halecem danunt i. s.
Idem v. Halec.

5. Ego ecfodiebam in die denos scrobes. i. s.
Idem v. Scrobes.

6. Hic quidem pervicus custodem addidit.
Idem v. Pervico.

14. Non. Caecilio tribuit; verum Festi maior est auctoritas. Versus ἀκέφαλος. Post qaem vulgo haec leguntur:

At ego certe cruce et cruciatu mactabo: exi o foras, mastigia.

de quibus cf. initium Amphitruoni suppositae scenae *Tun' me, carnufex.*

Asin. 1. Si legatur, correctione minime violenta, *miseram famosam*, inserenda haec videantur post Asinariae versum 827. Si *Quae* haberetur in libris, referrem ad Amphitruonem.

Aul. 1. *Eram.* V.: *eam.* 2. Vulgo post hunc versum leguntur illa *Sed leno — sublegam*, quae nos Incertorum 27 numeravimus, cum lenonis persona ab argumento Aululariae abhorreat. Legitur autem apud Non.: *sermone satus subl.*, unde Mercer. exsculpsit *sermonem eius subl.*, nos legerimus potius *sermonis satis*, vel, meliore numero, *satis sermonis, subl.* 3. Nonii vett. edd.: *ebriacus.* Recte fecerunt *ebriatus*, cum Carrioni placuisset, quod vulgo legitur, *ebriolatus* Emendatt. 1, 2. 4. V.: *halec.* 6. Quae post eum versum leguntur, haec: *Pro illis crocotis, strophiis, sumtu uxorio*, ea nos post Aul. 479 inseruimus, Acidalium secuti potius quam Guilelmium, qui post 484 inferciebat. Habentur apud Non. v. Strophium.

7. Ut admemordi hominem. Gell. 7, 9.
8. Myrtam. Myrtum. Porphyrio ad Horat. Od. 1, 38, 5.

Hic peregre moriens parasitum ibidem cognitum i. s.
Coheredem instituit, tacita scripturae fide,
Thesaurum occultum si sine fraude ostenderet;
Locum tantummodo thesauri ostendit senex.
Vid. Plauti Querulus sive Aulularia ed. Commelin. pp. 1, 2.
Parasitus domum purificat et puram facit. i. s.
Sed ubi urnam inspexit, vetere decipitur dolo:
Bustum simulatum credit, se irrisum putat.
Inde, ut se ulcisceretur, urnam, callide
Obrepens per fenestram, proculit in domum,
Qua comminuta bustum in pretium vertitur;
— — — —
Post, re comperta, revolat et partem petit.
Sed quia, quae abstulerit, quae retulerit, non docet:
Furti, post et sepulcri violati, est reus.
Sic ambo, dominus et parasitus, denuo
Fato atque merito collocantur ad sua.
Ibid. p. 2.
Pacem, spectatores, sermo vos rogat poëticus, t. t. c.
Qui Graecorum disciplinas ore narrat barbaro,
Et Latinorum vetusta vestro recolit tempori.
Praeterea precator, spero, non inhumana vice,
Qui laborem indulsit vobis, vestram referet gratiam.
— — — —
Materies vosmet reficiet, si fatigat dictio.
In ludis autem atque dictis veniam antiquam exposcimus.
Nemo sibi arbitretur dici, quod nos populo dicimus,
Nec sibimet causam constituat propriam communi ex ioco,
Nemoque aliquid recognoscat: nos mentimur omnia.
Ibid. p. 3.
Namque ego sum custos, eius et cultor domus,
Cui fuero adscriptus; aedes nunc istas rego.
Decreta fatûm ego tempero; si quid boni est,

Fabula, cui nomen *Querulus* vel *Querolus*, quam primus imprimi iussit apud Commelinum Conr. Rittershusius, prosa quidem oratione conscripta est, sed versus inserti sunt, in iisque satis boni, neque ipsius, puto, scriptoris, quem ad aevum Theodosianum non inepte refert Rittershusius, quorum partem erutam a nobis propinamus hic lectoribus Plauti studiosis, quo aliquot illorum versuum non videntur indigni. Varietatem in hisce lectionis omnem enotare longum est. Potiora tantum haec commemorabimus. 19. V.: *P. precatur et sperat non inh. voce, ut qui vob. lab. ind., v. referat grat.* 21. V.: *lectio.*

Id ultro arcesso; si quid gravius, mitigo.
Ibid. p. 4.
Senio saltem extremo sibimet vixit, qui semper tibi. t. t. c.
Ibid. p. 12.
Dic, quaeso, Querule, sanus es? Quer. Ita arbitror. i. s.
Lar. Quanti hoc existimabis? Quer. Hoc etiam imputas?
Lar. O Querule, es sanus et te felicem negas?
Vide, ne felicem fuisse te scias postmodum.
Ibid. p. 13.
— — Lar. Quid, si feliciorem t. t.
Tete edoceo, quam sunt isti, de quibus dicturus es? t. t. c.
Quer. Tum igitur facies, posthac Querulus nullum permittat queri.
Ibid.
Sume tegmina igitur hieme trunca, aestate duplicia; t. t. c.
Sume laneos cothurnos, semper refluos carceres.
Ibid. p. 15.
Vende vocem, vende linguam, iras atque odium loca. t. t. c.
Ibid.
Omnem aetatem exosus agito: funus ut lautum pares. t. t. c.
Ibid.
Heia, nec chartas volo. Tribue saltem tu illius mihi t. t. c.
Nunc peregrini et transmarini mercatoris sacculum.
Lar. Age igitur, conscende navem; te tuosque credito
Pariter undis atque ventis. Quer. Istud nunquam volui ego.
Da mihi vel capsas Titi. Lar. Sume igitur et podagram Titi.
— — — —
Neque ego istuc volo. Da psaltrias mi et concubinulas,
Quales habet avarus ille foenerator advena.
Lar. Habe nunc plane, quod rogasti. Suscipe toto cum choro
Briseïden, Paphien, Cytheren; sed cum pondere Nestoris.
Quer. Hahahe, quamobrem? Lar. Habet hoc ille, cuius tu sortem petis.
Eho, Querule, en nunquam audivisti: Nemo gratis bellus est?
Ibid. p. 16.
Si nemo est felix: nemo igitur iustus. Lar. Et huic respondeo. t. t. c.
Sunt aliqui prope, fateor, iusti; sed prima horum est calamitas.
Ibid. p. 17.
Quid, si egomet nolo, Lar? Lar. Velis nolis, hodie bona t. t. c.
Fortuna aedes tuas intrabit. Quer. Quid, si ego aedes obsero?

LAR. Per fenestram defluet. QUER. Quid, si et fenestras clausero?
LAR. O stulte homo, prius istae pateant ipsaque tellus se aperiat,
Quam ut tu excludas vel submoveas, quod mutari non potest.

— — — —

Neque ego id expectabam, ut grates ageres, sed ut in omnibus
Querulum te constaret. QUER. Nunc quo tendis tu? LAR. In aedes tuas,
Imo nostras, me recipio; inde ibo quolibet; ita tamen
Usquequaque pervagabor, ut te nunquam deseram.
QUER. Incertus sum ego magis hodie, quam semper fui. i. s.
Quid ego nunc faciam cum responso huiusmodi?
Cuiquamne tale unquam datum est oraculum, ut
Ipse sibimet mala quaereret, ut ne excluderet,
Si fieri posset, ingruentem miseriam?
Perde, si quid est tibi, inquit, domi, ut adquiras plurima. t. t. c.
Mea si mi auferantur, aliena aut quis aut quando dabit?
Vade, inquit, fures require; praedones recipe in domum.
Primum, hoc si cognosci atque etiam si probari potuerit,
Non iudex, tanquam latronum conscium, pessumdabit?
Sed, ubinam ipsos modo requiram, ubi investigem, nescio.
Ubinam illaec fuliginosa, vulcanosa, atra, est cohors,
Quae de die sub terris habitat, nocte in terris ambulat?
Ubi, qui fibulas subducunt, quique curtant balteos?

— — — —

Num quodnam meum nunc meritum fuit, ut mihi potissimum t. t. c.
Res divina ostenderetur? Nescio quod praestigium est.
Vereor, quod denuntiabat, furtum ne perfecerit.

Ibid. p. 18 sq.

MANDROGERUS. Multum sese laudant aliqui, qui vel pugnaces feras t. t. c.
Opprimunt casu aut deprendunt, vel fugaces bestias;
Quanto est mi ingenium et lucrum maius, qui homines venor publice! i. t.
Sed quos homines? Dites, potentes, litteratos maxime.
Mandrogerus ego sum, parasitorum omnium praestantissimus. t. t. c.

Ibid. pp. 19 sq.

— — — —

Erant praeterea uncinuli hamati torques et catenulae. i. t.
MA. Dic, quaeso, aliqua insuper non somniasti vincla et verbera?

SARDANAPALUS. Infaustum hercule hominem! solum hic non vidit carcerem. t. t. c.
Ohe, homo prodigiose, ego te iam explodo cum verbis tuis.
Nocte in somnis funus vidi. MA. Di te servent! hoc bene!
SARD. Et ferebamus nos ipsi nescio quo illud. MA. Optime!
SARD. Et deflebamus defunctum illum, quasi alienum tamen.

— — — —

Talia etiam manifesta egomet malo, quam tua somnia.
Funus ad laetitiam spectat, lacrimae ad risum pertinent.

— — — —

Sed meum somnium narrabo prorsus manifestissumum.
Nescio quis dicebat mihi, servari manifesta fide
Nec cuiquam alteri id concessum aurum invenire, nisi mihi;
Sed mi hoc tantum profuturum, quod consumsisset gula.

— — — —

O te felicem, Mandrogere, nosque, qui tecum sumus!

— — — —

SARD. Ipsa est platea, quam requiris. SYCOPHANTA. Recurre ad aediculam cito.

— — — —

MA. At quam humiles fenestrae hic! Euge, hic frustra clauduntur fores!
Tum praeterea inermes quantum inter se distant regulae!
Haec secura mi hercle regio est, et nihil fures nocent,
Sed mihi interius olet aurum. Alia tentandum est via.
Heia nunc, tu noster, tuque, si quid vobis ingeni
Comitatis et virtutis, nunc, n u n c, totum ostendite!
Ego, tamquam Cynicus magister, clausa trado gaudia;
Retia vosmet obsidete, dum percurro cubilia.

— — — —

SARD. In sacrario tria signa. MA. Convenit. SYCOPHANT. In medio arula.
MA. Sic sunt omnia. SARD. Aurum ante aram. MA. Hoc iam nostrum est! Quid? ipsius
Queruli indicia iam tenetis? SYCOPH. Melius hercle quam tua.
Vide tu, an divinare possis; nos mentiri novimus.
MA. In parte hac ego deambulatum ibo; illim observabo omnia
Atque, ubi postularit ratio vel res, continuo hic ero.

Ibid. pp. 20 — 22.

QUER. Bellus hercle hic nescio qui est: non praetereunda est fabula. t. t. c.
SYCOPH. Quaeso, sodes, aggrediamur ratione illum qualibet
Hominem. SARD. O me stultum atque ineptum, qui non consului statim!

Ibid. pp. 22 sq.

Quer. Salve, Mandrogerus. Ma. Salvos esse vos volo. i. s.
Quer. Tu quoque sacerdotum esto incolumis maxime:
Quoniam diligeris plurimum merito tuo.
Ibid. p. 24.
— Omnesque fructus paucorum improbitas capit. i. s.
Ibid. p. 26.
Cuncti alas quatiunt diris cum clangoribus. i. s.
Ibid. p. 27.
— Hominumque fata levibus volvunt paginis.
Ibid. p. 28.
Nos somnulentos credunt, quoniam somniculamur de die; i.t.
Id facimus vigiliarum causa: quia vigilamus noctibus.
— — — —
Nihil unquam Naturam fecisse melius quam noctem puto.
Ibid. p. 35.
Vivat ambitor togatus, convivator iudicum. t. t. c.
Observator ianuarum, servulorum servulus.
Ibid. p. 36.
Ma. Depone ab humeris, Querule, pondus tam grave. i. s.
— — — —
Tute ipse malam Fortunam portasti foras.
Quer. Fatebor: nunquam fieri hoc posse credidi.
Potentiam tuam et religionem res probat.
Arca istaec dudum a me introlata est. Quam levis.
Soli fuit, et duobus quam nunc est gravis!
Ma. Nescis, nihil esse gravius fortuna mala?
Ibid.
Ma. Enarrari hoc subito non pote. Evenire autem solet, t. t. c.
Istaec calamitas moveri ut multis non possit iugis.
Iam istinc ergo nunc ministrilustrum id in fluvios dabunt;
Tu autem monita, quae dabo iam nunc, cape imis sensibus.
Mala, quam abstulimus, Fortuna haec redire tentabit domum.
Quer. Ne di sirint! una illi istaec et perpetua sit via!
Ma. Triduo ergo istuc periclum est, ne ad te redeat res mala;
Tu igitur universo hoc clausus esto domi nocte ac die,
Nil domo foras nunc dederis, nilque in aedes recipias.
Ibid. p. 37.
Pant. Credo hercle, religionis causa ab importunis cautio est. i. t.
Ibid. p. 39.
Omnia iam perfecta sunt: nos hinc ad navem celeriter,
Ne quod etiam nunc de subito hic nobis nascatur malum.
Ibid. p. 42.

LAR. Tandem urna peperit auri gravida pondera, i. s.
Vilisque mater grande puerperium dedit,
Indigna frangi: tanta hoc non meruit fides.
Memorabilis plane aula eodem tempore
Domino fidem persolvit, furtum furibus.
Ibid. p. 43.

BACCHIDES qnae et CHRYSALUS,

velut apud Fulgentium v. Stega.

1. Illa mei cognominis fuit.
Serv. ad Aen. 6, 383.
2. Quibus ingenium est animi utibile et modicum et sine vernilitate. t. t.
Non v. Modicum. Charis. l. 2. p. 185.
Ecquis evocat i. s.
3. Cum nasiterna et cum aqua illum inpurissumum?
Fest. v. Nasiterna.
4. Quae sodalem atque me exercitos habet. as. c. d. t. h.
Non. v. Exercitum. Charis. l. 2. p. 204.
5. Nam tu quidem quoivis excantare, credo, facile cor potes. i. t.
Idem v. Excantare. Serv. ad Virg. Eclog. 8.
6. Vincla, virgae, molae, saevitudo mala, c. t.
Fit peior.
Idem v. Saevitudo.
7. Cor meum, spes meae, mel meum suavitudo, cibus, gaudium. c. s.
Idem v. Suavitudo.
8. Limaces viri. Non. v. Limaces.
9. Ne a quoquam acciperes alio mercedem annuam, i. s.
Nisi ab se, nec cum quiquam limares caput.
Idem v. Limare.
10. Cupidon' te configit, anne Amor?
Non v. Cupido.

BACCH. 1. Post hoc fragmentum in libris vulgatis legitur:
— — *Nam et ex mari timida ecce ego*
Pavitare.
quae ex Donato ad Terent. Hec. 3, 1, 40. protulit, tanquam novum, Guilelm. Quaest. in Bacch. c. 1. Sed legendum videtur, maximam partem ex emendatione Westerhovii: *Nam ut in navi vecta es, credo, timida es. Ergo Pavitare, Aegrotare* etc. Ita haec nihil differunt a Bacchidum versu 72. 5. *credo*, quod habent libri vett. deest vulgatis. 6. legendum videtur *servitudo*. 7. legitur *mea*. 9, 2. V.: *sese*, quo metrum corrumpitur. 10. V.: *conficit*.

11. Praenestinum opinor esse: ita erat gloriosus.
Idem v. Opino.

12. Sin lenocinium forte conlubitum est tibi: i. s.
Videas, mercedis quid tibi est aequom dari:
Ne istac aetate me sectere gratiis.
Charis. l. 2. p. 180.

13. Arabus. Idem. p. 99.

14. Ulixem audivi fuisse aerumnosissimum, i. s.
Qui annis viginti errans a patria abfuit;
Verum hic Ulixem multo adulescens antidit
Quia illico errat intra muros civicos.
Idem p. 181.

CAPTIVI.

Pileum, quem habuit, deripuit, eumque ad coelum sustulit. t. t. c.
Non. v. Pileum.

CASINA.

1. Perii, ille habebit flocco iam homo lumbos meos. i. s.
Non. v. Defloccare.

2. Intro eo ad uxorem subferamque tergum meum ob iniuriam. i. t.
Id. v. Sufferre.

3. Taedeo. Cledonius in Arte p. 1915 Putsch.

CLITELLARIA.

Sed quid istum adicis — —
Quia vivum — doleo — si tu vis. Volo.
At enim ne tota ponas pugnos tuos in imperio meo.
Numquam — — fidem — —
Sed ego primum dii quia — —
Sum nihili nihil — — —
Quae meam an — — dignus — —
— — acerba laceret — frugi non quaeris
Praestat — quae con — cum —
Neque deos neque homines aequom est facere, etsi posthac sim.

11. Paris. a. 1511.: *gulosus.* 12, 3. V.: *ista.* 14, 4. V.: *Qui illico.*

Captivorum fragmentis haec annumerantur:
Fac fidele: cave fidem fluxam geras,
et haec:
Auctionem facio parasiticam,
quorum illud ad Capt. 369., hoc procul dubio pertinet ad Stich. 199.

Quae mihi esset commendata et meae fidei concredita, t. t. c.
Quae esset aetatem [mecum] exactura mecum in matrimonio
Compecti (Maj. Compecta) sit, capere oportet, neque eas
(Maj. eam) unquam ponere.
Erili — — tribus multum credi oportere arbitror.
Quae — clamat — mariti sua ut — solita sis
Ob istuc invadier eum dignus deciens qui furca
Egomet laetor. Sed quid auctor nunc mihi est?
— — — suspendas — — —
— — — — — — — fiet.
— — — — — — — insanit miser.
— — — — — nihil moror . . . .
Ubi sunt quae iussi? Sane . . . . non est satis
Monuisse credo nocenti. Cum illuec sic facis
Utrum deliras, quaeso, an amans (imo: adstans, ut Menaechm. 304.) somnias? i. s.
Qui equum me opli non vis loricam adducere.
Multos hastatos, post id multos velites,
Multos cum multis. Haec tu (Maj.: fe) ruor . . . .
Mihi fabulatus. Dixin ego istaec, obsecro?
Modo quidem hercle dixistei non praesens quidem.
(Fort.: dixti. Hei, n. p. q.)
Praestigiator es, siquidem hic non es atque amens. (Fort.: Es praest., siqu. hic n. es a. ades.)
Video ego te amoris valde tactum toxico,
Adulescens: eo te magis volo monitum. Mone.
Cave sis cum amore tu umquam bellum sumpseris.
Quid faciam? ad matrem eius devenias domum.
(A. Majus: Revera Alcesimarchus Act. 2. Sc. 1. venit ad Melaenidem, quae putabatur mater amicae eius Silenii. Hunc autem Plauti locum imitatus est. Terent. Adelph. 3, 4, 25.)
Expurges, iures, ores blanditer precibus (leg.: prec. bland.)
Eamque exores ne tibi succenseat. (leg. suscenseat.)
Expurgabo hercle omnia (leg. omn. hercle) usque ad raucam ravim.
(Cf. Non v. Ravis.)
— — — — —
Muliercula mea ornatula si sit ut quidem hercle scita. i. t. c.
(Demipho?) Quamquam vetus cantherius sum, mihi nunc (Imo: tamen nunc) ut ego opinor,
Adhinniret (leg. Adhinnire) equolam possum ego hanc, si detur sola soli.
(Cf. Prisc. p. 617. Putsch.)

Nimis opportune mihi (leg. mi) evenit redisse Alcesimarchum:
Nam sola nulla invitior solet esse . . . . .
Ne sola sis . . . cum . : . tu agas aliquid.
Nimis . . . . concinne ut hasce non (fort. nunc) Alcesimarchus:
Ut quo . . . deriderer . . . duris . . .
. . . . . erat haec aedes olim quia amatores polluit.
Non . . . . quoque hercle fabulatur.
Sed cum dicta huius interpretor, haec hercle est, ut ego opinor,
Meum quae corrumpit filium . . . .
. . . . . quam videre dictis . . . . credo
Nam . . . . ea e disco deductas habet meus gratus.
(imo: gnatus.) Haec ubi astat
Hoc habeo tam . . . . opinor, nam haec illum
Quid si adeam atque appellem mali damnique inlecebras aut
— — — — postulabis
— — — — Vale.
— — — — — alter
— — — — — — quidvis
Quid ego usquam — — — —
Habent — — — — atque nostra
— — — — — — —
Lenta se mater — quidem — — innocenti
Do tibi — ullus nisi tibi — — rarus quisquam
Sed iste — filius quidem —
Nisi — — filius nemo est
At ego moror — — damnosos ante ullum
Quid — — isne est? Arbitror.
— — — — — aufer manu (leg. manum, vel manus)
— aleas (alias?) — — cur gaudet
— ad — — — — — dolo
Ut — — — — — —
Nos illata — — — aut qui — —
— pone — — quae ita — loqui
— — das mihi operam — — —
— mihi molesta est quin adeo — —
— — — quaedam — si nescias
— — illam perdam — —
— quam si hoc fallor — moror
— multum falli — — orat feres.

Publicavit haec A. Majus in opusculo indicato inter fragmenta Vidulariae, 17.

M I L E S.

1. Ita nos nostramque familiam habes exercitam: i. s. Fulgent. v. Exercitus.

POENULUS.

Importuna avis venit vesperi.
Charis. l. 2. p. 197.

PSEUDOLUS.

Nisi si carcerem ecfregeritis aliquando, vostram domum. t. t. c.
Serv. ad Aen. 1, 139.

RUDENS.

1. Homullulus fictust ex argilla et ex luto. i. s.
Prisc. l. 3. p. 614.
2. Aulas abstulas. Diomed. l. 1. p. 376.

STICHUS.

Nonne hoc publicitus — ?
Charis. l. 2. p. 190.

TRUCULENTUS.

Bona perdidi, mala reperi; factus sum a vobis extumus. i. t.
Priscian. l. 3. p. 609.

FABULARUM DEPERDITARUM FRAGMENTA.

᾿ΑΧΑΡΙ STUDIUM.

Quam ego tanta pauperavi per dolum pecunia. t. t. c.
Non. v. Pauperavit.

AGROICUS.

Quasi lupus ab armis valeo: clunis {infractos / defectos.} gero. t. t. c.
Fest. et Non. v. Clunes.

ADDICTUS.

Opus facere nimio quam dormire mavolo: i. s.
Veternum metuo.
Interpres Virgilii ad Georg. 1, 124.

Rud. 2. Referuntur ista quoque ad Rudentem *Quid murmurillas* etc., quae Plautina tantum dicit Non. Quare inter fragmenta incerta posuimus post 27.

᾿Αχαρι *Stud.* V.: *Acari St.*, verbo nihili. Alii: Acharistio.

Agroicus, ᾽Αγροικος. Male vulgati libri *Abroicus*, cuius loco pridem alterum ponendum intellexerant viri docti. Masculum *clunes* ne mireris, adi Charisium p. 78, Prisc. p. 652. Putsch.

ARTAMON.

Nunc mihi licet quidvis loqui: nemo adest superstes. as. i. d. ith.
Fest. v. Superstites testes.

Unguentum, as. i. d. ith.
Quod mulionum naribus nauteam fecisset.
Idem v. Nauteam.

ASTRABA, seu CLITELLARIA.

1. Sequere, adsequere, Polybadisce: meam spem cupio consequi. t. t. c.
Polyb. Sequor hercle quidem: nam lubenter, mea sperata, consequor.
Varro de L. L. l. 5. c. 7 extr.
2. Axitiosae annonam caram e vili concinnant viris. t. t. c.
Idem ibid. l. 6. c. 3.
3. Terebra tu quidem pertundis. t. d.
Non. v. Exterebrare.
4. Dare pedibus protinam sese ab his regionibus. i. s.
Idem v. Protinus.
5. Terebratus multum siet, et subscudem addite. i. s.
Fest. v. Subscudes.

Haec hactenus titulo **Astrabae** laudata sunt ab Auctoribus; nunc deinceps quae sequuntur, **Clitellariae** nomine citantur.

6. Apluda. Gell. 11, 7. Non. v. Apludas.
7. Non quasi ut haec sunt hic limaces lividae, i. s.
Diobolares, scoeniculae, miraculae,
1. 2. Varro de L. L. 6, c. 4. Fest. v. Schoeniculas.
Scraptae, crupedulae, strictipellae, tantulae,
Varro ibid. Gell. 3, 3. Non. v. Scruptas.
Cum { extritis / extortis } talis, cum { todelli / crotillis } crusculis,
2. 3. Fest. l. l. 3. Fest. vv. Crocotilum, Succrotilla, Todi. Priscian. l. 3. p. 611. Putsch.

Astrabae 5 legitur: *T. m. sit, et subscudes a.* 7, 2. *scoenicolae.* Vidd. interpp. ad Poen. 137. 3. Versus multifariam scriptus in libris, qui vulgo ad Nervolariam refertur, sed a Varrone ad Cistellariam, h. e. Clitellariam, si recte divinavit Scaliger. Novissimae edd.: *Scranciae*, *scrupedae*, *strictivellae*, *tantulae.* *Scraptae* Festum auctorem habet, pro *crupedae* (κρύπεδοι seu κρύπτζοι, sculponeae pedibusque velut ligneis, cuius verbi deminutivum dedimus metri causa) sed pro eo sponsor est Scaliger, qui etiam in libris nonnullis inveniri ait *strictipellae*, „quae stringunt cutem“ (foeminae nugatoriae) „et rugas in facie extendunt.“ *Tantulae*, pumiliones, ut ait Lucretius. Cf. Poen. 145. Apud Gellium et Nonium legitur *sordidae*, quod minus aptum huic loco.

Capillo scisso atque excissatis auribus.
Non. v. Excissatum p. 544. ed. Merc.

8. Malum aufer: bonum mihi opus est.
Idem in Opus est illam rem.

9. Quasi tolleno i. t. c. (?)
Vel pilum Graecum reciproces plana via.
Fest v. Reciprocare.

10. Quin is, si iturus? Nimium es vegrandi gradu. i. s.
Idem v. Vegrande.

11. Pol ad cubituram, mater, mage sum exercita i. s.
A te, quam ad cursuram; eo sum tardiuscula.
Non. v. Cursus.

12. Quid? tuam times amicam, ne te manulea i. s.
Caiet?
Fulgent. De Continentia Virgil. Mythogr. lat. Muncker. p. 163.

13. Prohibet divitiis maxumis, dote altili atque opima. i. t. c.
Non. v. Altile.

14. Expurgabo hercule omnia ad raucam ravim. i. s.
Idem v. Ravis.

15. Quae quasi carnuficis angiporta purgitas. i. s.
Idem v. Angiportus.

16. Intro abeo: nam meretricem adstare in via i. s.
Solam, prostibulae sane est.
Idem v. Prostibula.

17. — Meminere officium suom.
Idem p. 499. Merc.

18. Potin' es tu, homo, facinus facere strenuom? N. Aliorum adfatim est, t. t. c.
Qui faciant: sane ego me nolo fortem perhiberi virum.
Gell. 7, 7.

19. Tun', tune igitur, mea matercula?
Prisc. l. 3. p. 611.

20. Germana mea sororcula. Id. p. 612.

21. Siquidem imperes pro copia, pro recula. i. s.
Idem p. 613.

22. Datores i. t. c.

10. V.: *Qui nisi sic biteris* (Fest. Paris. a. 1511: *Q. nisi iturus.* Ald. Dazer.: *Q. n. iteres*), *nim. is v. g.* Corrector Pareus in lexico Plaut. v. Quin. 11, 2. V.: — *exerc.; Reliquum, ad curs. sum tard.* Sequor inprimis Muretum V. L. 18, 10. 15. V.: *purgitans.* 16. V.: *I. ad bonam meretricem: adstat ea in v. Sola: prostibula s. e.* Sequor vett. libros et Mercerum. 18. V.:
Potin' es tu, homo, facinus facere strenuum?
N. *Aliorum est affatim qui faciant. sane ego*
Me volo f. perhiberier virum.

Negotioli bellissumi, senices, soletis esse.
Idem ibid. 616, 724.

23. Adhinnire equolam possum ego hanc, si detur sola soli. i. t. c.
Idem p. 617.

Nam ita mustulentus {aestus / ventus} naris obtigit. i. s.
Non. vv. Mustulentum et Ventus.

24. Me respondere postulas? Iniurium est. i. s.
Stipulari semper me ultro oportet a viris;
Eum quaestum facio. Nihili vir es. —
Prisc. l. 8. p. 792.

BACCHARIA.

Quis est mortalis tanta fortuna adfectus unquam, as. 2 an.
Quam ego sum nunc, haec quoius ventri portatur pompa?
Vel nunc qui mihi acipenser indu mari latuit antehac,
Quoius latus in latebras dentibus meis et manibus reddam.
Macrob. Saturn. 2, 12.

BIS CONPRESSA, seu BOEOTIA.

Ut illunc di perdant, primus qui horas reperit, i. s.
Quique adeo primus statuit hic solarium,
Qui mihi conminuit misero articulatim diem!
Nam puero me uterus hic erat solarium
Multo omnium istorum optumum et verissumum.
Iste ubi monebat: esse, nisi quom nihil erat;
Nunc etiam quom est, non estur, nisi soli lubet;
Itaque adeo iam oppletum oppidum est solariis:
Maior popli pars aridi reptant fame.
Gell. 3, 3.

CALCEOLUS.

Nucem molluscam super eius dixit inpendere tegulas i. t.
Macrob. Sat. 2, 14.

CARBONARIA.

1. Secundum ipsam aram aurum abscondidi. i. s.
Priscian. l. 10. p. 890.

22, 1. V.: *senices.* 24, 3. V.: *Nihil iures.*
Bacchariae v. 2. *Quam* elidendum non est, vel legendum *Quamde.* Quanquam et *ego* (ἐγώ) posteriorem syllabam producit interdum apud veteres. 3. V.: *in mari*, hiante quidem versu.
Boeotiae v. 6. *esse*, esse sive edere solebam. 7. V.: *quod est, non est* Salmas.: *non estur.* 9. V.: *M. pars populi a. r. f.*
Carb. 1. cave elidas verba *Sec. ips. aram*

2. Egeo pernam, sumen sueris, spectile, callum, glandia. t. t. c.
Fest. v. Spetile.
3. Patibulus ferar per urbem; deinde subfigar cruci. t. t. c.
Non v. Patibulum.

COECUS, seu PRAEDONES.

1. Nil quidquam factum nisi fabre, nec quidquam positum sine luxu, t. t.
Auro, ebore, argento, picturis, purpura, spoliis, tum statuis.
Charisius l. 2. p. 179. Putsch.
2. Neque eam invitam a med unquam abduces. i. d. h.
Idem ib. p. 182.
3. Spectari ludos magnifice atque opulenter. i.
Idem ib. 187.
4. Peregre est. Id. ib. p. 189.
5. Plure altero tanto, quanto eius fundust, velim. i. s.
Idem ib. ead.
6. Ita sunt praedones: prorsum parcunt nemini. i. s.
Idem ib. ead.
7. Velim ted arbitrari factum sedulo esse. i. tr. h.
Submoventur hostes; removentur lapides. as. 2 ith.
Idem ib. p. 194.
8. Si non strenue fatetur, ubi sit aurum: as. 2 ith.
Membra eius exsecemus sera.
Idem ib. 195.
9. Nil feci secus, quam me decet. i. Idem ib. ead.
10. A. Quis tu es, qui ducis me? B. Mu! A. Perii hercle, Afer est! i. s.
Idem ib. p. 213.

C O L A X.

Batiolam auream habebat octo pondo; accipere noluit. t. t. c.
Non. v. Batiola.

Sequente sversus editi sunt a viro clariss., Angelo Majo, cum Frontone (Epistoll. ad M. Caesarem 2, 9.), iterumque cum ceteris Plauti fragmentis, ab ipso publicatis a. 1815.:

Qui data fide infirmata (MS. *firmata*) *fidentem fefellerint.* t. t. c.

2. Legitur *Esto pernam*, sed apud ipsum Pompeium *Egeo p.*
3. Ita Lips. Electt. 1, 18. V.: *affigar.*
Coeci 1. *luxu.* Libri: *luco.* 2. Ita Charis. V.: *eam a me inv.*
7, 1. V.: *V. te a. f.* R. *sedulum est: subm.* etc.

Subdoli subsentatores, regi qui sunt proxumi (MS. *proximi*),
Qui aliter regi dictis dicunt, aliter in animod (MS. animo) *habent.*

CONDALIUM.

1. Tam crepusculo feram, ut amens? Lampadas accendite! t. t. c.
   Varro 4. de L. L. 1. 6, 4.
2. Pro in admiratione posuit Plautus Condalio. Festus v. Pro.

CONMORIENTES.

— Saliam in puteum praecipes.
Priscian. l. 6. p. 725.

CORNICULARIA.

1. Facite olant aedes Arabice.
   Diomed. l. 1. p. 378. Putsch.
2. Qui latrocinatus regi annos decem Demetrio t. t. c.
   Mercede.
   Varro de L. L. l. 6. c. 5.
3. Pulcrum et luculentum hoc nobis hodie evenit proelium. t. t. c.
   Non. v. Luculentum.
4. — Obsecro te, pileum i. s.
   Vide meum, mi sodalis, mea salubritas.
   Non. v. Pileus.
5. Quid cessamus ludos facere? Circus noster ecce adest. t. t. c.
   Varro de L. L. l. 4. c. 32.
6. Qui amant ancillam Hedylium meam oculitus. i. s.
   Non. v. Oculitus.
7. Mihi Laverna in furtis celebrassit manus. i. s.
   Idem v. Laverna.

DYSCOLUS.

Virgo ego sum: nondum didici nupta verba dicere. t. t. c.
Fest. v. Nupta verba.

Condalii 1. Libri: *fere. Lampada* veteres pro *Lampas.* 3. *nobis*, quod vulgo desideratur, et in ed. Nonii Paris. a. 1511 excusa legitur et apud Merceram. 4. Sic edd. Nonii Iun. et Mercer. V.:

Te obsecro, Lyde, pil. meum, mi Sod. etc.

6. vox *ancillam* non liquescit. 7. Sic fere vett. libri, non *celebrassis*, ut vulgo.

Dyscoli in fragmento *nupta verba*, non *verba nupta*, sicut vulgo (deteriore loco posita voce graviore), legitur in Festi fragmentis, a Dazerio collectis, p. 10.

FOENERATRIX.

1. Heus tu, in Barbaria quod dixisse dicitur i. s.
Liberta suae patronae, id ego dico tibi:
Liberta, salve! vapula, Papyria!
Fest. v. Vapula Papyria.

2. — Quae ego populabo probe. Diomed. l. 1. p. 395.

FRETUM.

— Hoc est illud, i. t. c.
Quod arietinum dicitur responsum magnis ludis:
Peribo, si non fecero; si faxo, vapulabo.
Gell. 3, 3.

FRIVOLARIA.

1. Commodo dictitemus.
Charis. l. 2. p. 174. et l. 2. p. 177.

2. Is mihi erat bilis, aqua intercus, tussis, febris querquera. t. t. c.
Priscian. l. 6. p. 719. Fest. v. Querqueram febrem.

3. A. Sequimini me hac, sultis, omnes legiones Laverniae. t. t. c.
Fest. v. Sultis.
Ubi, rorarii, estis? B. En sunt. A. Ubi sunt accensi?
B. Ecce nos.
Idem ibid. l. 6. c. 3.
A. Agite nunc, subsidite omnes, quasi solent triarii.
Varro de L. L. l. 4, 16. Fest. v. Subsidium.

4. Navo agere oportet, quod agas, non ductarie. i. s.
Fest. v. Navus.

5. Superaboque omnis argutando praeficas. i. s.
Non v. Praeficae.

6. — tum papillae primulum i. s.
Fraterculabant; illud volui dicere,
Sororiabant. Verbis quid multis opust?
Fest. v. Sororiare.

7. — O amice, ex multis mi une, Cephalio!
Priscian. l. 5. p. 673.

8. Strebulam agninam tene.
Fest. v. Strebula.

Freti fragmento legitur *arietini* et *vapulavero*. Sequor antiquiores quasdam Gellii edd., in his Ioann. Tornaesii, a. 1621 publici iuris factam.

Frivolariae 3. *me* legitur apud grammaticum. Vulgo abest, non sine detrimento versus. Vulgo quoque *Lavernae* et *Agito*. 6, 1. V.: *primitus*, sed Ald. *primum*. Illud ab usu Plauti abhorret. 8. V.: *Strebula agnina*.

FUGITIVI.

A. Age, age! B. Spectavi. A. Vibices quantas! vide! i. s.
B. Iam inspexi. Quid id est?
Varro de L. L. l. 6, 3.

GASTRON.

Carnem strebulam, aut de lumbo, obcoenabis ....
Varro de L. L. l. 6, 3.

HORTULUS.

Praeco ibi adsit cum corona; quique liceat, veneat. t. t. c.
Fest. v. Sub corona venire.

KAKISTUS.

Malo hunc adligari ad oriam: t. t. c.
Semper ut piscetur, etsi sit tempestas maxuma.
Fulgent. v. Oriam. Cf. Vidular. 17, 36.

LENONES GEMINI.

Dolet huic puello, sese venum ducier. i. s.
Fest. v. Puelli. Priscian. l. 6, p. 697.

MEDICUS.

1. In conspicillo adservabam; pallium observabam. as. ex 2 anacr.
Non v. Conspicillum.
2. — Parasito cum virgis caseum radi potest. t. t. c.
Idem v. Caseus.
3. Domi reliqui exoletam virginem. i. s.
Priscian. l. 9. p. 872.

NERVOLARIA.

1. Scobinam ego lima actutum adrasi.
Varro de L. L. l. 6, 3.
2. Prohibent, qui moenia alicunde ego fungar mea. i. s.
Fest. v. Moenia.
3. Ocissume nos liberi possimus fieri.
Idem v. Ocius.

Gastronis in loco vulgo legitur secundum Scaligerum:
Caro strebula vitellina est: coenabis.

Lenonum in λειψάνῳ edd. secundum Priscianum: *D. hic puellus.*

Medici 2. *cum virgis*, per ridiculum, h. e. cum fascibus, tanquam consuli aut praetori.

Nervolariae post 1., quae vulgo habentur haec *Scranciae, scrupedae* etc., supra inserta sunt Astrabae seu Clitellariae 7, 3. 2. V.: *P., quom m. aliunde e fungor m.*

4. Pollucte prodigum esse amatorem addecet. i. s.
Idem. v. Prodegeris.
5. — Vinum sublestissumum: i. s.
Infirmos quia vel corpore vel animo facit.
Idem v. Sublesta.
6. Insanum uterque deamat.
Non v. Insanum.

PARASITUS PIGER, sive LIPARGUS.

1. Inde bene adpotus, primulo crepusculo i. s.
Domum ire coepi tramite recta via.
Varro de L. L. l. 6, 3.
2. Ambo magna laude lauti, postremo ambo sumus non nauci. t. t.
Fest. v. Naucum.
3. Addite lepades, echinos, ostreas i.
Non v. Lopades.
4. Nil moror mihi fucum in alveo, apibus qui peredit cibum. t. t. c.
Priscian. l. 10. p. 893.

P H A G O N.

— Honos syncerasto periit, pernis, glandio. t. t. c.
Varro de L. L. l. 6, 3.

P L O C I O N (Πλόκιον.)

Namque coloratam frontem habet, petilus, habrus. i. s.
Non v. v. Petilum et Frontem.

S A T U R I O.

1. Catulinam carnem esitavisse, hoc est comedisse, Romanos, Plautus in Saturione refert. Fest.
Ad quem locum Dacerius: Hanc Saturnionem (nam sic ille et hic et in ipso Festo) fabulam respicit Plinius, cum ait lib. 29: Catulinam adiicialibus quidem celebrem epulis fuisse, Plauti fabulae sunt indicio.
2. Retrahi nequitur, quoquo progressa est semel. i. s.
Fest. v. Nequitum.

6. V., intruso glossemate: *Insanum valde uterque deamat.*
Parasiti pigri 1, 2. sic legitur in Perotti Cornucopiae: *tramite dextrae via.* Fort.: *tramited extra viam.* Extrema syllaba verbi *tram.* pro longa est propter interpunctionem. Cf. Capt. prol. 11. etc.
Plocii fragm. legitur: *petilis, labris,* sed in Nonii edd. vett: *petilis, habris. Petilus,* exilis; *habrus,* ἁβρός.

3. A. Male tibi evenisse video. B. Quin glaber erat, tamquam rien. as. t. d. i. d
Idem v. Rienes.
4. — Succenturia centum, qui te delectent domi. t. t. c.
Idem v. Succenturiare.
5. Hac enim alludente et Plautinus Saturio mitigatus obdormit etc.
Fulgent. Mythologiarum lib. 1.

S C Y T H A L I T U R G U S.

1. Mulier es, uxorcula! abi! te ego novi: scio axitiosam. as. t. d. i. d. c.
Varro de L. L. l. 6, 3.
2. — Sic ea mi insignitos pueros pariat postea, t. t. c.
Aut varum, aut valgum, aut conpernem, aut paetum, aut brocchum filium,
Fest. v. Valgos.

S Y R U S.

Laudatur apud Festum v. Todi, proferturque inde versus Extritis talis etc. quem alibi ad Clitellariam Pompeius refert.

T R I G E M I N I.

Ni fugissem: medium, credo, praemorsisset. as. 2. ith.
Gell. 7, 9.

V I D U L A R I A.

1. Ubi quamque pedem videbat, subfurabatur omnis. as. 2 anacr.
Non. v. Pedis.
2. Nescio qui servos e myrteta prosilit. i. s.
Priscian. l. 4. p. 625.
3. Paupera haec res est.
Idem. l. 5. p. 647. Prob. Cathol. p. 1457.
4. Dic mihi, si audes, quis ea est, quam vis ducere uxorem. — t. t. c.
Idem l. 13. p. 960.

Saturionis 3. V.: *Male t. e. video. qui glaber* etc. 4. *require* legitur post *centum* quae procul dubio interpretatio est vocabuli *Succenturia*. 5. Corrupte libri: *H. e. a. et Plautinae satyrae dominatus obd.* Vid. L. Carrio Emendatt. 2, 15.
Scythae 1. Varro: *M. es uxorculavit ego novi scio axitiosam*, V.: *M. es, uxor. Quoia, vir? ego n., sc.: axiosa es.* Cf. Astrabae 2. 2. *Sic*, non *Sin*, sicut hodie legitur, vett. Festi edd. et Daceria.
Vidular. 1. *pedem*, pediculum. 2. V.: *prosiluit.*

5. Opposita est claxendix. At ego signi dicam quid siet. t.t.c.
Idem l. 5. p. 655.
Animum advortite ambo, sultis. Vidulum hic adponite; t. t. c.
Idem p. 692.
Ego servabo, quasi sequestro detis; neutri reddebo,
Idem l. l. et p. 694. Non v. Reddibo.
Donicum diiudicata res sit haec.
Idem l. l. et p. 959.
Haud fugio sequestrum.
Idem p. 692.
6. Inopiam, luctum, moerorem, paupertatem, algum, famem. t. t. c.
Idem l 6, p. 699.
7. Eiusdem Bacchae fecerunt nostram navim Pentheum. t. t. c.
Idem l. 7. p. 738.
8. — Nunc, ut apud sequestrum vidulum posivimus. t. t. c.
Idem l. 10. p. 898.
9. Nunc servos a patre argentum expalpabitur. i. s.
Non. vv. Expalpare et Expalpabitur.
10. Imo id, haec quod nostra est patria et quod hic meus est pater, t. t. c.
Illic autem Soterinis est pater.
Priscian. l. 7. p. 749.
11. Malim moriri meos, quam mendicarier: i. s.
Boni miserantur illum; hunc inrident mali.
Non. v. Mendicarier.
12. Signum recte conparebat: huius contendi anulum. t. t. c.
Idem v. Contendere.
13. Quid multa verba? plurimum luctavimus. i. s.
Idem v. Deluctavi.
14. — Culleo insui hunc iube t. t. c.
Atque in altum deportari, si vis annonam bonam.
Fulgent. v. Culleus.
15. Ibi ut piscabar: fuscina ici vidulum. i. s.
Non. v. Icit.
16. Nam audivi feminam ego leonem semel parire. as. 2 anacr.
Philargyrius ad Virgil. Eclog. 2, 63.

5, 1. V. *sit.* Ceterum Prisc. *signi dicam,* non *dicam signi* sicut vulgo. 2. *sultis.* V.: *si voltis.* 3. V.: *reddibo.* 4. Ita grammaticus. p. 959. Putsch.; sed p. 692.: *Donic. res iudicata erit haec,* sicut vulgo legitur hoc loco in edd. Plautinis. 11, 2. V.: *boni ministrantur illum nunc i. m.,* Mercer: b. *immiserantur illhunc i. m.* quae quid sibi velint, nescio. *Illum,* mortuum; *hunc,* mendicum.

17. *Fragmenta VIDULARIAE, ab Angelo Majo reperta in codice rescripto antiquissimo bibliothecae Ambrosianae, quae Mediolani est, a. 1811.* (Vide M. AccI PLAUTI Fragmenta inedita, item ad P. Terentium commentationes et picturae ineditae, inventore Angelo Majo, bibliothecae Ambrosianae a LL. or. Mediolani regiis typis MDCCCXV. 4. pagg. 67.

Quid — — qui des —
Sed quidnam ego —
— — audivisti quid —
Qu — vocum — atat —
— possum opinor
Est ita an mer(ito Maj.) servias q — dis quid —
Quid tu — — —
Nam qur — — miror
Non sumsi quidem — —
Laboriosam — at Syrus —
Ut ita — aliquan —
Tali si ac tantis tuae sunt consuetae manus i. e.
Atque — —
Mollitia urbana aequ — ac orbus —
Misero — — — — —
Quod ais — ut —
— — opus — malo
Quid — quam Syrum —
— quod — us —
— mem —
— Pol eq(uidem Maj.) credo mercenarium
— — quam qui diu
— mereo ne tum quicquam tuis
Nequ — non — o domum
— sororem gorginem (fort. Gorgonem. Maj. suspicabatur legendum esse virginem.)
Vicinus igitur est — —
Seu quem — hunc novit cum
Hic — his — ego (fort. ergo) adducito
— arcam — probe
— quam hic —
— — quaeram, postquam
— erit — —
Tam scio quam — stare
Nisi quod ego meis — —
(Maj. Hic) astabo atque observabo si quem ami (cum Maj.)

DINIAS NICODEMUS CACISTUS.

Nae (MSS. Ne) tu edepol hodie miserias multas tuas
Mihi narravisti, eoque a(udiere) maxume
Et apertius si — quia me miserebat tui
Illic est adulescens, quem omn —
Etiam ego age ig(itur Maj.)
In opus ves — cavet qua —
Nil ha — quam —
Tu er(is Maj.)
Egen — —
Qui — —
— foenus (MS. faenus) mihi nullum duis
— illum — —
Sed qui — — — postulo
Foeneraturum (MS. Faen.) enim —
Quam ad — unum —

LOCI EX DEPERDITIS CITATI, AMISSO ETIAM COMOEDIAE NOMINE.

1. Aerumnulas Plautus refert furcillas, quibus religatas sarcinas viatores gerebant; quarum usum quia C. Marius retulit, muli Mariani postea appellabantur. Itaque aerumnae labores onerosos significant etc. Fest.
2. Bellule apud Plautum diminutivum adverbium est a bene, quod facit belle et bellule. Fest.
3. Coquitare pro coctitare, id est frequenter coquere, Plautus posuit. Fest.
4. Apud piscarium, ubi variae res. — t.
   Varro de L. L. 4, 32.
5. Fumificum epeum, qui legioni nostrae habet coctum cibum. i. t.
   Idem ib. l. 6. c. 3.
6. Obgannuit odiosus totae familiae. i. s.
   Idem ibid. c. 5.
7. Plautus σχηματικῶς:
   Nam pater tuos nunquam cum illac etiam limavit caput. t. t. c.
   Non. v. Limari.
8. Licet vos abire curriculo. Fest. v. Curriculo.

Incertorum 6 vulgo legitur: *O. o. omni totae fam.* Sed *omni* sapit glossema. 7. Ita Lips. Epistoll. Quaest. 1, 18. Nonius: *Plautus Scematico*, quod fabulae nomen inauditum.

9. Iam tibi tuis meritis crassus corius redditust. i. s.
Fest. v. Corius.
10. Di bene vortant! tene crumenam: in ea erunt triginta minae. t. t. c.
Idem v. Crumena.
11. Nullam ego rem citiorem apud homines esse quam famam reor. t. t. c.
Idem v. Citior.
12. Stultus est advorsum aetatem et capitis canitudinem. t.t.c.
Idem v. Canitudinem.
13. Numnam mihi oculi coecultant? estne hic noster Hermio? t. t. c.
Idem v. Coecultant.
14. Eiuravit militiam. Fest. v. Eiuratio.
15. Sic me subes cotidie, quasi salicem fiber. i. s.
Idem v. Fiber.
16. Herbam do cum ait Plautus, significat Victum me fateor; quod est antiquae et pastoralis vitae indicium: nam qui in prato cursu aut viribus contentebant, cum superati erant, ex eo solo, in quo certamen erat, decerptam herbam adversario tradebant. Fest.
17. Dirigere apud Plautum invenitur pro discidere. Fest.
18. Iniit ponitur interdum pro concubuit. Interdum pro invenit, ut Iniit rationem. Interdum pro introiit, ut Plautus: Iniit te unquam febris? Fest.
19. Neque muneralem legem, neque lenoniam, i. s.
Rogata fuerit nec ne, floccid aestumo.
Idem v. Muneralis.
20. Perfidiose captus, edepol nervo cervices probas. t. t. c.
Idem v. Nervum.
21. Muriatica autem video in vasis stagneis, i. s.
Bonam naritam et camarum et tagenia,
Echinos fartos, conchas piscinarias.
Idem v. Narita.
22. Non ego te novi, navalis scriba, columbar inpudens? t.t.c.
Idem v. Navalis scriba.
23. Nil deconciliares illi, nisi quid persibus sapis. t. t. c.
Idem v. Persicus.
24. Sacrum an profanum habeas, parvi penditur. i. s.
Idem v. Profanum.

20. *Probat* legitur apud Dacerium in Festi fragmentis p. 7. 23. *Persibus.* Fest.: *Sibus* (σοφός) *Callidus vel Acutus.* 24. Cessat ecthliptis in vocabulo *profanum.*

25. Ulcerosam, conpeditam, subverbustam, sordidam. t. t. c.
Idem v. Subverbustam.

26. Glirium examina. Non. v. Glis.

27. — Sed leno egreditur foras. i. s.
Hinc ex occulto sermonem eius sublegam.
Non. v. Legere.

28. Quid murmurillas tecum et te discrucias? i. tr. c.
Idem v. Murmurillum.

29. — Nec, machaera, mi audes dentis frendere?
Idem v. Frendere.

30. Flocci pendo, quid rerum geras. Fulgent. v. Flocci.

31. Argentum hinc facite. Donat. ad Terent. Phorm. 4, 3, 30.

32. Properant prandium. Iun. Philargyrius ad Virgil. Georg. 4, 171.

33. — Folles quam taurini habent. t. t. c.
Quom liquescunt petrae, ferrum ubi fit. —
Idem ibidem.

34. Non edit, ut possit, sed posse hic, ut edat, cupit. i. s.
Is. Pontan. ad Macrob. Sat. 2, 8. et 7, 16.

35. Fortasse sese amare suspicarier. i. s.
Donat. ad Terent. Hec. 3, 1, 33.

36. Thocus, genus sellae, habetur apud Plautum.
Paul. Diac. ex Festo v. Throcum.

37. Certe me supremum habuisti semper in rebus tuis. t. t. c.
Fest. v. Supremum.

38. Perrexit in interiores partis domuis posticae, ut ait Plautus, penitissumae. Varro Ταφῇ Μενίππου apud Non. v. Posticam.

39. Egone illi venear? Diomed. l. 1, p. 365.

40. Inibi intus esto, donicum ego revenero. i. s.
Charisius l. 2. p. 178.

41. Butu batta. Haec Plautus pro nihilo et pro nugis po-

27. Vid. not. ad Aulnlariae fragm. 2. 29. Abest *mi* a libris recentioribus; sed vett. Nonii edd. et Merceriana: *Nec machaeram audes d. f.* 31. Post haec vulgo legitur:

Clandestina ut celetur consuetudo,

quae Plauti Donatiis laudat ad Terentii Adelph. 4, 5, 32, posita illa quidem a nobis in Amphitruone. Cf. fragm. 74. 34. Sententiam horum parum perspicio. 35. V.: *Fortasse se amare suspicavere.* Emendavit Bentleius ad Terent. Hec. 3, 1, 33, ubi Donat.: *Veteres infinitivo modo adiungebant Fortasse.* Quae post haec leguntur, verba, *Instare factum*, habentur Merc. 239. 40. V.: *Inimicus* (Iniuiitus) *esto.* Post hunc versum legitur in libris *Pedibus*, quod non Plautum, sed Ciceronem et Sallustium pro adverbio usurpasse in his loquendi formulis *Ingressus iter pedibus* et *Pedibus ire in sententiam alicuius* existimat, sed male, Charis. p. 192. Putsch.

suit, ut in glossis veterum battatti fluctus quidam et sonus vocis effeminatior etc.
Idem p. 216.

42. Inscribam virgis ulmeis corpus tuom. i. s.
Serv. ad Aen. 1, 478.

43. Nunquam ad civitatem venio, nisi quando infertur peplum. t. t. c.
Idem ibid. ad 480.

44. Scelerare manus. Idem ad Aen. 3, 42. Cf. Cornicul. 7.

45. Ipsa sibi avis mortem creat. Idem ad Aen. 6, 295 seqq.

46. Pro larvato te circumferam. Idem ibidem ad 228.

47. Paupera haec est mulier. Idem ad Aen. 12, 519.

48. Abi ergo. Festi fragmentum v. Naenia, p. 6.

49. Cilix, Lycisce, Sosia, Stiche, Parmeno, i. s.
Exite et ferte fustis privos in manu.
Interp. Horat. ad Sat. 2, 5, 11.

50. Anus haec inbellis periculum portenditur. i. s.
Porphyr. ad Horat. Od. 1, 25, 7.

51. Cette patri meo. Phocas p. 1718. Putsch. Cledon. Art. p. 1916. ibid. Alcuin. p. 2118. ib.

52. Una est; decollavit. Diomed. p. 361. Putsch.

53. Mecum habet patagus, morbus, aes. i.
Macrob. Sat. l. 5. c. 19. Fest. v. Patagus, morbus.

54. Quid est hoc? rugat pallium. Amictus non sum commode. i. t.
Gell. 18, 12.

55. Exi tu, Dave! age, sparge! mundum esse hoc vestibulum volo. i. t.
Venus ventura est nostra: non hoc pulveret.
Idem ib.

56. Surum non est tibi.
Fest. v. Surum.

57. Vix super e g o sum dolori, qui in dies vae! misero mihi t. t. c.
Perdito regliscit, mage magisque . . . .
Idem v. Reglescit.

58. — Qui talist de natis suis (pro natabus). Prisc. l. 7. p. 733.

43. *Quando.* V.: *cum*, metro minus expedito. 48. Post hoc fragmentum vulgo ista leguntur:

— — — — Si quae forte concio est,
Ubi eum hietare nondum in mentem venit.

quae non Plauti dicit Diomedes lib. 1. p. 336. Putsch., sed ita scribit: *Hietare* et *Hiatare veteres dixerunt. Si qua forte* etc. 50. *inbellis.* Libri: *in pellis*, quod quid sit, equidem scio cum ignarissimis. 57. Perperam legitur *Regiescit.* Fest.: *Regliscit apud Plautum significat Crescit.*

59. Pullariam manum dexteram dixisse videtur Plautus in . . . .
Idem v. Pullariam.
60. Vesperna apud Plautum coena intelligitur.
Paulus ex Festo v. Vesperna.
61. A. Venter suillus . . (dicam suo sibi nomine i. s. Scrutillum) . . . . B. Egomet hodie . . . . si quidem Esset comesus: forte biberem . . . .
Fest. fragm. v. Scrutillus.
62. — Inveniuntur tamen quaedam peregrina, quae cum incremento syllabae declinantur, ut Calchas, Pallas, Atlas, Gigas: faciunt enim Calchantis etc.; quamvis antiqui, ut Pacuvius et Plautus, Calchan dicant, non Calchantem, et Gellius huius Calchae.
Charis. l. 1. p. 50.
63. Plautus: amiciter, veraciter, avariter, munditer, severiter, moestiter, aequiter, asperiter.
Prisc. l. 15. p. 1010.
64. Sic lacte lactis simile est. M. Valer. Prob. Catholic. p. 1445. Putsch.
65. Haec praesepes mea est. Idem ibid. p. 1446.
66. Dur terminata. Unum legi in Plauto, Magadur.
Idem ib. p. 1454.
67. Reboo. Idem ib. p. 1486.
68. Meminens. Sergius in Donati edit 2. p. 1853. Putsch.
69. Cistellam ecfer cum crepundiis. Fulgent. v. Cistella.
70. — Cicatrices denudat et memorat vices.
Is. Pontan. ad Macrob. S. Scip. l. 1. c. 21.
71. (Dum aviculae vernant. Idem. ib. ad 7, 16.)
72. (Religionem a se reiicere. Idem ib. ad. 1, 12.)
73. Consuetionem Plautus pro consuetudine dixit. Fest.

60. Post haec obtrudunt, tanquam incertae sedis, Militis versum 649. 73. Vid. not. ad Amph. 336.

LOCI QUIDAM PLAUTINIS

SIMILES

EX POETIS GRAECIS.

Asin. 73. Alexis Μάντεσιν Excerptt. Grotii p. 579.

Ὦ δυστυχεῖς ἡμεῖς μεν, οἱ, πεπρακότες i. τρ.
Τὴν τοῦ βίου παῤῥησίαν καὶ τὴν τρυφὴν,
Γυναιξὶ δοῦλοι ζῶμεν ἀντ' ἐλευθέρων!
Ἔπειτ' ἔχειν προῖκ' οὐχὶ τιμὴν φάσκομεν
Πικράν γε καὶ μεστὴν γυναικείας χολῆς;
O nos profecto vere miseros coniuges,
Qui emancipata libertate ac gaudiis,
Ingenui nati, mulierum servi sumus,
Et dotem habere dicimus, quae nil nisi
Auctoramentum est plenum bile uxoria!

Grot.

Aul. 489. Incertus apud Grotium l. l. pag. 930 sq.:

Νύμφη δ' ἄπροικος οὐκ ἔχει παῤῥησίαν. i. τρ.
Sine dote nupta ius loquendi non habet.

Grot.

Ibid. 673, Menander ibid. pagg. 756. sq.

Θεῷ δὲ θῦε, διὰ τέλους δίκαιος ὢν, i. τρ.
Μὴ λαμπρὸς ὢν ταῖς χλαμύσιν ὡς τῇ καρδίᾳ.
Deo sacrifica semper ingenio probo,
Neu tu albam vestem mage quam mores induas.

Grot.

Bacch. 351. sq. Incertus apud Grotium pagg. 946. sq.:

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν κτῆμα κάλλιον φίλου. i. τρ.
Nulla est amico pulcrior possessio.

Grot.

Ibidem 779. sequ. Menander:

Ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσ', ἀποθνήσκει νεός. i. τρ.
Qui ab dis vir est amatus, adolescens perit.

Editor.

Ibidem 1148. seqq. Amphis Γυναικοκρατίᾳ:

Πῖνε, παῖζε· θνητὸς ὁ βίος, ὀλίγος οὑπὶ γῆς χρόνος, τ. τ. κ.
Ὁ θανατος δ' ἀθάνατός ἐστιν, ἤν ἅπαξ τις αποθάνῃ.
Lude, bibe: fugax dies est et mora in terra brevis;
Mors at immortalis homini, si quis emoritur semel.

Ed.

Amphidis in loco apud Grotium legitur καὶ παῖζε et θάνατος sine articulo, nec recte haec habentur pro iambicis senariis.

Capt. 243. Menander Excerptt. Grot. pagg. 758. seq.:
Ὁ γὰρ Θεὸς βλέπει σε πλησίον παρών. ἰ. τρ.
Nam te prope adstans semper inspectat deus.
Ed.

Ibid. 257. Menander ibid. pagg. 752. sequ.:
Βέλτιστε, μὴ τὸ κέρδος ἐν πᾶσιν σκόπει. ἰ. τρ.
Amice, ne tu quaestum ubique respice.
Grot.

Incertus ibid. pagg. 934. sequ.:
Τὰ δ' αἰσχρὰ κέρδη συμορὰς ἐργάζεται. ἰ. τρ.
Habent mala lucra calamitates pedisequas.
Grot.

Ibid. 562. seq. Anaxandrides apud Athenaeum lib. 15. et Muretum V. L. 19, 9.:
Ὦ πονηρὰ καρδία, ἰ. τρ.
Ἐπιχαιρέκακον ὡς εἶ μόνον τοῦ σώματος·
Ὀρχῇ γὰρ εὐθὺς, ἣν ἴδῃς δεδοικότα.
O cor improbum,
Ut corpore ex toto unicum gaudes malis:
Salis enim simul ac timentem videris.
Muretus.

Ibid. 736 sq. Menander ibid. pagg. 756 sq.:
Σφάττει με, λεπτὸς γίνομ' εὐωχούμενος. ἰ. τρ.
Τὰ σκώμματ' οἷα σοφά τε καὶ στρατηγικά!
Οἷος δ' ἀλάζων ἐστιν ἀλιτήριος!
Necat ille macrum faciens me conviviis.
Dicta autem quam sunt cata, quam induperatoria!
Tum vero quam ipse gloriosus carnifex!
Grot.

Cistell. 19. Philoxenus Cyclope, Excerptt. Grot. pagg. 866 sq.:
Ἀπώλεσας τὸν οἶνον, ἐπιχέας ὕδωρ. ἰ. τρ.
Corrumpis vinum, dum sic admisces aquam.
Grot.

Men. 159 sq. Bene Muretus V. L. 11, 8 cum cum his comparat Eubuli versus illos apud Athenaeum I. p. 8 B:

Εἰσὶν γὰρ ἡμῖν τῶν κεκλημένων δύο i. τρ.
Ἐπὶ δεῖπνον ἄμαχοι, Φιλοκράτης καὶ Φιλοκράτης·
Ἕνα γὰρ ἐκεῖνον ὄντα δύο λογίζομαι,
Μᾶλλον δὲ τρεῖς.

Quos sic vertit Grotius Excerptt. pagg. 658. sq.:

Ad coenam nobis invitati sunt duo
Homines invicti, Philocrates et Philocrates:
Namque unus cum sit, esse eum duco duos
Aut tres, et magnos, potius.

Ibid. 662 sqq. Aristoph. Vesp. 460 edit. Invernizz.:

Εἶτα δῆτ' οὐ πόλλ' ἔνεστι δεινὰ τῷ γήρᾳ κακά; τ.τ.λ.

Hem viden', quantas senectus calamitates adferat?
GROT.

Menander Excerptt. Grot. pagg. 758 sq.:

Ὦ γῆρας ἐχθρὸν σωμάτων ἀνθρωπίνων, i. τρ.
Ἅπαντα συλῶν καλὰ τῆς εὐμορφίας,
Καὶ μεταχαράσσον τὴν μὲν ἀνδρίαν μελῶν
Εἰς ἀπρεπὲς, τὸ δὲ τάχος εἰς ὄκνον πολύν!

O mala senectus, advorsatrix corporis
Humani, despoliatrix elegantiae:
Tu vegetos artus squalido turpas situ,
Tu celeritatem mutas pigritudine!
GROT.

Mil. 875 sq. 881 sqq. Incertus apud Grotium pagg. 914 sq.:

Γνώμην πονηρὰν τῇ γυναικὶ μὴ δίδου· i. τρ.
Ἐλαφρὸν δὲ τὸ γένος ἐστὶ καὶ λίαν κακόν.

Malum consilium feminae nunquam duis:
Leve namque genus est, et plus quam satis est malum.
GROT.

Poen. 173 sq. Incertus apud Grotium pagg. 928. sq.:
Γυναικὶ κόσμος ὁ τρόπος, κ' οὐ χρυσία. i. τρ.
Non ornat aurum feminam, ut mores probi.
GROT.

Ἐλαφρὸν δὲ etc. Legitur pravis numeris: Ἐ. γάρ ἐστι τὸ γ. καὶ λ. κ.

Pseud. 611. Incertus Excerptt. Grot. pag. 916. sq.

Ὅταν τι μέλλεις τὸν πέλας κατηγορεῖν, *i. τρ.*
Αὐτὸς τὰ σαυτοῦ πρῶτον ἐπισκέπτου κακά.

In alium si quid es paratus dicere,
In te quid dici possit, antidea vide.

Grot.

Ibid. 683 sq. Incertus ibid. pagg. 796 sq.:

Εὐμετάβολος μάλ' ἐστὶν ἀνθρώπων βίος. *i. τρ.*
Οὐκ ἔστι βίος, ὃς οὐχὶ κέκτηται κακὰ,
Λύπας, μερίμνας, ἁρπαγὰς, στρέβλας, νόσους.
Τούτων ὁ θάνατος καθάπερ ἰατρὸς φανεὶς
Ἀνέπαυσε τοὺς ἔχοντας ἀναπαύλης ὕπο.

Vita hominum res est admodum mutabilis.
Nulla usquam vita est, plena quae non sit malis,
Furtis, dolore, morbis, tormentis, metu.
Tantis malis, ut medicus, mors intervenit,
Requiemque fert hominibus in somnum datis.

Grot.

Stich. 158. Incertus apud Grotium pagg. 934 sq.:

Πολλῶν ὁ λιμὸς γίνεται διδάσκαλος. *i. τρ.*
Rebus magistra plurimis una est fames.

Grot.

Ibid. 178 sqq. Ibid. pagg. 940 sq.:

Πολυπραγμονεῖν τἀλλότρια μὴ βούλου κακά. *i. τρ.*
Ne curiose alterius inquire in mala.

Grot.

Trin. 10. Incertus Excerptt. Grot. pagg. 942 sq.:

Ὡς πάντα τιμῆς ἐστὶ πλὴν κακοῦ τρόπου! *i. τρ.*
Ut cuncta iam sunt cara, nisi mores mali!

Grot.

Ibid. 353. Menander apud Plut. Πλατων.
Ζητημάτων α᾽·
Ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ὁ θεός.
Mens namque nobis deus.

Ἀνέπαυσε τοὺς etc. Legitur ἀναπαύλης ὕπνῳ.

Ibid. 816. Diphilus Parasito:

Εὖ γ' ὁ κατάχρυσος εἶπε τοῦτ' Εὐριπίδης· *ἰ. τρ.*
Νικᾷ δὲ χρεία μ', ἡ κακῶς τ' ὀλουμένη
Γαστήρ.
Egregie, ut multa, dixit bonus Euripides:
Me dira egestas subigit et miserabilis
Venter.

GROT.

G. Hermannus praefat. Trin. pagg. 26 sqq.: „Quoniam," inquit, „Trinummus e Philemonis Thesauro expressa est, operae pretium videtur Philemonis versus, qui ad hanc fabulam pertinere videntur, subiicere. Unum duntaxat fragmentum Thesauri addito fabulae nomine commemoratur; idque ab Athenaeo IX. p. 385 E.

οὐκ ἔστ' ἀληθὲς παραλογίσασθ', οὐδ' ἔχειν
ὀψάρια χρηστά.

Scribendum videtur:

οὐκ ἔστ' ἀληθῶς σε παραλογίσασθ', οὐδ' ἔχειν
ὀψάρια χρηστά;

Nisi Philemo scripsit ὥστ' ἔχειν. Plautus. v. 472 [443]:
edisne, an incoenatus cum opulento accubes?

Ex incertis fragmentis fortasse haec ad Thesaurum pertinuere XXX.

ἀθάνατόν ἐστι κακὸν, ἀναγκαῖον γυνή.

Id fortasse exstitit in illo loco, ubi Plautus v. 55 [33] habet:

CA. *eho, tua uxor quid agit?* ME. *immortalis est.*

XXXV.

βούλου γονεῖς πρὸ παντὸς ἐν τιμαῖς ἔχειν.

Plautus v. 279 [251]:

feceris par tuis caeteris factis, tuum
si patrem percoles.

LXXIX.

κρίσει δικαίᾳ καὶ δίδου καὶ λάμβανε.

Plautus v. 487 [458]:

nunc conditionem hanc, quam ego fero et quam abs te peto,
dare atque accipere, Lesbonice, te volo.

XXIX.

Κἂν δοῦλος ᾖ τις, οὐδὲν ἧττον, δέσποτα,
ἄνθρωπος οὗτός ἐστιν, ἢν ἄνθρωπος ᾖ.

Apud Plautum non Stasimus, sed Philto haec dicit v. 562 [533]:

quid censes? homost.
volt fieri liber.

Quod si eo pertinent Philemonis verba, fortasse is scripsit δεσπότου.

LXXVII.

μισῶ πένητα πλουσίῳ δωρούμενον·
ἔλεγχός ἐστι τῆς ἀχορτάστου τύχης.

Plautus v. 702. [673]:

mea opera hinc proterritum te meaque avaritia autument.

INDEX

earum maxime rerum, quae in notis tractantur.

BRUNSVIGAE,

IMPRESSUM TYPIS ORPHANOTROPHEI.





